
John Crawford,

M. D.

Digitized by the Internet Archive
in 2014

http://archive.org/details/dispensatoriumun00reus



Jn Crawford

D. CHRIST. FRIDER. REUSS,

MED. PROF. PUBL. IN ALMA EBERHARDINO - CAROLINA; ACAD. IMP. NAT. CURIOS. REG. DAN. SCIENT. EJUSQUE OECON. ELECT. MOGUNT. NEC NON SOC. ELECT. LIPS. OECON. TIGUR. PHYS. ET BEROL. AMICORUM NATURÆ SCRUTATORUM SODALIS,

DISPENSATORIUM UNIVERSALE

AD TEMPORA NOSTRA ACCOMMODATUM,

ET AD FORMAM

LEXICI CHEMICO - PHARMACEVTICI

REDACTUM.

ARGENTORATI, 1786.

SUMTIBUS AMANDI KOENIG, BIBLIOPOLAE.

18385

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

Crawford

Multiplicibus calamitatibus obnoxium eſt corpus humanum, interitum ipſius minantibus, dum in hac vita verſamur. Qui eas prævidit, conſuluit etiam iisdem optime & benigniſſime Summus rerum creator & conſervator. In quibusvis enim terræ plagis per tria naturæ regna varii generis corpora diſperſit, tam ad *praeſentes ſtatus morboſos*, partim plene depellendos, partim quodammodo mitigandos, quam ad *futuros cavendos*, ad eam usque vitae humanae metam, quam Summi creatoris voluntas deſtinavit.

Antiquiori quidem *aevo*, *Scientiis auxiliaribus* deſtituto, majoribus noſtris moleſtior erat inveſtigatio corporum, in ampliſſimo naturae ambitu diſperſorum, usque dum iſtam inveſtigationem tanquam peculiare negotium ſuſciperent medici, qui ope *phyſices*, *hiſtoriae naturalis*, inprimis *chemiae pharmaceuticae*, adhuc remedia illa inveſtigarunt, præpararunt, variisque inſtitutis obſervationibus & experimentis dein comprobarunt eorum virtutes eximias, in variis humani corporis affectibus conſpicuas.

Enatæ hinc ſunt *hiſtoriae medicae*, quibus remedia iſta deſcribebantur, & quibus

materia medica locupletabatur. Enatæ ſunt *Pharmaciae*, *Pharmacopoeae* & *Diſpenſatoria*, quæ præſcriptiones complectuntur, qua ratione corpora iſta e tribus regnis naturæ congrue ſint *praeparanda*, vel qua *ſimplicia* dein *adhibenda*, vel quomodo *corpora cruda* rite præparata aliis commiſcenda ſint, ut novum egregiæ virtutis remedium exhibeant compoſitum.

Collegia, quibus imperatores, reges, principes *curam ſanitatis* mandarunt, *Diſpenſatoria* pro his illisve regionibus & provinciis colligi curarunt, & typis exſtant uſuque ſuo ſe commendant Diſpenſatoria auctoritate imperatorum, regum, ducum, & civitatum imperialium, divulgata. Alia ex his aliis præſtant ratione Selectus tam formularum, quam ſingulorum ſimplicium eas conſtituentium, nec non compoſitorum eaque præparandi methodo, uti & ratione numeri ingredientium.

Antiquioris aevi quidem *Diſpenſatoria* in vaſtis voluminibus non ſolum *amplam materiam medicam praemiſſam* continent, ſed & *ingentem formularum*, remedia compoſita conſtituentium, & ſimplicium eas conſtituentium, *copiam*; ut nihil dicam de *modo praeparationis* ſæpe non optimo, hodierno lumini, quo chemia gaudet, non convenienti. Hinc inſigniter illis *praeſtant recentiora quaedam*

dam Diſpenſatoria, *& Pharmacopoeae* *) etſi & hæc ipſa non contineant omnia remedia compoſita præparata, a medicis peritiſſimis ſubinde commendata. Delectus quidem e variis hiſce Diſpenſatoriis factus eſt ad normam *Diſpenſatorii generalis*, e. g. a *Trillero*, **) *Spielmanno*, *Piderit*; Schemata quoque edita fuere, quomodo ea conficienda ſint e. g. J. *Mellin*, Pharmacia ſaeculo moderno accommodata. *Altenburg.* 1772. 8. · P. L. *Wittwer* Idea Diſpenſatorii noſtris temporis

*) Diſpenſatorium *Argentoratenſe*, 1757. fol. - Leidenſe 1770. 8. - *Boruſſo - Brandenburgicum*, Berolini. 1782. 8. - *Brunſuicenſe.* 1777. 4. - Pharmacopoea *Danica.* Havniæ 1772. 4. - *Edinburgenſis* aucta a G. *Baldinger* Bremen 1784. 8. - Edinburgenſis pauperum 1762. 8. - *Helvetica* 1771. fol. *Londinenſis* cum Meadiana- Frf. 1785. 8. - Thom. *Guy.* Edinburg. - *Würtenbergica.* Stuttgart. 1771. fol. & Lauſanne 1785. 4. - *Herbipolitana.* Bamberg. 1782. 8. *Auſtriaco* provincialis Viennæ 1780. 8. - *Suecica* Lipſiæ 1784. 8. & germanice 1782. 8. - *Roſſica* Petropoli 1782. 8. - Pauperum Hamburgenſis. 1785. 8. - & Pragenſis. 1783. 8. - J. G. *Plenck* Pharmacia - chirurgica. Viennæ 1780. & german. 1781. 8.

**) D. W. *Triller* Diſpenſatorium Pharmacevticum univerſale. Frf. 1764. II. 4. - J. R. *Spielmann* Pharmacopoea generalis. Argentorati 1783. 4to P. J. *Piderit* Pharmacia rationalis denuo correcta & aucta. Caſſel. 1782. 8vo. J. H. *Pfingſten allgemeines deutſches Diſpenſatorium. Leipzig.* 1783. 4.

accomodati,qua diſſertatio,multaquoque obſoleta continens remedia, edit. *Argentorati.* 1774. 4.

In Diſpenſatoriis vero hiſce cum varia adhuc deſiderentur, cumque non pharmacopaei ſoli, ſed & medici, in praxi modo breviori, modo longiori tempore verſantes, *Selectum meliorem - completum* tamen ex *optimis* quibusdam *Diſpenſatoriis* exoptaverint: eo adductus fui, typographi quoque deſiderio excitatus, ut manus admoverem ejusmodi Selectui adornando e *Diſpenſatoriis* quibusdam *praeſtantiſſimis*, *tam univerſalioribus*, *quam provincialibus*, & *antiquioribus* & *recentioribus*, quoad *remedia medica* pharmaceutica, tam *praeparata ſimplicia* quam *compoſita*; tam *ſimplicitate* compoſitionis; præcipuæ *praeparationis*; quam *exquiſita virtute* & *qualitate* in varii generis morbis ſe commendantia, & virorum peritiſſimorum experientia jam ſatis probata.

Quem Selectum ita quidem adornavi, ut 1) ad normam *Lexici chemico pharmaceutici*, manualis, commodo ordine *alphabethico*, lectoris conſpectui exhiberentur *Remedia* iſta, tam *ſimplicia praeparata*, quam *compoſita ſelecta*, *ſimplicitate* compoſitionis & *viribus* inſignibus præſtantia; quomodo *praeparanda* ſint tam qua *ſimplicia officinalia*; quam qua *compoſita*.

Nomi-

Nomina, quantum fieri potuit, e minus aptis in talia commutata adiunximus, quibus compoſitorum præcipuæ partes & virtules indicentur; ad confuſionem vero tam levem evitandam, nomina hucusque recepta ſimul addidimus.

2.) *Omnium* horum *praeparatorum* & *compoſitorum* remediorum *Vires* & *Qualitates* præcipuas accurate indicavi; nec non

3.) *Uſum praecipuum* in ſingulis morbis, auctoritate & experientia multiplici comprobatum. Præterea

4.) *Noxam* quoque memoravi in quibusdam remediis, quæ forte in his illisve adfectibus metuenda ſit, ex incongruo eorum uſu.

5.) *Adulterationis* & *Integritatis ſigna* præcipua accurate attuli, quantum fieri potuit. Ubique

6.) *Pondus univerſale* adnotavi, in quibusvis Europæ regionibus receptum, & ad *Libram* quidem *medicam* numeravi Uncias 12. ad Uncia 1. Drachmas 8. ad Drachm. 1. Scrupulos 3. ad Scrupulum 1. Grana 20. Drachma ponderis civilis reſpondet Drachmæ 1. medicae, & Granis paulo minus

 decem,

decem, reliqua caeterum pondera medica retinui.

7.) In claſſe *Obſervationum* occurrunt varia; quae profutura mihi videbantur, *aliae* quoque *praeſcriptiones* unius ejusdemque compoſiti, ab aliis medicis vel in aliis diſpenſatoriis aeque bene aſſumtæ, & praeparata varia officinalia pharmaceutica, ad eas componendas.

Praeterea vero communicamus etiam paſſim *novas*, & *proprias* quoque *Compoſitiones*, nec non varias e Libris pharmaceuticis & practicis, forte non ubivis obviis, vel e libris, peregrino idiomate conſcriptis, collectas. Operam dare inſtituimus ut *Diſpenſatoriis* tam provincialibus quam univerſalibus; tam antiquis, quam recentioribus ſuperioribus *carere poſſint ii*, quibus illa nondum ad manus ſunt, vel qui ob pretium ea ſibi non comparant, vel opportunitate ea adquirendi, vel acquiſita commode perlegendi ob anguſtiam temporis deſtituuntur.

(Quibus *Materias medicas & Pharmacias*, infra denominandas *) ſigno crucis praecipue

1) *) J. F. *Cartheuſer* pharmacologia theoret. practica. Berol. 1770. 8. - ²) *Beaume* Elements de la pharmacie theorique & pratique à Paris. 1778.

pue notatas, conſulere placet, ii notatu digniſſima reperient de *Remediis officinalibus ſimplicibus*, qua crudis, & de *Regulis pharmaco-logico-chemicis*, eaque ſibi commoda & brevi opera reddere poſſunt familiaria.

 Satis

III. 8. & german. 1779. - *) C. G. *Poerner* delineatio pharmaciæ chemico - therapacticæ. *L*ipſ. 1763. 8. - A. S. *Retzii* primæ lineæ pharmaciæ. Goetting. 1771. & german. 1777. 8 - F. A. *Goettling Einleitung in die pharmaceutiſche* Chemie. Altenb. 1778. 8. - *) C. G. *Hagen Lehrbuch der Apothekerkunſt* Lipſ. 1781. 8. - *) G. F. *Gmelin Einleit. in die* Pharmacie. Nurnb. 1781. 8. qui plures notatu dignos Autores recenſet, *chemiam* quoque reſpicientes *pharmaceuticam*.

2) J. F. *Cartheuſer* Fund. Mater. medicæ Frf. 1767. II. 8, - R. A. *Vogel* Hiſtor. mater. med. Frf. 1774. 8. - *) J. *Gleditſch Anleit. zur kenntn. d. rohen Arzneymittel* Berl. 1767. 8. & ejus *alphabetiſches Verzeichnis d. gewönlichſten Arzneygewächſe* ibid. 1769. 8. - *) C. G *Poerner* ſelectus Mater. med. Lipſ. 1767. 8. - *) J. *Cranz* Mater. med. Viennæ 1779. III 8 german. 1785. - *) W. *Lewis* experimental. hiſtory of the Mater. med. London. 1768. 4. germ. 1771. - *) C. a *Linné* Mater. med. aucta a Schreber. Erlang. 1782. 8. - *) C. A. *Gerhard.* Mater. med. Berl. 1772. 8. - *) J. G. *Murray* Apparatus medicaminum. Goetting. 1785 IV. 8. german. - *) W. *Cullen* Lectures on the materia medica. London 1773. 4. & german Lipſ. 1781. 8. - *) J. R. *Spielmann* Inſtitut. mat. med. Argentorat. 1774. 8. & germ. 1776. - *) *Bergii* mater. med. Holmiæ 1778. I. 8. - *) L. L. *Loeſeke* Mater. medic. aucta a F. *Gmelin.* german. Berl. 1785. 8. qui plures heic quoque & præcipuos recenſet autores, *Materiam medicam* attinentes.

rientiis practicorum medicorum ſolertiſſimorum probata ſunt, quae virorum ſummorum teſtimonio fida, ſalutaria & propria quoque experientia comprobata novi: Cæterumquoque paſſim addidimus notatu digna, quae in ſcriptis practicis *medicorum* recentiorum ex *Anglia*, *Gallia*, aliisque *Europae* regionibus nobis innotuerunt, huic praeſenti ſcopo noſtro conſentanea. *Pharmaca* plane inutilia, ac futilia, eliminanda atque extirpanda omiſimus. Inutilibus ea ſubſtituimus, quorum vera vis in medendo, omnibus viris in arte noſtra ſalutari exercitatis, ſatis ſuperque perſpecta eſt, maxime moderna; omnia ea retinuimus quibus jam carere vix licitum eſt; eorum loco, quorum uſus inter medicos exoleſcere coepit.

Pariter in praeſcriptione *Praeparationis chemicae* omnia ea compoſita & praeparata enumeravimus præcipua, quae partim in pharmacopoeis ſemper extare debent, partim ex tempore demum praeparanda ſunt.

Indicavimus etiam ſaepe *plura remedia* contra *unum eundemque morbum*, ad *unam* eademque *indicationem* therapeuticam, ut eo commodior & exquiſitior remediorum commutatio, ſaepius neceſſaria in variis morbis chronicis & pertinacibus, fieri queat. Omiſimus vero data opera, quae nonniſi ad lucrum ſpectant,

ſpectant, quae pluribus quidem rebus, ſed ineſficacibus, & praeterea nauſeoſis ſæpe conſtant; quae exoleta ſunt; quae non diu aſſervari poſſunt, ſed facile pereunt; quae ſuperbiunt titulis; ſpeciem prae ſe ferentibus, neque tamen praeſtant, quae promittunt.

Faxit Deus, ut haec quoque opera noſtra fructu ſuo non deſtituatur! — Dabam Tubingae, Menſe quarto, Anni. MDCCLXXXVI.

REMEDIA

Satis, quod eſt, feciſſe arbitror, ſi, ut cum aurifabris loquar, ex inſigni lapidum pretioſorum copia adamantes ſelegero, & ita collocavero, ut quam nitidiſſimi adpareant. Hanc ob cauſam e *Diſpenſatoriis antiquioribus & recentioribus nimis compoſita & inefficacia omiſſi*, complures *formulas ſelectas ſimplices uſui* tam interno quam externo commendavi, virtutibus & qualitatibus inſignes, quantum quidem limites libri hujus permiſſerunt, qui præter opinionem longius excrevit, quam initio conſtitutum erat.

Catalogum corporum officinalium tam *crude aſſervandorum*, quam dein *praeparandorum*, & ad compoſita remedia neceſſariorum, ſtudio omiſi, quia omnia ea nomine tam pharmacevtico, quam e Hiſtoria naturali petito, uberius recenſentur in *Materiis medicis*, e quibus quivis pharmacopoeus pro regione ſua, & pro ratione praxeos phyſici ſui, ſeligere poteſt accomodatiſſima.

Ea vota, quantum in nobis erat, explere allaboravimus, quae nuper legimus in libro: *Critiſcher Commentar über die Oeſterreichiſche Pharmacopoe mit einem Entwurf zu einem gemeinnüzigen verbeſserten allgemeinen Diſpenſatorium. Presburg.* 1785. Hinc ea potiſſimum remedia attulimus, quae rationibus & experientiis

REMEDIA MEDICA
PHARMACEVTICA
TAM
PRÆPARATA SIMPLICIA
QUAM
COMPOSITA.

ACETUM BELLADONNÆ.

Recipe Rad. *Belladonnae* recent. in taleolas tenues ſectæ, & nonnihil ſiccatæ unc. 1. & dimid.

Aceti vini concentrati unc. 12.

Macerantur per 14. dies, in lagena vitrea, ſæpius concutiendo, dein coletur cum levi expreſſione acetum, cui addatur

Spiritus vini tenuioris unc. 1.

Poſt aliquot dierum moram acetum clarum decantetur, & aſſervetur uſui.

VIS *antiſeptica*, *diſcutiens*, *ſopiens.*

USUS in *rabie canina.*

ACETUM ANTISEPTICUM,

ſ. *Cardiacum* ſ. *Vinaigre des quatre Voleurs.*

Rec. Herbæ *Abſinthii* vulgaris uncias 3.

Rorismarini, --- *Salviae*

Menthae criſpae, --- *Rutae*, ana unc. 1. & dimid.

Florum *Lavendulae* ſiccatorum unc. 2.

Spicar. *Allii*, --- Radic. *Calami* aromatici, *Cinnamomi*, *Caryophyllorum*, *Nucis moſchatae* ana drachm. 2.

Aceti fortis unc. 128.

Inciſa & probe mixta macerantur in cucurbita vitrea, clauſa per 6 - 12 dies, colantur cum expreſſione, & filtratis, addatur *Camphorae*, ſpiritu vini forti, ſolutæ unc. dimidia.

In vitro bene obturato ſervandum eſt hoc acetum.

VIS *antiſeptica*, *cardiaca*, *excitans*.

USUS in *debilitate*, *languore*, *putrido* ſtatu corporis humani. In *peſte*, ſi præſervative partes corporis aëri expoſitæ eo lavantur, ejus ſuffitu veſtes imbuuntur, & conclavia; & interne ſimul cochleatim adhibetur. *Spielmann.*

OBSERV. Pharm. *Roſſica* ſuadet loco Alli, Calami aromatici, Cinnamomi, Caryophyllorum, Nucis moſchatæ, & loco Herbæ abſinthii & Camphoræ, mere Herbam *Rutae*, Radic. *Angelicae*, *Imperatoriae* ana unc. dimidiam.

ACETUM ARMORACIÆ.

Rec. *Radic. Armoraciae* recent. unc. 1.
Aceti vini unc. 12.

Mixta macerantur ſub terra per 14. dies.

VIS *coſmetica*, *diſcutiens*.

USUS ad *lentigines faciei*, omni veſpere, ſi facies eo lavetur. *Plenck.*

ACETUM AROMATICUM,
ſeu *Prophylacticum.*

Rec. Herbæ. *Rorismarini.*
Folior. *Salviae* ana unc. 4.
Flor. *Lavendulae* --- unc. 2.
Caryophyllor. Drachm. 2. --- *Aceti vini* unc. 196.

Inciſa & mixta antea probe macerantur per quatriduum, humor expreſſus colatur per chartam. Pharm. *Suecic.*

VIS

VIS *excitans*, *exhilarans*, *confortans*.
USUS in *lipothymia*, *ſyncope*, tanquam *odoramentum*, & *refocillandi* naribus admotum;
Epithematibus cordis & pulſuum inſpergitur.

ACETUM CAMPHORATUM.

Rec. *Camphorae* Drachm. 1.
Teratur in mortario vitreo accurate.
Spiritus vini guttis 20. Diu tritis miſcentur: addatur tum
Sachari albi puri unc. 2.
Aceti vini concentr. unciis 10.
In vaſe vitreo bene clauſo, probe aſſerventur.

VIS *refrigerans*, *antiphlogiſtica*.
USUS in *febribus acutis*, malignis, putridis, *exanthematicis*, qua antiphlogiſticum eximium remedium, ad unciam ſemis omni trihorio ſumtum.
Externe antiſepticum, *ad gangraenam* & *emphyſemata putrida*. *Plenck*.

OBSERVAT. 1) ad *Pharmaciam chirurgicam Plenkii* præſcribuntur *Camphorae* Drachma 1. quæ cum aliquot guttis *Spiritus vini* ſolvatur, & terendo ſenſim admiſceantur *Aceti vini* unc. 10.
2) Ad *Pharmac.* pauperum *Hamburg* præſcribuntur *Camphorae* Drachm. dimid. ſolv. in *Liquore anod. min.* H. Drachm. 1. cum dimid. cui ſolutioni ſenſim addenda *Aceti vini* optimi unc. 5.

ACETUM COLCHICI.

Rec. *Radicis Colchici* recent. ſucculent. autumno collectæ, & in tenues taleolas diſſectæ unciam 1 - 2.
Aceti vini communis boni. unc. 12.

Macerantur leni calore in lagena vitrea per 14. dies, ſæpius liquorem agitando, & levi expreſſione dein colatur, ſervatur uſui ad oxymel ſquilliticum,

VIS *diuretica*, *pellens*.

USUS in *hydrope*, *aſcytide*, *oedemate pedum*, *&* *hydrothorace;* commode cum aquis diureticis, & ſyrupo mixtum. In *periculoſa diarrhoea* confert additum *Laudanum* liquidum Sydenhami. Cæterum ad Oximellis Colchici præparationem confert.

OBSERVATIO 1) Acetum hoc plerumque acre, cum *Aquis diureticis* miſcetur & idoneo *Syrupo* edulcoratur, & a minori ad majorem doſin optime propinatur, a drachma 1. ad Unciam 1. & ultra. Vulgo præſcribitur *Oxymel Colchicum* a drachma ad unciam 1. perbelle mixtum *Aqua* quadam *deſtillata aromatica.* In *diarrhoea* ab eo metuenda, addatur commode & ſecure *Laudanum liquidum* vel aliud *Opiatum. Piderit.*

OBSERV. 2) Ad *Pharmacop. Auſtr. Bulbi* ſunt *colligendi* tempore autumnali, ſucco adhucdum maxime turgentes. In ſucco eorum acri vera conſtat virtus, tabidi enim & exſucci, inertes plane bulbi ſine periculo comedi poſſunt.

OBSERV. 3) *Durabiliora* quidem ſunt *Aceta* compoſita e deſtillato parata, qua puriore & volatiliore, at non efficaciora; imo, tam quoad externum quam internum uſum, longe præferendum eſt *acetum ſimplex* deſtillato, gratius enim odoratius & ſecurius eſt. Ad *aceta*, *infuſa* præfertur *Acetum commune* bonum *deſtillato:* aliæ enim, vires ejus augendi. ſ. concentrandi methodi, pretioſiores ſunt, quam ut ad hæc paranda adhiberi poſſint.

A ſe-

A fecibus & mucore *Aceta* hæc *infuſa*, ultra annum aſſervanda, eo certius *defendit*, addita duodecima pars *Spiritus tenuioris vini.* Piderit & Pharmocop. Würtenberg.

ACETUM LAVENDULÆ.

Rec. *Florum Lavendulae* recentium antea exſiccat. Libram 1.
Aceti vini communis boni. Libras 6-8.
In vaſe vitreo bene obturato per bi-triduum, macerantur, & fiat cum expreſſione colatura, probe aſſervanda.

VIS *excitans*, *conſortans.*

USUS *externus*, *odoramentis*, *fomentationibus*, *epithematibus*, in *capitis* variis *doloribus*, in *febribus* acutis.

OBSERV. 1) *Herbae* & *Flores* debent eſſe *recentes*, antea vero exſiccatæ, ne *Aceta infuſa* alias muceſcant. *Piderit.*

2) ad Pharm. *Auſtriac.* partes æquales præſcribuntur.

ACETUM LITHARGYRII,

vel *Lithargyri* vide *Acetum Saturni* ſimplex.

ACETUM PROPHYLACTICUM,

vide *Acetum aromaticum* Pharm. *Suecicae.*

ACETUM PROPHYLACTICUM

Piderit.

Rec. *Rad. Angelicae.*
----- *Petaſitidis* ana uncias 3.
Herbae Scordii recent.
----- *Rutae* ana unciam $\frac{1}{2}$.
Corticum Citri uncias 4.
Myrrhae optimæ drachmas 6.
Aceti vini. Libras 7.

Stent in digeſtione, ad *Aceti* ſaturationem, filtretur cum expreſſione, & dein addatur.

Camphorae unciam ½, *mucilagine gummi arabici* ſolutæ.

VIS *excitans*, *exhilarans*, *confortans*, *alexipharmaca*, *putredini* reſiſtens.

USUS *lypothymicos* excitat, & halitibus carbonum expoſitos,

Vapor hujus *Aceti* peculiari machina inteſtino recto adplicatus, in affectibus *ſyncopticis* vires cito refocillat, & in *febribus putridis malignis* eximie conducit, & *coelo nebuloſo*, ad præcavendum *viribus epidemiae febrium malignarum*, mane cochlear 1-2. *Piderit.*

OBSERVAT. Pharm. *Roſſica* præſcribit radic. Angelic. part. 4. Petaſitid. part. 2. folior. recent. Rutæ & Scordii parum exſiccatorum, part. 6. baccarum Lauri part. 3. Mixta fiant ſpecies pro 5.plo Aceti ſimplicis.

ACETUM ROSACEUM,

ſ. *Roſatum* ſ. *Roſarum.*

Rec. Flor. *Roſar* rubrar ſiccatar. Unc. 2.
Aceti vini concentrati unc. 12.

In vaſe vitreo bene obturato per 3. hebdomades exponantur calori ſolis, l. digeſtionis igni, colatura ſervetur probe.

VIS *excitans*, *exhilarans*, *confortans*, *reficiens.*

USUS *odoramentis*, *epithematibus*; ad *gargariſmata*; *fomenta* repellentia.

ACETUM RUTÆ.

Rec. Herbæ *Rutae hortenſis* in umbra ſiccat. Unc. 2.
Aceti vini. Unc. 12.

Stent in digeſtione donec *Acetum* ſaturatum fuerit, cum expreſſione, tum filtretur.

VIS *excitans*, *roborans*: *antiſeptica* externe.

USUS

USUS *odcrumentis* vel *epithematibus* ad pulſus & tempora; *hyſtericis* & *convulſis*; *capitis doloribus*.

ACETUM SAMBUCI.

Eodem modo e *Floribus ſambuci* recenter ſiccatis paratur uti Acetum Rutæ hortenſis.

VIS *expellens*, *diaphoretica*.

USUS ad expellendam morboſam materiam per *ſudorem*, ab Uncia $\frac{1}{2}$ ad 1. pro doſi intus ſumta. Externe ad *gargarismata reſolventia*.

ACETUM SATURNI SIMPLEX.

ſ. *Saturninum*, ſ. *Lythargyrii* ſimplex, ſ. *Goulardi* ſ. *Extractum Saturni*.

Rec. *Ceruſſae* in laminis, l. *Lithargirii*, l. *Minii* triti. Unc. 12.

Aceti vini deſtillati. Unc. 36.

Coque in *vaſe figulino*, l. vitreo anguſtioris colli, non cupreo leni calore, intra horam unam, *bacillo ligneo* ſæpius agitando, ad aceti perfectam ſaturationem: & donec chartæ Lacmus tinctæ color cœruleus ab aceto non mutetur: ſ. ad dimidiæ partis conſumtionem, quod per chartam filtrandum & uſui aſſervandum eſt. Si ſolutio hæc magis inſpiſſatur ad Extracti formam, & magis concentratur, *Goulardo Extractum Saturni* vocatur. Si hujus extracti Drachmæ 2. miſcentur cum Aquæ communis Unc. 24. Autori vocatur *Aqua ſaturnina* l. *Aqua vegeto mineralis*.

VIS *refrigerans*, *forte repellens*, *anodyna*, *ſiccans*, *conſtringens*, *affluxum cohibens*, *cosmetica*.

USUS *externus* ad *ambuſta*, *inflammationes* partium, *ulcera* maligna epulota, fungoſa exſiccanda, affluxum prohibendum ad *fiſtulas*, *glandulas induratas*, ad coercendum *ſcirrhum*, *in cancrum* ne

abeat: ad vas *lymphaticum laeſum*. In *cutis morbis* a maculis & ulcuſculis, linteamina infunduntur & inflammatis apponuntur locis, ſed caute adhibendum eſt.

OBSERV. 1) Acetum hoc, ad conſiſtentiam *Extracti liquidi* inſpiſſatum, vocatur *Balſamum* ſ. *Extractum ſaturni*.

2) Cum *oleo* acetum hoc ad *unguentum* redactum, applicatum partibus inflammatis eas refrigerat, ſed caute, ob periculoſam ſæpius & repentinam repulſionem.

ACETUM SATURNI CONCENTRATUM,

ſ. *Extractum ſaturninum Goulardi* ſ. *Balſamum ſaturni*, vide *Acetum ſaturni ſimplex*.

ACETUM VINI CONCENTRATUM,

ſ. *ſimplex*.

Rec. *Aceti vini* fragrant. qu. l. in vaſe ligneo l. doliolo immiſſum, glacietur, intenſioris nempe hyemis frigori ad tertiæ partis congelationem exponatur. perfracta glacie acetum limpidiſſimum fragrans effuſum ſervetur.

VIS *antiſeptica*, *confortans*, *excitans*, *leniter irritans*, *temperans*, *adſtringens*, *antiphlogiſtica*, *diaphoretica*, *ſudorifera*.

USUS *Interne* in *putridis* inflamatoriis *affectibus*, *febribus malignis*, *lypothymia*, *ſyncope*. In *gangraena inflammatoria*, in *carbunculo*, in *eryſipelate biliosſo*, *putrido*, uncia 1. cum aqua omni bi- vel trihorio confert eximie.

Externe ad *ſiſtendas haemorrhagias* ex alveolo poſt evulſionem dentis; vel in *ſcorbuticis* ex faucibus.

Odor

Odor aceti valde *analepticus*, *lypothymicos*, *ſoporoſos* & fœminas *hyſtericas* excitat.

Vapores aceti & Aquæ calidæ in *peripnevmonia* & *angina* conferunt ad ſputa promovenda: ad *fomentationes* & *gangraenam* & *ſphacelum*: carbonibus inſperſum in *mania*; aërem noxium corrigendum in noſocomiis l. hypocauſtis ægrotorum.

OBSERV. Valde *acre* & ſatis concentratum eſt hoc acetum, cujus Drachma 1. ſufficit ad Alcali Tartari ſcrupulum 1. ſaturandum, l. quod tertiam ſui ponderis partem, alcali, vegetabilis fixi, ad ſaturationem exigit.

ACETUM VINI CONCENTRATUM WESTENDORFII.

Rec. *Salis ſodae depurati* uncias 16.

Aceti vini deſtillati quantum ſufficit ad perfectam ſaturationem. *Liquor percolatus* evaporetur & cryſtalliſetur. *Cryſtallorum* horum, leni calore aut aëre in pulverem redactorum, partes duæ, retortæ ſatis amplæ immittuntur, quibus ſub continua agitatione minutim inſtilletur *Acidi vitrioliti* pars una. *Retortae*, balneo arenæ impoſitæ, adaptetur vas recipiens magnum, quo deſtillatio dein leni igne continuetur, clauſis probe commiſſuris, veſica madefacta, usque dum nebulæ in vaſe recipiente ceſſaverint, & guttæ ad extremum collum effluunt.

OBSERVAT. Satis quoque *concentratum* fit *Acetum*, ſi drachma ejus ſufficiat ad ſaturationem ſcrupuli unius, *Salis alcali vegetabilis fixi*.

Acetum quoque fit *concentratum hieme*, intenſo frigori in vaſe *terreo* aut *ligneo* expoſitum, & tam-

diu relictum, donec ſorte tertia quartave pars ejus congelaverit. In medio vaſis reſiduum fluidum, perfracta aut pertuſa glacie, effunditur, uſuique ſervatur.

In *defectu* neceſſarii *frigoris* gradu, in *calidis regionibus*, in *vaſe vitreo* amplo aperto, ad tertiæ partis remanentiam, acetum optime evaporatur, & ita concentratur. In acidis enim liquoribus primo *aquoſae partes* avolant, & *acidae* remanent.

VIS magis *efficax* grata & *ſincera*, penetrabilis, *communi* & *deſtillato*: *antiſeptica*, *antidota*, coagulatum *diſſolvens*; *analeptica*, *nervos excitans*, ſpiritus movens, *diaphoretica*, *alexipharmaca*, *antipeſtilentialis*.

USUS in *febribus peſtilentialibus*, biliofis *malignis*, *putridis*, *ictero* tam *interne*, quam *externe* fornaci, vel carbonibus ſuperfuſum; ad *fomentationes* l. frigidas l. tepefactas; ad *enemata* antiputredinoſa, ex æqualibus partibus Aquæ & Aceti.

Ad *odoramenta* externa, ad aërem contagioſis temporibus emendandum: In *febribus acutis*, *inflammatoriis*, vehementibus, *exanthematicis* variis, in *ebrietate*, *ſyncope*, *delirio*, *menſium* nimio fluxu, *melancholia*, *mania*: In *debilibus* languentibus, ſyncopticis, ſoporoſis, vomiturientibus, tam naribus quam ori admotum & in ventriculum ingeſtum.

In *convulſis*, *hyſtericis*, *hypochondriacis*, ſanguinis maſſa denſa, vel rarefacta: ad *obſtructiones alvi* pertinaciſſimas; in *orthopnoea varioloſa*, ex inflammatione orta, vapor aceti ad *tumores ſcirrhoſos*, uti & in *pleuritide*, *peripnevmonia*. *Piderit.*

Ex-

Externe ad *uteri haemorrhagias* nimias, poſt partum, tam in *fomentationibus* quam *injectionibus*, & ſi regio epigaſtrica eodem ſæpius perfricetur; ad damna varia a halitibus e. g. carbonibus ortis; contra plantarum narcoticarum & fungorum *venenum*; ad *cephalalgiam* diverſi generis, ad *diſcutiendas ſugillationes*, *inflammationes*, *putrida ulcera*, & *ſcorbutica*, *cariem oſſium*, *morſus virulentos*; ad *fomentationes* in *contuſionibus*, *luxationibus*, *fracturis*, *ſphacelo*, *gangraena*: ad *haemorrhagias* dentium ſcorbuticas, *dentium corruptiones*, *gingivarum eroſiones*, *pus reſolvens*; in *phlegmonodeis cutis inflammationibus*; *angina*; *peripnevmonia*, *gargarismatis* vel *vaporis* forma.

Linteo exceptum per os inſpiratum in *delirio* & *phrenitide*, in *inſolatione*; in *uteri inflamationibus* & inteſtinorum inſtar epithematis; in *indurationibus ſcirrhoideis*. *Piderit.*

DOSIS Drachma I. multa aqua diluta interne.

ACETUM VINI DESTILLATUM,

ſ. *Spiritus Aceti* ſ. *Spiritus aceti ignei.*

Rec. *Aceti vini*, cujus circiter quarta pars e *cucurbita cuprea*, ſtanno probe incruſtata, eliciatur *deſtillatione* initio leni, aucto tandem ſenſim calore, per alembicum e ſtanno confectum. Si *phlegma* ope *recipientis* antea abſumtum eſt, continuatur tamdiu deſtillatio, quamdiu *clarus* nec empyrevmaticus prodit *ſpiritus*, ſeu ante empyrevmatis notam. Primum prodeuntis ſpiritus quædam pars, qua magis phlegmatica abjicitur, ſubſequens dein fortior excolor in vaſculo probe clauſo accurate eſt aſſervandus. Hujus aceti 14. par-

partes requiruntur, ad 1. partem alcali vegetabilis ſaturandam.

VIS *antiputrida*, *antiſeptica*, *venenorum antidotum*, *refrigerans*, bilis & humorum æſtuantium expanſionem orgaſticam refrænans, ſitim ſedans, *reſolvens*, *diaphoretica*.

Qua purificatum magis a partibus tartareis crudioribus, minus incorruptibile, confert ad *ſolutiones* corporum *chemicas*, & ad mixtorum quorundam virulentiam coercendam.

USUS ad *labores* varios *pharmaceuticos* & *chymicos*, ad commodum menſtruum, e. g. ad terræ foliatæ tartari præparationem; ad varia *Aceta* infuſa.

Ad *Internum uſum* acetum ſimplex merito præfertur: deſtillatione enim olei & acidi privatum eſt hocce Acetum.

Externe qua *refocillans* in *lipothymia*, *ſyncope*, affectibus *ſoporoſis* naribus applicatum, variisque *epithematibus* miſcetur.

OBSERV. Quidam ſuadent *deſtillationem Aceti* vini q. pl. balnei martis calore, e retorta vitrea, ad quartam phlegmatis partem, & mutato excipulo ad limpidi humoris transgreſſum, probe aſſervandi. Ph. *Suecica*.

ACETI VINI NAPHTA.

Rec. *Aceti Radicalis*,

Spiritus vini rectificatiſſimi ana Libr. 1.

Mixta per aliquot dies in vaſculo probe clauſo frigide digerantur, usque dum odor, nec acetum, nec ſpiritum redoleat, ſed ſuavis ſit aceto proprius; liquor tunc leniſſimo igne deſtilletur ad dimidiam circiter partem.

Spi-

Spiritui huic in recipienti probe tranſacto addantur.

Salis Tartari in aquæ frigidæ unciis 3. ſoluti Drachmæ 6.

Commoto vitro, ſpontaneo motu ſecedens Naphta, in vaſe optime clauſo ſervetur uſui.

VIS *ſubtilior, acrior, penetrans* & *volatilis* magis.

USUS in iisdem affectibus uti Acetum ordinarie præparatum, in minori tantum doſi, qua fortior.

ACETUM VINI RADICALE.

Rec. *Aceti vini concentrati* Libr. dimid.

Salis ſodae depurat. qu. ſuff. adperfectam ſaturationem aceti.

Liquor filtratus ad ſiccitatem evaporandus. Sal hic medius retortæ, tantæ capacitatis, ut ad medietatem vix impleatur, injiciatur, & ſub continuo motu minuatim inſtillentur.

Olei vitrioli unc. 9.

Retortæ balneo arenæ impoſitæ adaptetur vas recipiens magnum, clauſis probe, veſicæ madefactæ ope, commiſſuris, deſtillatio leni continuetur igne, usque dum nebulæ in vaſe recipiente, & guttæ ad extremum retortæ collum ceſſent.

In vaſe vitreo bene obturato ſervetur uſui Acetum hoc.

VIS multo fortior quam antecedentium, &

USUS in iisdem quoque morbis.

ACETUM SCILLITICUM.

Rec. Radic. *Scillae* ſiccatæ conciſæ minutim, unc. 8.

Aceti vini albi acerrimi, unc. 96.

Dige-

Digerantur leni calore per octiduum, forti expreſſione coletur Acetum & dein filtretur.

VIS *diuretica*, in minori doſi a drachma 1 - 2; *vomitoria* in majori, ad drachmas 6. vel unciam 1.

USUS Ad *viſcidum* in *ſtomacho*, *inteſtinis*, *pectore*, *viis urinariis incidendum*, & *educendum*.

In affectibus *catarrhalibus*, *ſuffocativis*, a pituitæ ſtagnantis copia ortis, *tuſſi difficili*, *aſtmate humido*, *pituitoſo*, & *ſpasmodico*, in *infarctu* pectoris viſcido expediendo; *obſtructione bronchiorum*, *mucum* craſſiorem *reſolvendum*, & ad expectorationem promovendam.

In *hydrope* & *infarctu pectoris*, aliisque affectibus *hydropicis*, ac viſcerum abdominalium *obſtructionibus*, ad *orthopnoeam* & *anxietates* intolerabiles *hydropicorum*.

Ad *ſinapismos* efficacius aceto communi, ad effectus *renum*. *Gravitatem auditus* a pituita ortam, gargarizatione emendat iis, qui gingivas aut partes internas exulceratas habent.

Raro cæterum per ſe præſcribitur, maxime ad parandum oxymel.

OBSERV. 1) *Pharmac. Edinburg* præſcribit *Aceti* deſtill. Libr. 2. ad Radic. ſquill. ſiccat. unc. 4. ſpiritus vinoſi tenuioris unc. 2. quæ poſt macerationem 8. dierum addendæ ſunt, & ſi fæces ſubſederint, defæcatum effundendum eſt.

2) *Pharm. Herbipolit.* ſuadet ſquillæ ſiccatæ minutim inciſæ & piſtillo lign. contus. Libr. dimid. Aceti concentrati Libr. 4. per 4. dies leni igne digerendas, ſæpius agitando, poſt colaturam cum forti expreſſione addendum ſpiritus vini tenuioris unc. 3. Poſt 1 - 2. diei moram acetum de cantandum, & uſu aſſervandum.

OBS.

OBSERV. 3) In *pulmonibus laeſis*, uti & in *febribus acutis inflammatoriis* nocent ſquillitica. In majori doſi excitat, vim *emeticam*, in minori *purgantem*, in mitiori *diureticam*.

ACIDUM NITRI,

acido ſalis communis junctum, vide Aqua regis.

ACIDUM NITRI DULCIFICATUM, VINOSUM,

ſ. *Spiritus Nitri dulcis*, ſ. *Spiritus aethereus nitratus*, ſ. *Spiritus vinoſus nitroſus.*

Rec. *Spiritus vinoſi* rectificati. unc. 36.
Acidi nitroſi. unc. 12.

Infunde ſpiritum phialæ amplæ, in vaſe aqua frigida pleno poſitæ, parum tum adde acidum, aſſidue agitans. Phiala obturetur tantum leviter, & per 7. dies, reponatur in loco frigidiuſculo; deſtilletur tum liquor hic calore aquæ ferventis, in excipulnm aqua l. nive refrigeratum, quamdiu prodit ſpiritus.

VIS *carminativa*, *antiſpasmodica*, *anodyna*, *antiſeptica*, *temperans*, *diuretica*.

USUS in *febribus*, doloribus *colicis*, *flatuentiis*, *debilitate* ventriculi, *diarrhoea*, *ſpasmis*, irregularibus *haemorrhoidibus*, ſemper cum vehiculo aquoſo ſufficienti, guttæ 40-60.

ACIDUM NITRI COMMUNE,

vide *Aqua fortis communis.*

ACIDUM NITRI FUMANS,

ſ. *Spiritus Nitri concentratus*, ſ. *fumans*, ſ. *Glauberianus*, ſ. *Aqua fortis fortior.*

Rec. *Nitri depurati* pulveriſati & exſiccati Unc. 24.
Immitantur *Retortae vitreae tubulatae*, ſatis capaci, affunde ſub Camino, caute vaporem evitando, ſenſim & pedetentim.

Acidi vitrioli concentrati, Unc. 12.

In balneo arenæ *deſtillatio* tum leniter inſtituitur, excipulo prius ſatis magno & convenienter tubulato adplicato, & juncturis vaſorum probe ſimul clauſis, quo ſub forma fumorum rubicundorum *Acidum* prodit *penetrantiſſimum*, quod in *vitro*, epiſtomio vitreo clauſo, ſollicite cuſtodiendum eſt.

VIS *rodens*, *cauſtica*, multo *fortior* & penetrantior, quam Aquæ fortis, ſ. acidi nitri.

USUS ejus rarus in medendo; Ad *concretiones terreas externe*, & ad *verrucas calloſas*, ad *excreſcent.* cornu indolem æmulantes, ope penicilli caute adplicandum, ob *rodentem* & *cauſticam* ſuam *vim*, & interne noxiam, ne ulcera mali moris hinc oriantur.

Cæterum Chymicis & artificibus, ſolvendis præſertim Metallis Mineralibusque inſervit: & ad præparationem Aquæ fortis, & *Spiritus Nitri dulcis*.

OBSERV. 1) Acidum Nitri *Nordhuſanum*, in Saxonia ſitum, in plurimis pharmaciis diſpenſatur. *Piderit.*

2) Si *Aquae purae* unc. 24. vaſi recipienti inditæ ſunt ante deſtillationem, *Acidum Nitri dilutum habetur.*

3) E reſiduo, addito adſaturationem Alcali vegetabili fixo, obtinetur ſal medium *Nitri vitriolatum.*

4) Quidam Pharmacopæi e *Vitriolo vulgari* ad rubedinem calcinato, & *Nitri* puriſſimi partibus æqualibus deſtillant *Aquam fortem*; &

Quidam e Nitri depurati unc. 36. & vitrioli viridis calcinati unc. 12.

5) *Spiritus Nitri*, ope acidi vitriolici paratus, ab omni, quæ ipſi adhæret, labe

labe vitriolica liberatur, abſtractione a novo Nitro.

6) *Mangoniſatur* ſæpe Aqua fortis cum acido l. vitriolico l. ſalis communi; quod mox apparet ſolutione argenti, usque dum non amplius turbetur, dicitur tum *Aqua fortis praecipitata*, quæ eſt tum Acidum Nitri puriſſimum. *Spielm.*

ACIDUM NITRI TENUE,

ſ. *Nitroſum tenue, dilutum*, ſ. *Aqua fortis communis*, *ſ. Spiritus Nitri acidus communis tenuis.*

Rec. *Acidi nitroſi*, --- *Aquae commun.* ana.
Miſce, probe clauſum aſſerva. *Pfingſten.*

VIS *externe ſeptica, corrodens; interne* aqua multa dilutum *antiſepticum, temperans.*

USUS *externe* ad excreſcentias præternaturales: *interne* ad fibras roborandas, temperandum æſtum, ſitim in variolis, alcalinum corrigendum in corpore, aqua permulta dilutum, uti & ad *ulcera oris* purificanda & *faucium.*

ACIDUM SALIS CULINARIS COMMUNE, vel *ſimplex*, vide *Spiritus Salis communis acidus ſimplex.*

ACIDUM SALIS COMMUNIS,

ſ. *Muriaticum concentratum*, ſ. *Spiritus Salis communis acidus, concentratus Glauberianus.*

Rec. *Salis communis* exſiccati Unc. 24.
Immitte in *Retortam vitream* tubulatam, cum operculo mobili, caute inſtilla ſucceſſive,
Acidi vitrioli concentrati optimi, (ſeu *Nordhuſani*,) Unc. 12. Adaptetur *Excipulum* amplum, convenienter tubulatatum, in quod
Aquae communis deſtillatae antea infuſæ fuerunt Unciæ 3. Quo dein *de-*

ſtillatio inſtituitur, leni igne primum gradatim augendo, ad ſummum gradum, usque dum vapores nulli ulterius prodeunt. *Piderit.*

VIS *refrigerans*, *temperans*, *aperiens*, *diuretica*, leniter *laxans*, *cauſtica*, *antiſeptica.*

USUS in *febribus malignis*, *bilioſis*, *dyſuria*, *iſchuria*, ad guttas 8-20. in juſculo vel aqua multa deſtillata, ſ. communi, ſ. ſyrupo grato, ad amœnum Julepum acquirendum; ad *appetitum excitandum.*

Externe ſi melle roſarum eo mixto gurgulio & *fauces inflammatae* tanguntur, ne ſuppuratio aut plena corruptio conſequantur, & in ipſo *ſphacelo*, ad ejus progreſſum inhibendum confert. Cum Aqua mixtum ad *veſiculas oris;* cum Spiritu vini concentraſſimo confert ad *ulcera cancroſa; verrucas calloſas* penicilli ope.

OBSERV. 1) Acidum hoc ſincerius a Pharmacopæis religioſis deſtillatur, quam a ſeplaſiariis, qui id plerumque *Spiritu Salis Tartari* adulterant.

2) *Reſiduum* in retorta, aqua dilutum & per chartam colatum, cryſtalliſando dat *Alcali minerale ſaturatum vitriolatum*, ſ. *Sodam vitriolatam*, ſollicite a ſale communi ſeparandum. Pharm. *Suecic.*

3) Pharm. *Edinb.* præſcribit ad Salis marini unc. 24. Acidi vitriolici, & Aquæ communis ana unc. 12. prius bene leniter miſcendæ, ante ſalis communis admixtionem, & deſtillationem ulteriorem.

4) *Nocet* in debilitate pectoris, in ulceribus renum.

Aci-

ACIDUM SALIS COMMUNIS DULCE,

ſ. *Muriaticum dulcificatum*, ſ. *vinoſum*, ſ. *Spiritus Salis dulcis*, ſ. *Spiritus vinoſus muriaticus*.

Rec. *Spiritus vini* rectificatiſſimi immiſſi retortæ vitreæ, Unc. 12.
Acidi Salis culinar. guttatim affundend. Unc. 2.

Quo dein gradatim deſtillatio ſuſcipienda eſt e balneo arenæ, & rectificatio tum inſtituitur acquiſito acido hoc dulcificato.

VIS eximia *temperans*, *diſcutiens*, *aperiens*, *carminativa*, *diuretica*, *antiſeptica*, *antiſpasmodica*, *leniens*, *diluens*, & potior quam acidi Nitri dulcificati.

USUS in *febribus acutis*, putridis, biliofis, malignis, qua *antiſepticum*, acre *bilis* temperans, diſcutiens humores craſſos, *ſpasmos* ſimul concomitantes leniens. In *diarrhoeis*, *dyſenteriis*, *doloribus colicis*, *nephriticis*, in nimiis *haemorrhoidibus* ſpasticis, debilitate ventriculi *flatulentia*, *vomitu* bilioſo, doloribus *arthriticis* & *podagricis*, in quavis nimia *extenſione* vaſorum ſanguiferorum.

Externe in *angina* qua gargarisma: cum melle ad *ulcera oris*.

DOSIS a Scrupulo 1-2. pro gradu morbi, vel in Mixturis vel Julepis.

ACIDUM TARTARI CRYSTALLISATUM,

ſ. *Sal eſſentiale Tartari puriſſimum*, *concentratiſſ.*

Rec. *Cretae* pulveriſatæ ſubtiliſſimæ Unc. 24.
Aquae fluviatilis, Unc. 84.

In aheno ſtanneo coquantur leniter per ſemihoram, & reponantur dein loco frigido, ut ſubſidat creta. Aqua ſuper-

pernatante adjecta cretæ remanenti iterum affundantur, Aquæ Unc. 48. Poſt brevem ebullitionem ſenſim admiſceantur.

Pulveris *Tartari* depurati, unc. 82. l. qu. ſuffic. ad ſaturat. vaſe ab igne remoto, poſt ſemihoram, lixivium limpidum ſupernatans caute a ſedimento decantetur, in aliud ahenum ſtanneum, & eadem adhuc cautione reſiduum bis l. ter lavetur, cum *Aquae* Unc. 24. Elixationes omnes vero commixtæ per chartam colentur, ad ſiccitatatem evaporentur, ut colligatur *Tartarus Tartariſatus*, ſeorſim ſervandus.

Reſiduo in phialam dein immiſſo, ſ. ſeleniti-di tartareo, ſenſim ſuffundatur.

Acidi vitrioli tenuis Unc. 192. cum dimid. Mixtura ſupra arenam calidam, ſpathula lignea ſæpius ſubacta, per diem digeſta, liquor ſupernatans decantetur acidus in phialam decollatam, *reſiduo* vero admiſceantur, *Aquae communis* Unc. 24.

Per chartam fiat colatio, iterata aquæ adfuſione continuanda, donec liquor trajectus acidum perdat ſaporem. Abjecto dein gypſo in filtro remanente, elixationes acidæ in phiala ſupra dicta commiſceantur, & in arena evaporantur ad ſyrupi tenuioris conſiſtentiam, qui iterum percolatus ad cryſtalliſandum in cella reponatur. Cryſtalli tandem valde acidi hujus Tartari, poſt evaporationes repetitas collectæ, ſuper chartam emporeticam leni calore ſiccentur.

VIS *roborans, aperiens.*

USUS

USUS ad *roborandas fibras*, ad *acidam* acrimoniam corrigendam, ad *mucum* diſcutiendum; in *debilitate primarum viarum*, in *putrida bile*, *febribus malignis acutis*, *rachitide*, *ſcrophulis*.

Ad *aërem fixum* eliciendum ex acidis corporibus, alcalinis junctis, ad *lixivia* paranda.

DOSIS Grana 20 - 30.

OBSERV. Si acidi liquoris inſpiſſati cum quadruplo *Aquae* puræ *diluatur* ante cryſtalliſationem, & guttæ nonnullæ *Aceti ſaturnini* inſtillantur, album mox apparet ſedimentum. *Acidi Nitri* guttulæ quædam ſi huic affundantur, limpida ſubito fit mixtura, ſi purus ſit liquor tartareus, ac ab Acido vitriolico, penitus liber: ſin minus ſubito lacteſcit.

Huic vero *vitio* optime *medetur*, ſi *Acidum Tartari* cum Aquæ Unc. 72. denuo diluitur, & Selenitidis tartarei Unciæ nonnullæ addantur, digeruntur, ſubſequente nempe digeſtione, colatione & cryſtalliſatione.

ACIDUM TARTARI DESTILLATUM,

vel *liquidum*, ſ. *Spiritus Tartari ſimplex*.

Rec. *Tartari crudi* qu. pl. qui contritus retortæ fictili, l. ferreæ, tubulatæ immittitur, ut hujus duas tertias partes occupet, igne ſenſim aucto inſtituitur deſtillatio. Liquor, una cum oleo acidus tranſibit in vas recipiens amplum acid. ab oleo ſeparatum rectificatur. In retorta fictili l. ferrea reſiduum ſalinum, ex aqua fluviali dilutum & per chartam colatum quod coquitur, ad exſiccationem, exhibet *Alcali Tartari*; plane albidum, ſi iſtud non apparet, fit albidius uſtione, diſſolu-

tione, colatione & repetita evaporatione. Pharm. *Suecic.*

VIS *ſaponacea*, *incidens*, *attenuans*, *reſolvens* ob partes oleoſas, *diluens*, *irritans*, *aperiens*, *promovens excretiones lymphae*, *ſudorem*, *urinam.*

USUS in *obſtructionibus* vaſorum *lymphaticorum*, in *colica*, *menſibus* ſuppreſſis, *paralyſi*, *ictero hydrope.* Grana 20 - 40. pro doſi.

ACIDUM VITRIOLI

forte *concent.* ſ. *rectificat.*, ſ. *Oleum vitrioli concent.*

Rec. *Acidi vitrioli* qu. pl. quod in retorta vitrea ad modicum ignem coquendum, donec liquor deſtillans discretis guttulis in collo retortæ, poris inſtar non appareat. Liquor hic limpidus, in retorta remanens, calide adhucdum transfundendus eſt, in lagenam vitream ſiccam, ab aëris acceſſu probe muniendus epiſtomio vitreo. Ph. *Suecic.*

VIS *cauſtica*, *rodens*,

USUS ad varia paranda alia *remedia*, & advarios *labores pharmaceuticos* ac *chymicos*. Si *Acidi* hujus *concentrati* drachma 1. guttatim inſtillatur *Aquae fontanae* unciis duabus, & poſt efferveſcentiam peractam additur, *ſyrupi cujusdam* grati drachmæ 2. optimum tum præbet remedium temperans, antiſepticum, ter quaterve in die ſumendum, a drachma una vel altera, ex *copioſa aqua*, contra *ſcabiem*, a prædominio *acrimoniae alcalinae* ortam; ad *haemorrhagias ſiſtendas*; in *febribus putridis* & *humorum reſolutione. Pider.* *Externe* ad *cariem* & *carnem fungoſam.*

OBSERV. 1) *Optimum* ex *Anglia* venit *oleum vitrioli*; *Nordhuſia* e vitriolo Goslarienſi bonæ notæ deſtillatur. Non ex rubro

bro nigricans, nec partibus hetorogeneis remixtum, ſed *purum* & *diaphanum* probe aſſervandum eſt in *vitro*, *piſtillo vitreo* accurate clauſo.

2) *Acidum* hoc *vitrioli forte* elicitur quoque e *vitriolo martis*, phlegmate ſuperfluo, per calcinationem liberato.

ACIDUM VITRIOLI,

ſ. *Vitriol. tenue*, ſ. *Spiritus Vitrioli acidus tenuis.*

Rec. *Acidi vitrioli concentrati* Unc. 12. ſenſim inſtilla,

Aquae communis deſtillatae Unc. 72.

Miſce ſenſim & caute ſerva uſui in vaſculo probe clauſo. *Piderit.*

VIS *temperans*, *refrigerans*, *antiſeptica*, *coagulans.*

USUS *Interne Acidi* hujus largus uſus, egregium eſt remedium internum, ad *aeſtum ſebrilem* moderandum, *putredinem ſuperandam*, in *morbis putridis* & *febribus bilioſis*, præmiſſis neceſſariis evacuantibus, in *febribus caſtrenſibus*, *dyſentericis*, *petechialibus*, *exanthematicis*, *peſte*: in reliquis *febribus* e.g. *inflammatoriis*, mitius eſt adhibendum ad *aeſtum* temperandum, & motus febriles minuendos, non plane ſupprimendos.

Sic cautius in *exanthematicis*, ante eorum eruptionem, niſi præſentanea diſpoſitio putritrida, vel reſolutus ſanguis adeſt. In *variolis* per totum morbi decurſum, aqua dilutum; in *variolis* putridis & confluentibus: in *febre* 2da *ſuppuratoria* variolarum præcipue confert.

In *haemorrhagiis*, a putredine humorumque reſolutione, in larga vero doſi. In *ſcorbuto*, *ſcabie*, malo *hypochondr. hyſterico*, *febribus inflammatoriis* putridis vel ex his complicatis.

Externe ad *gargariſmata*, *collutoria*, & *linctus*, quæ in *angina inflammatoria*, *gangraenoſa*, *aphthis*, aliisque *oris ulceribus* valent. In *ulceribus* variis *putridis* cum aqua dilutum.

DOSIS varia pro *Morbi* diverſitate & *Medici* intentione, a Guttis 15. ad drachmam integram, vel in *Mixturis* vel cum *Syrupo*. Drachma 1. olei vitrioli ſufficit ad Menſuræ 1. aquæ communis aceſcentiam, & pro potu in æſtu febrili temperante, addito ſyrupo ſuavi temperante.

OBSERVAT. *Acidum Vitrioli rectificatum acetatum*, ſ. *Oleum Vitrioli aceto dulcificatum* egregium quoque exhibet remedium, viribus acidi tam vegetabilis quam mineralis intime junctis, ad *aeſtum febrilem temperandum*, *putredini* reſiſtendum, in morbis putridis, bilioſis, caſtrenſibus, *diarrhoeis*, *petechiis*, *exanthematicis* febribus, *peſte*, *variolis*. *Doſis* guttæ 10-15. Præparatur optime ex *Aceti deſtillati* partibus 6. & *Olei vitrioli* parte 1. mixtis digeruntur per 4. dies, & deſtillantur e lagena ad phlegmatis abſentiam.

OBSERV. *Acida mineralia*, temperando ſimul, ſanguinis maſſam condenſant, *vegetabilia* vero fluidiorem reddunt: hinc acida *mineralia* in *morbis putridis* magis proſunt, *vegetabilia* vero melius in *inflammatoriis* veris.

ACIDUM VITRIOLI VINOSUM,

vel *dulcificatum*, vide *Liquor anodinus mineralis Hoffmanni*.

ADEPS CURATA,

ſ. *purificata*.

Rec. *Adipis* qu. pl. membranulis, venis & fibrillis ejus diligenter exemptis, in aqua pura probe lava, tum liquetur ad ignem

ignem modicum, & poſt humidi exhalationem coletur. Pharm. *Suecic.*

AERIS FIXI PRÆPARATIO.

Rec. *Salis Tartari* depur. Drachm. 6. ſolve in *Aquae commun. deſtill.* ſ. puræ, Unc. 36. ſ. Libras 3. Signetur vitrum. Nro 1.

Rec. *Spiritus vitrioli* tenuis. Unc. 1. ſolve in *Aquae commun. deſtill.* ſ. puræ Unc. 36. ſ. Libr. 3. Signetur Nro 2.

Modus adhibendi & *Doſis.* Vaſculum coffeé porcellanum dimidium a Nro 1. ſumat æger, & tunc ſubito immediate ſumat a Nro 2. Vaſculum ejusdem plenitudinis, & repetatur omni hora, l. omni bihorio.

VIS fluidi hujus aëriformis, acidæ indolis, *antiſeptica*, *exſiccans*, *ſolvens.*

USUS in *phtiſi pituitoſa*, doloribus *calculi*, malo *calculoſo*; *haemorrhagiis ſiſtendis*, *menſium* & *haemorrhoidum obſtructionibus*, etiam in forma clysmatis: in *paralyſi* corrigens acre & rancidum in ventriculo, hinc in *cardialgia* inprimis ſubhac forma.

Rec. Cremor. Tartar. Scrupul. 2. Acid. Tartar. eſſent. Scrupul. 1.
Magnes. Salis commun. Scrupul. 1.
Miſce fiat pulvis, detur in 6. plo ſeorſim. Signetur omni bihorio pulvis. 1. *Selle.*

Cæterum ad *Dobſon* & *Plenck*, *uſus* in *ulceribus putridis*; *angina gangraenoſa*; *ozoena*, *inflammatione mammae*, *tinea* capitis *cancro* faciei aliarumque partium.

OBSERV. 1) *Applicatio fit* ope peculiaris machinæ, e qua aër fixus, e creta cum acido vitrioli efferveſcenti emanans, ope tubi ad partem læſam derivatur.

2)

2) Fluidum hoc aëriforme *acquiritur* & emanat *quoque* e creta, ſi cum acore quodam effervescit.

AERIS INFLAMMABILIS PRÆPARATIO.

Fluidum hoc aëriforme, ab igne admoto facile quod accendi poteſt, ſi prius cum aëre atmosphærico mixtum fuerit, emanat *e Metallo*, ope *acidi vitriolici* diluti, cum odore farcido deterrimo. *Plenck.*

VIS *reſolvens*, *antiparalytica*,

USUS in *paralyſi*, *debilitate* chronica, *rheumatiſmo* inveterato.

AER MURIATICUS.

Fluidum hoc aëriforme expellitur e *Sale culinari* ope *Acidi vitrioli* concentrati, cum odore croceo.

VIS *antiſeptica*; *aërem corrigens* putridis effluviis impletum; phlogiſti autem acceſſu corruptum nequaquam emendat. *Leonhardi.*

USUS in ſtatu *putrido* humorum corporis humani.

AERUGO,

ſ. *Aes Viride praeparatum*, ſ. *Viride Aeris.*

Rec. *Aeris viridis*, quod in mortario lapideo pulverifatur, & per cribrum trajicitur, aſſervatur uſui.

VIS *leniter corrodens*, *adſtringens*,

USUS ad *ulcera ſordida* mundificanda, cum cautela, ne *ad oſſa* admoveatur, & *cariem* iis inducat; cæterum ad varia medicamenta externa, e. g. ad aquas detergentes, & unguenta.

OBSERV. 1) *Aqua viridis Hartmanni*, quæ e *Vini albi* Unc. 24. *Viridis aeris* & *Aluminis* ana Unc. dimid. *Mellis* Unc. 1. con-

conſtat, confert eximie in *ulceribus malignis*, & *lardaceis oris & faucium*, in *decubitu gangraenoſo*, in *exuviis unguium. Plenck.*

2) Unguento e Drachma dimidia *aeruginis* & Unc. 2. Axungiæ *porcinae* confecto, capiti applicato, *tinea* curabatur. *Duncan.*

3) *Unguentum aegyptiacum*, ex oxymelle & ærugine conſtans, confert in *ulceribus* ſordidis. *Plenck.*

AERUGO CRYSTALLISATA,

ſ. *Aes viride cryſtalliſatum*, ſ. *Aeris flores.*

Rec. *Aeruginis* pulveriſati unc. 12.
Aceti deſtillati vini unc. 72.

Immitantur cucurbitæ vitreæ, macerentur in loco calido, acetum tinctum per inclinationem vaſis effundatur, novumque affundatur, & ſic aliquoties repetendum. In vaſe cupreo æs viride denique, addita ſufficienti aceti quantitate coquatur, ad ſolutionem congruam. Per filtrum omnes trajectæ tincturæ, leni calore ſunt evaporandæ ad cuticulam, & ad cryſtalliſandum in locum frigidum reponendæ, *cryſtalli* vero iſti leni calore exſiccandi inter chartam.

VIS *mundificans*, *exſiccans.*

USUS rarus in medicina, niſi ad *unguenta mundificantia*, non ſemper proficua, & Spiritus veneris deſtillationem, & ad *Acetum forte* acquirendum, magis cæterum ad uſum pictorium & mechanicum. Quidam eo utuntur, ſoluto in ſpiritu ſalis ammoniaci cum calce viva præparato, ad guttas 4 - 5. in *epilepſia. Pfingſten.*

Aes

AES USTUM.

Rec. *Cupri laminas ſtratificatas*
Sale culinari, ſtratum ſuper ſtratum, in crucibulo probe obturato per 12. horas comburuntur ad pulverem ſubtilem, aſſervandum in vaſe clauſo.

VIS *corrodens*, *ſeptica*, *purificans*, *exſiccans.*
USUS ad *ulcera exſicccanda.*

AETHER VITRIOLI,

vel *vitriolatus*, ſ. *Aether vini*, vide *Naphtha vitrioli.*

ÆTHIOPS ALCALISATUS.

Rec. *Mercurii vivi* rite depurati part. 1.
Lapid. cancror. præparat. part. 2.
Miſceantnr probe in mortario vitreo *triturationis* ope *diuturnae*, adſperſis hinc inde aliquot guttulis aquæ, ad perfectam unionem usque, adeo, ut & armato oculo globuli mercuriales non amplius detegantur.

VIS *haemocatarctica*, *ſialagoga.*
USUS ad *humores* acres *corrigendos* cum purgantibus, e. g. reſina Jalappæ, mixtum in *gonorrhoea*, *bubonibus venereis.*

AETHIOPS ANTIMONIATO MERCURIALIS,

ſeu *Antimonialis Huxhami.*

Rec. *Antimonii crudi* præparati Uncias 3.
Mercurii vivi rite purificati Uncias 4.
Florum ſulphuris Uncias 2.
Miſce omnia probe *diuturna trituratione*, in mortario lapideo ad perfectam unionem, usque dum globuli mercuriales microſcopii ope non deteguntur amplius; ſub qua interdum aliquot *Aquae* guttulæ adſperguntur. Servetur probe in vaſe vitreo.

VIS

VIS *anthelmintica; lympham acrem corrigens.*
USUS *Interne*, infantibus ad *vermes* a granis 8-10. ad *glandulas mucoſitate* & *pituita* obſeſſas liberandas; in *ſcorbuto*, *atrophia*, *ſcabie* inprimis *venerea*, in lue venerea, in inquinamentis venereis; *tumoribus* glandularum *colli;*
In *Arthritide* ſeroſa, in *cancro*, *oculorum* variis *vitiis*, *amauroſi*, *carcinomate:* ad lympham cæterum acrem corrigendam.
In *viſcerum exulcerationibus* vero noxius.
Externe ulceribus venereis mundandis inſpergitur.
DOSIS *adultis* ad *Scrupulos* 2. cum purgante convenienti.
OBSERV. Pharm. *Suecic.* præſcribit *Hydrargyri* purificati Unc. 1. & dimid. *Kermes mineral.* Unc. 1. In mortario vitreo probe terendum ad intimam commixtionem.

ÆTHIOPS ANTIMONIALIS, SIMPLEX.

Rec. *Antimon. crud.* ſubtiliſſ. pulveriſat. Unc. 2.
Mercur. vivi purificat. Unc. 1.
Terantur multum & diu in mortario vitreo, usque dum omnes globuli mercuriales evaneſcant, quod longa & patienti tritura optime perficitur: aſſervatur optime in vitro l. pyxide lignea.
VIS eximie *reſolvens*, *diſcutiens*; *ſanguinem purificans*; cæterum eadem ac Æthiopis mineralis.
USUS in *glandulis obſtructis ſcrophuloſis* abdominis, *venerea ſcabie*, *gonorrhoea* inprimis millepedibus mixtus. *Selle.*
DOSIS *adultis* grana 10-30. *Infantibus* grana pauca in initio ad plures.
OBSERV. 1) Pharm. *Herbipolit.* præſcribit *Antimonii crudi* pulveriſati unc. 6. In crucibulum calefactum ſevo inunctum, mox

mox tectum & igni commiſſum, injiciendum eſt, ſi candeſcit *Antimonium*, ſubito tum tegendum. Antimonio fuſo, & crucibulo ſublato ab igne, addendum eſt quid *Sevi*, & affundendum *Mercurii vivi* depurati Unc. 6. ad diverſa Antimonii fuſi loca. Tecto crucibulo per momentum, effundenda eſt materia adhuc fluens in mortarium ferreum calefactum, ſin refrixerit pulveriſandam, & ſuper porphyrite alkooliſandam.

2) Si huic Æthiopi antimoniali *ſalia* adduntur, fit corroſivum, quod ſalivationem promovet, ſi huic iterum *ſulphur* additur, ſalivatio ceſſat, quando vis ejus corroſiva ei demitur.

ÆTHIOPS MARTIALIS,

ſ. *Chalybs* vel *Mars praeparatus.*

Rec. *Limatur. ferri* puriſſimi non rubiginoſi q. pl.
Aquae fluvial. qu. ſatis eſt ad eam contegendam.
In vaſe vitreo, lato ſtent per plures hebdomades. Aqua undique ſubmerſa, limatura ſpathula lignea quotidie probe agitanda eſt, donec magna ferri pars in pulverem reſoluta ſit tenuem. Aquam illo turbidam probe decanta, ut quieta demittat pulverem nigrum ab aqua ſeparandum, celeriter exſiccandum, & ſupra porphyritem lævigandum, & in vaſe vitreo probe clauſo ſervandum eſt.

VIS *tonica*, *aperiens*.

USUS ubi *tonico* & *aperiente* ſcopo *Ferrum* adhibendum eſt. Æthiops hic martialis omnibus reliquis præparatis martialibus palmam omnino præripit. *Spielmann*.

DOSIS

DOSIS Scrupulus 1. pro doſi.

ÆTHIOPS MINERALIS,

ſ. *Mercurius* cum *ſulphure laxe mixtus.*

Rec. *Mercurii vivi* puriſſimi e cinnabari reſuſcitati. Unc. 3.

Florum ſulphuris Unc. 2.

Mixta, in mortario vitreo, piſtillo vitreo terantur, diu & diligenter, donec Mercurius disppareat, & pulvis acquiratur intenſe niger.

VIS *purificans* ſanguinem, *antivenerea*, *anthelmintica*, *antiſcabioſa*.

USUS in *ſcabie ſicca*, *lue venerèa*, *vermibus* infantum; in *febre quartana* cum China mixtus; in *tumoribus glandularum colli*, *ſcrophulis*, *exulcerationibus* inveteratis, fiſtuloſis; *phtiſi venerea*. *Ulceribus venereis* ſordidis inſperſus illa purificat. Sacharo mixtus æthiops ſubinde deglutitus *ulcera, vulnera faucium ſanat.*

DOSIS infanti tenero ad grana 3 - 5. adultiori ad ſcrupulum dimidium, homini adulto ad drachmam dimidiam, & per plures dies, ſine metu ſalivationis.

OBSERV. 1) Aut fieri poteſt præparatio ad Pharm. *Auſtr. Succic. Herbipolit. Sulphuri* qu. plac. in vaſe ferreo capaci leni calore liquefacto, ſi injicitur mercurii purificati æqualis portio, ſpathula ferrea, ſub agitatione continua per horæ dimidium, ad nigram maſſam mellis ſpiſſitudine, craſſior ſi maſſa fit, igne parum aucto liqueſcat, & refrigerato in mortario ferreo teratur in pulverem.

2) Fit quoque cum *duplici Mercurio*, & ad *Plenck.* Pharm. Chirurg. *partes aequales* præſcribuntur.

AGARICUS CHIRURGORUM PRÆPARATUS.

Rec. *Agarici*, pedis equini facie, ſ. *Boleti Igniarii*, in caudicibus antiquiorum Quercum l. Betularum, l. Fagorum reperiundi & menſe Auguſto vel Septembri colligendi, a cortice externo albo & duro, nec non inferiore fiſtuloſa ſubſtantia ſollicite cultri ope ſeparandi, media tenerior vero pars exſicc. tamdiu malleo percutienda, donec agaricus inſtar pellis rupicapræ inter digitos diduci queat, qua plane molliſſimum & leniſſimum. Quæ in majores minoresque lamellas diſciſſa, in uſum adſervendæ ſunt.

VIS *obturans*, *adhaeſiva*, non adſtringens.

USUS ad *haemorrhagias*, ex arteriis læſis, non nimis magnis, compeſcendas gradatim applicatus, faſcia comprimente firmatus.

Stypticum egregium ſi arteriæ vulneratæ ipſi lamellatim imponi poteſt. *Plenck.*

ALCOHOL VINI,

vide *Spiritus vini rectificatiſſimus.*

ALCOHOL ALCALISATUM.

Rec. *Cinerum clavellatorum* mundat: & leviter calcinat. Unc. 12.

Spiritus vini rectificati affunde. Unc. 12.

Mixta digere in phiala altiori leni igne: Alcohol ſupernatans ſepara prudenter a reliquo phlegmate.

VIS *fortior*, purior quam ordinarii Alcoholis.

USUS idem uti alcohol ordinarium.

Al-

ALKALI AMMONIACALE VOLATILE,
vide *Sal alcali volatile e Sale ammoniaco.*

ALKALI AMMONIACUM ACETATUM,
ſ. *Mixtura Salina volatilis.*

Rec. *Alkali ammoniaci* qu. plac. ſubinde agitando, per vices adde
Aceti concentrati qu. ſatis ad ſaturationem.
Pharm *Suecica.*

VIS *fortior* quam Alkali ammoniaci ſimplicis, & hinc
USUS tum ubi *fortiora* requiruntur remedia.

ALKALI AMMONIACUM AQUOSUM,
vide *Spiritus Salis ammoniaci ſimplex*, ſ. *aquoſus.*

ALKALI AMMONIACUM CAUSTICUM,
vide *Spiritus Salis ammoniaci cauſticus.*

ALKALI AMMONIACUM VINOSUM,
vide *Spiritus Salis ammoniaci vinoſus.*

ALKALI AMMONIACUM SUCCINATUM,
vide *Spiritus Salis ammoniaci ſuccinatus.*

ALKALI CAUSTICUM,
vide *Lapis cauſticus chirurgorum.*

ALKALI FIXUM HERBARUM,
vide *Sal Abſynthii.*

ALKALI LIGNORUM,
ſ. *Cineres clavellati depurati.*

Rec. *Cinerum clavellatorum.* Vnc. 24.
Aquae fluvialis. Unc. 36.

Fiat lixivium, quod per linteum frigide colatum, in o la ferrea coquatur, donec exſiccetur, tum in crucibulo ad ignem fluat; repetita ſolutione, defæcatione, & exſiccatione, *ſal purior* redditus ſervetur. *Piderit.*

VIS *acidum involvens, deſtruens, abſtergens, reſolvens, arrodens, acris.*

USUS ad *praeparata* varia *chemica* & *pharmaceutica*, ad *ſtimulandas* ſe & excretiones, in *ardore ventriculi*, humoribus pituitoſis. Sub *Sale Tartari* de uſu & viribus plura.

OBSERV. 1) *Göttling* ſuadet *Cineres clavellator.* qu. ſuff. ſolvendi in *Aquae* ferventis qu. ſuffic. filtrandi, et reponendi adfrigeſcentiam, quo tum cryſtalliſatur in eo contentus *Tartarus vitriolatus.* Poſt refrigerium defunditur lixivium alcalinum a cryſtallis acquiſitis; quale lixivium denuo inſpiſſatur & poſt refrigerium exhibet eosdem cryſtallos. Repetitur hic labor toties, quoties cryſtalli apparent novi. Exſiccatur leni igne remanens lixivium alcalinum, in vaſculo puro ferreo, ad ſiccitatem, & aſſervatur qua plane purum *Sal alcalinum vegetabile*, quod jure adhiberi poteſt uti verum & genuinum *Sal tartari.*

OBSERV. 2) In regionibus, in quibus *Vinum* colitur loco eorum *Sal Tartari* ſumi poteſt, quod etiam purius nec cum *Salibus heterogeneis* inquinatum eſt. *Piderit.*

ALKALLI MINERALE FIXUM.

Rec. *Sodae* hiſpannic. contrit. qu. plac. l.
Alcali minerale nativum,

Aquae

Aquae fluvial. fervid. qu. ſuffic. ad diluendum.
Lixivium per linteum colatum, poſt lenem exhalationem, in vaſe vitreo ſeponatur loco frigido, ut cryſtallos demittat. Pharm. *Suec. Roſſica.*

VIS *acidum* quodvis *involvens*, ad corpus medium producens.

USUS ad *praeparata* varia *pharmacevtica*, ubi purum requiritur alcali, uti & ad *labores* alios *chemicos.*

OBSERVAT. *Göttling* ſuadet, partes 8. *Salis mirabilis Glauberi* cum tribus & dimidia parte puris *Alcalini Salis* in ſufficienti quantitate *Aquae* ſolvendi, & ad cryſtalliſationem infrigore reponendi. Quo dein primum apparebit verus *Tartarus vitriolatus* in forma cryſtallina, & tum *Sal minerale*, purum in forma cryſtallina.

ALKALI MINERALE TARTARISATUM,
ſ. *Soda Tartariſata.*

Rec. *Alkali mineral.* fixi Unc. 12.
Aquae fluvial. Unc. 36. Lixivio fervido ſenſim *Cremoris Tartari* adde qu. ſuff. ad ſaturationem.

Liquor colatus per chartam evaporet, donec pellicula appareat, loco tum frigido reponatur, ut cryſtalli formentur. Pharm. *Suecica.*

VIS *fortior* quam Alcali mineral. ſimplic.

USUS ubi *potentiora reſolventia*, *aperientia* in *obſtructionibus* viſcerum & vaſorum ſecretoriorum & excretoriorum requiruntur.

ALKALI MINERALE VITRIOLATUM,
vide *Sal mirabile Glauberi.*

ALKALI NITRI ACIDO VITRIOLI JUNCTUM,
vide *Arcanum duplicatum.*

ALKALI TARTARI ACETO VINI SATUR.
vide *Arcanum Tartari.*

ALKALI TARTARI,
vide *Sal Tartari.*

ALKALI VEGETABILE TARTARISATUM,
vide *Tartarus tartariſatus.*

ALKALI VEGETABILE VITRIOLATUM,
vide *Tartarus vitriolatus.*

ALKALI VOLATILE CAUSTICUM,
vide *Alkali ammoniacum cauſticum.*

ALKALI VOLATILE,
e Sale ammoniaco; ſ. *Sal ammoniacum*, ſ. *Sal anti-hyſtericum - antihypochondriacum - antifebriſugum - digeſtivum Sylvii.*

Rec. *Salis Ammoniaci* Unc. 12.
Cretae puriſſimae ſicciſſimæ Unc. 24.
Miſce bene, & ſublima e retorta igne forti.
Pharm. *Edinburgenſ.*

VIS *attenuans*, *incidens*, *reſolvens*, *diaphoretica*, *diuretica*, *refrigerans*,

USUS in *febribus*, quartanis, tertianis,

DOSIS Grana 20.

OBSERV. Pharm. *Würtenb.* præſcribit *reſiduum* a deſtillatione *Spiritus Salis ammoniaci*, cum *Sale alcalino* præparati, ſolvendi in Aquæ communis puræ ferventis qu. ſuffic.; ſolutionem filtratam evaporandi in olla terrea vitreata, ad ſiccitatem, bene agitando ſpatula, ad remanentiam *Salis ſicci* albiſſimi, medii conſtantis ex *acido Tartari* & *Alcali Salis ammoniaci.*

Aloe

ALOE DEPURATA,

ſ. *lota*, ſ. *Extractum aloes aquoſum*, l. *gummoſum*.

Rec. *Aloes ſuccotrinae* q. v. digeritur cum
Aquae fontanae frigidæ duodecuplo,
In vaſe vitreo per aliquot dies, ad reſinoſam partium cum fæcibus ſubſidentiam, quo tum clarum a ſpiſſo ſeparatur per decantationem & colationem, lentoque igne ad extracti conſiſtentiam evaporatur.

VIS alvum *laxans* hujus partis gummoſæ, in minori vero doſi, & tam ſubito tamen efficiens, quam ſola Aloe ſuccotrina, minime tam noxiis partibus reſinoſis liberata, hæmorrhoidalium motuum ſæpius cauſa, qui frequentiorem aloeticorum uſum ſequuntur.

USUS in *alvi obſtructionibus* pertinacibus. *Reſinoſa* pars in *vulneribus* proficua, & in ſpiritu vini ſoluta exhibet præclarum *unguentum digeſtivum*, etiamſi pars reſinoſa aloes tormina, teneſmum hæmorrhoides producit; gummoſa vero in pauciſſimis granis alvum *laxat*, & eo melius cum aliis remediis laxantibus, vel pilulis variis purgantibus optime miſcetur.

DOSIS Grana 3 - 8. ſufficiunt ad alvum ſtimulandam, ad laxandam vero grana 15 - 30.

OBSERV. 1) Quidam addunt Succi citri depurati. Unc. 12. Alii ſuadent, ne pars præcipua efficax *reſinoſa* primum perdatur, aliquid acquirendi, addito *Spiritu vini debili aquaſo*.

2) Si loco aquæ Succi florum cordialium recipiuntur, ſurgit *Aloes inſuccata*; ſi Infuſum florum Roſarum, Aloes *Roſata*; cum Infuſo autem florum Violarum *Aloes violata* audit. Vires ſunt eædem, ergo jure eviluerunt.

ALUMEN USTUM.

Rec. *Aluminis* vulgar. albi, quantum libet, in fictili olla, non vitreata, nova, l. ferrea l. crucibulo uretur & calcinetur, tamdiu effervefcit ac tumet, usque dum maſſa lævis, poroſa, & ſpumoſa evaſerit, expulſa tunc maxima humidi parte tollitur de igne, ne totum ſimul acidum vitriolicum diffletur, & ſervetur uſui.

VIS *purificans*, *adſtringens*, leniter *cauſtica*, *corrodens*,

USUS *Externe*, in forma pulveris ſubtilis, ad *ulcera repurganda*, *carnem luxuriantem* & *fungoſas excreſcentias* in neonatis circa umbilicum, & alia loca. *Emplaſtris* & *unguentis* mixtum ad *dentifricia deterſiva* caute adhibendum, ob vim ejus facile arrodentem, uti & ad *gingivas* luxuriantes.

Interne in *colica pictonum* ſed caute. *Piderit.*

ALBUMEN ALUMINOSUM.

Rec. *Aluminis crudi* Drachma 1.
Albuminis ovi. Nro. 1. *Aquae Roſarum* Unc. 1,
Miſce ad linimentum.

VIS *repercutiens*, *diſcutiens.*

USUS in *ophthalmia humida*, inter lintea oculo applicandus. *Plenck.*

ALBUMEN SPIRITUOSUM.

Rec. *Albuminis ovi.* Nro. 2. *Alcoholis vini* Unc. 1.
Miſce ad linimentum.

VIS *repercutiens*, *tonica.*

USUS ad præveniendum *decubitum*. *Plenck.*

Alu-

ALUMEN SACHARINUM.

Rec. *Alumin. Crudi* vulgar, Unc. 6.
Ceruſſae Venetae albae, Drachm. 6.
Vitrioli albi Drachm. 3.
Sachari albi *canarienſis* Unc. 1. & dimid.

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui albumine in paſtam reducatur, unde parvi ovorum coni efformentur, qu. l. exſiccati, charta cærulea obvolvantur.

VIS *exſiccans*, *detergens*,

USUS in *collyriis* & ad *cosmetica*, ad *carnem luxuriantem* auferendum.

ANIMA RHABARBARI,

vide *Tincturam Rhabarbari*, ſ. *Infuſum Rhabarbari.*

ANTIMONII BUTYRUM ET CINNABARIS,

ſ. *Cauſticum antimoniale*, ſ. *Antimonii Regulus* in *acido Salis ſolutus.*

Rec. *Mercurii ſublimati* corroſivi Unc. 36.
Antimonii hungaric. crudi Unc. 12.

Trita in mortario l. lapideo l. vitreo, optime in pulverem miſcentur, & per quasdam dies relinquantur, cavendo a vaporibus exhalantibus, humida inde facta miſcela immittitur retortæ, vitreæ, lati brevisque colli, cujus tertia ſaltem pars vacua remaneat. Adaptato & lutato recipiente, ſublimatio ex arenæ balneo ſuſcipitur leni igne, tum fortiori donec aſcendet liquor ſpiſſior, retortæ collo inſtar, glaciei adhærens, plane expulſus, qui nimis concreſcens, collique oppilationem minitans, admotis liquefactus prunis interdum caute in vas recipiens propellitur nomine *Butyri antimonii.*

Obtento hoc & liqueſacto, ad ſummum urgendus eſt ignis, ut aſcendat *Cinnabaris Antimonii.*

Refrigeratis omnibus, Cinnabaris ſublimata, rejecto ſulphure, quod ſuperiori ejus parti adhæret, conteratur ſubtiliter, abluatur Aqua fontana, & denuo e cucurbita ſublimetur: Magis vero nigricans ſemper apparens præ nativa & factitia; cujus quantitas ad quantitatem Antimonii adhibiti proxime ſolet accedere.

Butyrum ſeorſim probe ſervandum eſt, quod una tertia parte cedit quantitati Mercurii ſublimati, quæ recepta fuit. Pharm. *Würt.* & *Spielmann.*

VIS *cauſtica*, *ſeptica*, *corrodens*, *reſolvens*, *diſcutiens*, Butyri Antimonii.

USUS loco *cauterii*, qua concentratiſſimus Salis Spiritus, regulo Antimonii corroſo unitus, & ad diverſas *chymicos* ac *pharmacevticos labores* utilis. Liquido hoc cauſtico *callus ulcerum*, aut fiſtularum atque *condylomata venerea*, nec non *ſtaphylomata* corneæ poſſunt auferri, uti & *cicatrices*, indurationes ulcerum.

OBSERV. 1) Vis *Cinnabaris Antimonii* eadem fere uti alia mercurialia remedia, in *vermibus*, lue *venerea*, *epilepſia*: a granis 5-20.

2) Pharmacopæa generalis *Spielmanni Mercurii ſublimati* Unc. 15. ad *Antimonii crudi* Unc. 6. præſcribit.

3) *Göttling* præſcribit, qua convenientiſſima methodo,

Vitri antimonii pulveriſat. Unc. 4. probe miſcendi cum

Sal culinar. Unc. 16. Qualis mixtura probe aſſervanda in retorta vitrea, cui ſenſim affundendæ ſunt

Olei

Olei vitrioli Unc. 12. antea diluti Aquæ communis Unc. 8.

Retorta tum immittitur balneo arenæ, gypſo lutum adplicatur, & excipulum, quo leni deſtillatur igne, tum fortiori, usque dum in recipiens vaſculum tranſiverit omne fluidum, quod finita deſtillatione exhibebit Unc. 20. *Olei valde fortis fumantis Antimonii* in excipulo. Reſiduum aqua dilutum cryſtalliſatum exhibet *Sal mirabile Glauberi.*

ANTIMONIUM CRUDUM PRÆPARATUM.

Rec. *Antimonii crudi* quantum placet; in mortario lapideo l. ferreo pulveriſetur, lævigetur in pulverem tenuiſſimum ſupra porphyritem; dein cum *aqua* multa permiſce, agita probe eam, ſimulac turbida reddita fuerit, & polline tenuiſſimo ſatura, decanta, ut quieſcendo ſubſidat pulvis; ſuperſtes materia, quam aqua ſuſtinere non potuit, iterum lævigata eodem modo tractetur, idque toties repetatur, donec omnem materiam alkooliſatam exhauſeris. Pulveri omni alkooliſato, exhauſto, & ſubſidente aqua decantetur, & Antimonium in fundo vaſis remanens exſiccetur, atque uſui ſervetur.

VIS *diaphoretica*, *ſanguinem purificans*, *reſolvens.*

USUS Hac elutriatione & tenerrimum & ab omnibus partibus heterogeneis liberum *Antimonium* obtinetur, ad varia præparata antimonialia proficuum; in *impuritatibus cutis*, *ſero acri viſcido*, ipſoque venereo, morbis *arthriticis*, *contractura*, *paralyſi*, *gonorrhoea* male curata.

In

In *copia acidorum* humorum ventriculi, cum abſorbentibus, & cum aromate, ad evitandum *vomitum;* in *ſcabie*, *ſcrophulis*, *tumoribus rhevmaticis*, *ulceribus chronicis*, lue *venerea inveterata.*

DOSIS a granis 6 - 20.

OBSERV. 1) In forma *decocti* vel *infuſi* præſcriptum ſal alcali addendum requiritur ad partes ſulphureas ſolvendas. *Piderit.*

2) In *ſcirrhoſis viſcerum obſtructionibus noxium.*

3) Ad normam Diſpenſat. *Suecic.* Antimonium crudum in mortario ferreo contritum cum Aqua miſcenda & agitanda eſt. Aqûa polline tenuiſſimo ſatura transfundenda eſt in vas idoneum & ſeponenda. Reſidua pars pulverulenta craſſa, denuo trita, pari modo tractanda; pulveres huic ſubſidentes tenuiſſimi ſiccati ſervandi ſunt.

4) *Antimonium crudum ceratum* commendatur quoque ad *ſanguinem ſiſtendum.*

ANTIMONIUM DIAPHORET. SIMPLEX,

ſ. *nitratum*, ſ. *non ablutum*, ſ. *Reguli Antimonii Calx ferrea non lota*, *Nitri alcali cicurata.*

Rec. *Antimonii crudi* Unc. 12.

Nitri puri optime ſiccati Unc. 24.

Seorſum pulverata & bene mixta in *crucibulum* capax ignitum ſucceſſive injiciantur ut detonent, ſpatha ſubinde maſſam movendo, ut materia æqualiter deflagret, & calcinetur per ſemihoram. Maſſa tandem tota injecta *calcinetur* adhuc tantisper, removeatur ab igne aqua albicans, ſufficiente quantitate aquæ diſſolvatur, pulvis albus fundum petens, co-

copioſa affuſa aqua diluatur, ut commovendo ſubtilior pars cum ea decantari poſſit, quæ edulcorata & ſiccata uſui aſſervanda eſt.

Tres quartas partes ponderis antimonii, quod receptum fuit, æquat. Si aqua ſalſa, nitrum continens antimoniatum, non decantatur, ſed una cum calce evaporando exſiccatur, *Antimonium diaphoreticum* non *ablutum* audit, quod ad *Boerhavii* obſervationes, a multis magis efficax habetur, quam ablutum Antimonium diaphoreticum.

VIS *abſorbens*, *alexipharmaca*, *diapnoica*, *diaphoretica*, *haemacatarctica*, blande *reſolvens*.

USUS in *febribus* cujusque generis; *exanthematibus*. *Purgantibus* admixtum eorum vires acuit.

Non ablutum *incidens*, *expectorans*, in glutine pulmonum, & in *morbis cutaneis* proficuum.

Egregie *reſolvit* humores ſpiſſos primarum viarum.

Radice ipecacuanhæ l. rhabarbari junctum ad grana 8 - 10. eximie *purificat* & *diſcutit*.

DOSIS a grana 15 - 30. in majori doſi ſtomacho noxium; uti vomitum excitat non recens paratum.

OBSERV. 1) Si 3. *Nitri* partes ad unam *Antimonii* fuerint receptæ, ex aqua ad edulcorationem adhibita, recuperatur Nitrum, quod ſub labore non deſtructum fuit, ſed ad cryſtalliſandum repoſita exhibet cryſtallos, quæ vocantur *Nitrum antimoniatum*, ſ. *ſtibiatum*, ſ. *Nitrum anodynum*, ſ. *Anodynum minerale*, quod calcem antimonii vehit. Securius Nitrum depuratum, quam antimoniatum, ex quo vel ſolum acidum vegetabile, rodentem ſpiritum expellit. *Spielmann.*

2)

2) Solet quoque prior maſſa poſt detonationem aſſervari, ſine ulla Aquæ affuſione, quæ tunc dicitur *Antimonium diaphoreticum non ablutum.* Pharm. *Auſtriac.*

3) In pharmacopœis vulgo *Antimonium* hoc *diaphoreticum* ita præparatur, ut lixivium, edulcoratione Antimonii diaphoretici remanens, inſpiſſetur ad cryſtalliſationem: quo in lixivio contentum *Nitrum* & *Tartarus vitriolatus* criſtalliſatur ſeparatim, nil continentibus a partibus antimon. & qua partes remanentes in lixivio cryſtalliſabili ſe manifeſtantes.

Si totum vero lixivium inſpiſſatur, remanet *Materia perlata*, eo efficacior, quæ a Sale alcalino ſoluta aſſervatur. Quale *Nitrum antimoniatum* in *febribus inflammatoriis* valde proficuum ſemper reperiit, *Selle*, & multo efficacius, quam Nitrum vulgare, *reſolvens*, & tranſpirationem promovens.

Ob vim ſuam emeticam ab exigua doſi incipiendum eſt gradatim aſcendendo, ubi cochleare 1. omni hora valde ei contulit a drachmis 2. hujus Nitri antimoniati in unciis 6-8. ſolutis. Cujus loco adhibuit Antimonium diaphoreticum non edulcoratum, majorem Antimonii calcem continens, in minori itaque doſi adhibendum.

Cum Acidis vegetabilium nunquam combinandum eſt, ob metuendam ſeparationem.

ANTIMONIUM DIAPHORETIC. ABLUTUM,

ſ. *Antimonii Calx elota.*

Rec. *Antimonii diaphoretici nitrati* q. v. ſæpius iſtud abluatur aquæ tepidæ quantitate ſufficiente, donec hæc inſipida prodeat.

Aqua

Aqua tum una cum pulvere trajiciatur per linteum album mediocris texturæ, ſpathula mixturam movendo, ut per colum ſubtilior pars pulveris facilius tranſeat. Quieſcat tunc, donec omnis pulvis ſubſederit. Aqua limpida decantetur, & pulveri nova affundatur aqua, idque toties repetatur, donec inſipida inde redeat. Pulvis tum exſiccetur & ſervetur uſui.

Aqua hæc colata, & cryſtallis generandis expoſita, dabit ſalem, vulgo *Nitrum Antimoniat.*

VIS eadem cum *Antimonio diaphoretico non abluto.* Quorundam obſervationibus mitior.

USUS æque idem.

ANTIMONII REGULUS SIMPLEX, MARTIALIS MEDICINALIS,

vide *Regulus Antimonii ſimplex.*

ANTIMONII SULPHUR PRÆCIPITATUM,

vide *Sulphur Antimonii auratum.*

ANTIMONII TINCTURÆ,

vide *Tinctura Antimonii.*

ANTIMONII VINUM,

vide *Vinum Antimonii*, ſ. *antimoniatum.*

ANTIMONII VITRUM SIMPLEX.

Rec. *Antimonii pulveris*, qu. plac.

In vaſe figulino non vitreato pulveriſatus calcinetur, ita ne in grumos eat. Crucibulo inditur, & aucto igne funditur, ſi fumus non amplius aſſurgit, donec maſſa æqualis & transparens apparet, quod ex exigua portione, virgæ ferreæ immiſſæ adhærente, commode poteſt

poteſt explorari. Effunditur tum ſuper laminam æneam caleſactam.

VIS *adſtringens*, *emetica* paucis granis.

USUS ad *haemorrhagias*, *impuritates* primarum viarum: cæterum ad præparationes varias aliorum remediorum pharmacevticorum.

ANTIMONII VITRUM CERATUM.

Rec. *Vitri Antimonii* pulver. Unc. I.
Cerae flavæ, Drachm. I.

Miſceantur bene in cochleari ferreo ſub perpetua agitatione, ubi materia refrixit, in pulverem teritur.

VIS mitior *adſtringens*, *emetica* quam non cerati.

USUS ad *haemorrhg.* uteri ſiſtendas, ad *dyſenteriam*.

DOSIS grana 4 - 8.

AQUA AERIS FIXI.

Rec. *Aquae fluvialis* qu. lib. quæ probe eſt ſaturanda *Aëre fixo*, e ſolutione *Cretae* in *Acido Vitrioli* prodeunte, aut alia ſimili: vel cum Aëre fixo e fermentantibus liquoribus prodeunte. Ph. *Roſſica*.

VIS *acidum involvens*.

USUS in *ſaburra acida humorum* inprimis viarum primarum, & *aſthmate*, *diſpnoea*.

AQUA AERIS FIXI MARTIALIS.

In *Aqua aëris fixi*
Fila ferrea ſuſpenduntur, donec
Aqua a ſoluto ferro ſaturetur;
hæc tripla, aut ubi exigitur, dupla portione ſimplicis *Aquae Aëris fixi* diluitur. Ph. *Roſſica*.

VIS fortior, magis *roborans*, *tonica*.

USUS in *debilitate* partium, viſcerum abdominalium.

Aqua

AQUA ALEXITERIA SIMPLEX LONDINENSIUM.

Rec. Foliorum *Menthae vulgaris* recentium Unc. 2. & dimid.
Summitatum *Abſinthii pontici* recent.
Radic. *Angelicae* recent. ana Unc. 2.
Aquae comm. Unc. 70. ſeu q. ſ. ad evitandum empyrevma.
Deſtillatione congrua eliciantur Unc. 21-24. Pharm. *Londin.*

OBSERV. Si ante deſtillationem pro aqua *ſpirituoſa* addantur *Spiritus vini* Unc. 32. acquiritur *Aqua alexiteria ſpirituoſa.*

Si vero Aquæ ſpirituoſæ Unciis 16. adjiciuntur *Aceti vini* electi Unc. 2. ſurgit *Aqua alexiteria ſpirituoſa cum aceto.*

VIS *alexipharmaca*, *ſudorifera.*

USUS in *exanthematibus*, debilitate nervorum, in *contagioſis* morbis præſervative, cochleatim.

AQUA ALUMINIS VITRIOLATA.

Rec. Solut. *Alumin ſaturat.* Unc. 12. inſtilla *Spiritum vitrioli* ſub continua agitatione - eousque, donec exacte miſceantur, & ſolutio ſtipticum ſaporem deponat. ſ. ad gratam aciditatem, aciditati ſucci citri recent. expreſſi ſubæqualem.

VIS *ſanguinem ſiſtens* extus adhibitum, *purificans*, *mundificans.*

USUS in *haemorrhagiis*, ad *ulcera cacoëthea* & *venerea* mundanda.

OBSERVAT. Quidam uti *Spielmannus* in Pharmacop. general. loco Spiritus vitrioli, Mercurium ſublimatum præſcribunt; & loco ſimplicis Aquæ

UNIVERSITY OF MARYLAND LIBRARY ... 1913 ... OF MEDIC

ad Alumen ſolvendum, Aquas deſtillatas Roſarum, Plantaginis, quæ huic ſcopo non efficaciores ſunt.

AQUA ANETHI.

Rec. Seminum *Anethi* Unc. 12.
Aquae communis Unc. 88.

Per 24. horas macera, deſtillatione tum, non fortiori ignis gradu acceleranda, eliciantur Unc. 72. ex Alembico cum vaſe frigidario amplo, aqua ſemper repleta frigida; vel quantum ſufficit ad evitandum empyrevma.

VIS *carminativa*, *antiſpasmodica*, *tonica*, *roborans*.
USUS in *flatibus*, *colica flatulenta*.

AQUA ANISI COMMUNIS,

Inſtituitur uti *Aquae anethi* & ſic eadem VIS & USUS.

AQUA ANISI SPIRITUOSA,

vide *Spiritus Aniſi*.

AQUA AROMATICA, SEU SPIRITUOSA.

Rec. *Caſſiae florum* Uncias 2.
Corticum Citri externorum recentium. Unc. 1.
Caryophyllorum aromaticorum Unciam ½.
Piperis Jamaicenſis Drachmas 2.
Spiritus vini optimi, & *Aquae fontanae* ana Unc. 96.

Per biduum digere & deſtillentur Unc. 96. dilue cum
Aquae fontanae Unc. 48. edulcora cum
Sachari canarienſis Unciis 8.

Mixta aſſerva probe uſui. *Piderit*.

VIS *digeſtiva*, *incidens*, *carminativa*.
USUS in *digeſtionis*, concoctionis vitio, *colica flatulenta*, *ventriculi* & in *teſtinorum debilitate*, in viſcidum

dum, flatuum fomitem incidens, ſolida *robo-rando* expellens.

DOSIS ab Uncia dimidia ad unam.

OBSERV. Succedaneum omnium Aquarum Carminativarum. *Piderit.*

AQUA AROMATICA DANICA.

Rec. Herbæ *Menthae piperitidis* Unc. 3.
Cinnamomi Unc. 2. *Macis*. Unc. dimid.
Flavedinis *corticum Citri* Unc. 1.
Semin. *Angelicae*. Unc. 1.
Spiritus Vini Unc. 144.
Deſtillatio inſtituatur conſueto more. Ph. *Danica*.

VIS *tonica*, *roborans*, *ſtomachica*.

USUS ſpiritus hujus aromatici in *debilitate primarum viarum*.

DOSIS parvum cochleare.

AQUA AURANTIORUM FLORUM, ſ. *Naphae*.

Rec. *Naphae*, ſ. *Aurantiorum florum* rec. antea parum *Sale culinari* conditorum Unc. 36.
Aquae communis Unc. 182. l. qu. ſuffic. ad empyrevma evitandum, *deſtillatione* eliciantur Unc. 96. quæ probe aſſervandæ ſunt.

VIS *reficiens*, *confortans*, cum odore ſuavi, *antiſpasmodica*, *analeptica*.

USUS ad *affectus hyſtericos*, *nervorum debilitates*.

DOSIS ab Unciis 2-4.

OBSERV. Pharm. *Herbipolit.* ſuadet deſtillationem flor. *Aurant.* recent. ſale conditar part. 1. ad Aquæ commun. part. 4.
Pharm. *Roſſica* ſuadet e flor. Aurant. Unc. 36. & totidem unciis Aquæ commun. deſtillatione eliciendi Unc. 36.

AQUA BATEANA ALUMINOSA,

vide Aqua ſtyptica.

AQVA BENEDICTA COMPOS. BATEANA,

vide *Aqua calcis compoſita.*

AQUA BENEDICTA RULANDI,

ſ. *Vinum antimoniatum Huxhami*, ſ. *Eſſentia antimonii* ejusdem, ſ. *Vinum emeticum.*

Rec. *Croci metallorum* Unc. 2.
Vini gallici optimi Unc. 60.

Stent per aliquot dies in digeſtione, tunc exacte filtretur, & uſui conſervetur.

VIS *emetica*, potens, & efficax *reſolvens* ex antimonialibus præparatis in doſi mitiori.

USUS in *peripnevmonia* qua *ſialagogum*; in *obſtructionibus* omnibus *viſcerum*; in mania ad Unc. 8-10. gradatim.

DOSIS Unc. 1-2. valide *vomitum* movet. Drachmæ 2-3. lenem *vomitum*, & aliquoties per alvum, a guttis 30-60-80. *ſudorem* excitat, alterat, ſe-& excretiones promovet ad Unc. 2. in *hydrope*: ad *obſtructiones* rebelles *abdominis* Unciæ quædam in clysmatibus.

OBSERV. *Vinum antimoniatum Huxhami*, differt ab hac Aqua benedicta in eo tantum, ut loco *Croci Metallorum* ſumatur *Vitri Antimonii* pulveriſati, Unc. 1. cum Unc. 24. *Vini Hiſpanici* ſeu *Madera* digeſta, per 12. dies, quo partes regulinæ æque ſolvuntur. Liquor clarus bene filtrandus eſt: Qua magis efficax *Vitrum Antimonii*, hinc in *doſi* minori ſumendum eſt *Vinum Huxhami*, qua eque *potentiſſimum reſolvens* ad guttas 30-80. ſed nunquam qua emeticum, uti Aqua bened. Rulandi. *Selle.*

Aqua

AQVA CÆRVLEA,

vide *Aqua ophthalmica caerulea.*

AQVA CALCIS VIVÆ SIMPLEX ORDIN.

Rec. *Calcis vivae* recentis probe uſtæ Unc. 12.
Patinae terreæ vitreatæ l. ligneæ immittatur, affundantur deſuper ſenſim
Aquae fontanae puriſſimæ Unc. 96. ebullitione, quæ inde oritur, peracta, vas agitetur.

Miſceantur interdum *ſpathula lignea*, poſt 12. fere horas, vel ſimulac calx ſubſederit, *aqua* decantetur limpida, filtretur, aſſervetur in vaſe bene clauſo, de quo bene monendi ſunt pharmacopolæ. *Piderit.*

VIS *Interne*, vel per ſe vel cum aliis mixta commovens, *abſtergens*, *diuretica*, *reſolvens*, *aperiens*, *ſtimulans*, *acidum involvens*, *ſiccans*, hinc in variis affectibus apud *Gallos*, *Anglos*, *Batavos*. frequenti in uſu eſt.

Virtutem *diaphoreticam*, *nephriticam*, *anthelminticam*, & potius *lithontripticam* tribuit eæ *Alſton.*

Externe adſtringens, *deſiccans*; *abſtergens* eximie ulcera impura; *gangraenae reſiſtens*, *antiſepticum.*

USUS *Interne* in frigidis morbis chronicis præcipue, *fluore albo*, *gonorrhoea*, *ſcabie*, *diarrhoeis chronicis*, unciæ 4. bis de die; qua *ſiccans*, *detergens*, in dyſenteria, inteſtinorum exulceratione, in copia humorum *acidorum*, *auſterorum*, & *mucoſorum*, in *fluore albo*, *cachexia*, *chloroſi*, *exanthematibus* chronicis lentis variis, & *ſcorbuti* ſpeciebus, in copia nimia ſalis muriatici fixi ſanguini inhærentis, mobilitate & ſtimulo indigentis, cum congruis roborantibus & ſtomachicis. *Piderit.*

In *carie*, *cancro*, & *calculo* ad Unc. 2. & plures, bis de die ad Unc. 12. cum æquali quantitate lactis communis; in ulcere quocunque, & oſſium mollitie. Ob cauſticitatem ſuam *reſolvens* potenter in *obſtructionibus viſcerum*, calculo *renum* & *veſicae*, *phthiſi*, in hecticis febribus cum lacte, caute gradatim in doſi majori, ſed recens parata e recenter uſto calce *Selle*.

In morbis calculo cognatis, *arthritide*, *podagra*, *rhevmatismo*: In vitiis cutaneis; ulceribus partium internarum confert quoque.

Externe ad *ulcera plorantia*, fiſtulas, *vitiliginem*, *inflammationes*, qua diſcutiens; ad *ambuſta* & *gangraenoſam* corruptionem, vel ſimpliciter, l. cum oleo, in linimenti formam ſubacta.

Cæterum ad depuranda & *exſiccanda vulnera* & *ulcera* præſertim *ſcorbutica*; etiam *cancroſa* exulcerata, tam externe quam interne.

DOSIS bis l. ter in die ab initio Unc. 3-4-24-48. l. amplius, ſenſim augendo vel ſola l. cum lacte mixta.

OBSERV. 1) Poſt aliquot menſes facile inefficax, *quovis* hinc fere *menſe* recens paranda eſt adminimum, *Aqua calcis vivae*, *Piderit*. Pharm. *Auſtr.* & optime præparatur e conchis, idem ſemper ſal continentibus.

2) *Noxia* in omni humorum prædominio *alcaleſcentium*, *bilioſorum*, *acrium*, *putridorum*, & hinc in omnibus morbis *putridis*, *acutis*, *phtiſicis*. *Piderit.*

3) Pharm. *Pragenſ.* præſcribit ex Aqu. Calc. viv. ita compoſitam *Aquam nephriticam*, Rec. *Sal alcal. miner.* Unc. dimid. *Aquae calc. viv.* Unc. 48. Miſce,

Aqua

AQVA CALCIS VIVÆ MINVS COMPOSITA LONDINENSIS,

ſ. *Aqua benedicta compoſita Bateana.*

Rec. *Glycyrrhizae* cortic. Unciam 1.
Corticis ſaſſaſas Unciam dimid.
Aquae-calcis ſimplicis Unc. 72.

Macera ſine calore per biduum & cola. Ph. *Lond.*

VIS *lithonthriptica*, *mitior*, quam *Aquae calcis vivae ſimplicis*, ſ. *ordinar.* & hinc

USUS melior - ſecurior *internus*, ad affectus internos, *renum*, *nephriticos*, *ſcrophuloſos*, ad *diarrhoeas*, *atoniam*, debilitatem laxitatem partium ſolidarum.

Externe ad *ulcera maligna* purificanda.

OBSERV. 1) Quidam addunt *Cort. ſaſſafr.* Unc. 2. *Cort. Glyzirrhiz.* Unc. 1. *Aquae calc.* 48. *Nuc. Moſchat.* groſ. pulveriſat. Drachm. 3. per biduum tantum digerend. in vaſculo probe clauſo, filtrand. colaturæ tum affundend. *Spiritus boni* Unc. 6. Pharm. *Londinenſ. Pfingſten.*

2) In *Aqua calcis vivae* magis *compoſita*, additur præſcriptioni ſuperiori *Aqua calcis vivae minus compoſita*, reſpiciens tantum, Ligni *Guaiaci* Unc. 6. & Semin. *coriandri.* Drachm. 3.

AQVA CALCIS CVM CERA.

Rec. *Aquae calcis* e conch. oſtreor. recent. parat. Unc. 12.
Cerae flavae Drachm. 3.

Poſt ſufficientem triturationem, digere leni, arenæ calore, dein coletur. VIS mitior.

AQVA CALCIS E CONCHIS OSTREARVM recent. calcinatis,

præparatur eodem modo, ad *uſum internum*, uti *Aqua calcis* ſimplex. Pharm. *Herbipolitan. Suecica.*

VIS *lithonthriptica*, *involvens*, *diuretica.*

USUS in *calculo*, renum & veſicæ affectu.

AQVA CARDVI BENEDICTI.

Rec. Herbæ *Cardui benedicti* part. 1.
Aquae commun. triplam partem.
Deſtilla uti *Aquam Menthae criſpae*, ad partem dimidiam.

VIS *roborans*, *refrigerans*, *ſtomachica*, *diaphoretica*, *diuretica*.

USUS ad *gratum vehiculum*, uti omnes aquæ deſtillatæ, in *mixturis*, ſaporem eis conciliandum ſuaviorem.

AQVA AD CARIEM.

Rec. *Aquae calcis vivae.* Unc. 2.
Aquae fortis mercurialis, Drachm. 1.
Mixta ſerventur uſui. *Plenck.*

VIS *cosmetica*, *antiſeptica.*

USUS in *carie* & *ulceribus phagedaenicis.*

AQVA CARMELITARVM ſ. CARMELITANA,

vide *Aqua meliſſae compoſita ſpirituoſa.*

AQVA CARMINATIVA COMMVNIS.

Rec. Florum *Chamomillae* romanæ & communis ana Unc. 18.
Corticum Aurantiorum & *Citri* ana Unc. 1. & dimid.
Herbæ *Abſinthii* pontini. - *Pulegii*, - *Origani*, *Menthae criſpae*, *Centaurii minoris*, ana Drachm. 2.
Seminum *Coriandri*, --- *Carvi*, ana Unc. 1. & dimid.

Fœni-

Seminum *Fœniculi* --- *Aniſi* ana Unc. 1.
---- *Anethi* Unc. 2.
Cortic. *Aurantiorum exteriorum.* Unc. 2.

Inciſa & contuſa infundantur per 12 horas in Aquæ fontanæ Unc. 144. per 4. dies, & abſtrahatur inde medietas conſueta deſtillatione, vel ad reſiduum unius tertiæ.

VIS *antiſpasmodica*, *anodina*, *tonica*, *roborans*, *ſtomachica*, *carminativa*.

USUS in *flatulentiis*, in affectibus *colicis*, *hyſtericis*, *doloribus* poſt partum, *menſibus dolorificis*. Minus *exaeſtuans* quam *Spiritu vini* præparata.

DOSIS uncia dimidia ad integram & ultra.

OBSERVAT. *Cavendum* ne hæ Aquæ ſpirituoſæ in *colicis ſanguineis* exhibeantur.

AQVA CARMINATIVA REGIA, ſ. *Spirituoſa.*

Rec. *Aquae carminativae* communis Unc. 18.
Spiritus aromatici Unc. 6.
Sacchari Unc. 3.

Miſce, tinge ſ. q. Coccionellæ, dein filtra, & liquorem ſerva. Pharm. *Auſtriac.*

VIS *fortior* quam Aquæ carminativæ communis.

USUS ubi *fortiora* requiruntur remedia.

AQVA CARVI SPIRITVOSA, vide *Spiritus Carvi.*

AQVA CASSIÆ FLORVM SIMPLEX.

Rec. *Caſſiae florum* contuſorum Unc. 12.
Aquae fontanae Unc. 144.

Stent per diem, deſtillatione dein eliciantur Unc. 72. ſervetur uſui. *Piderit.*

VIS *ſtimulans*, *analeptica.*

USUS *ſuccedaneum Aquae Cinnamomi.*

AQVA CASSIÆ FLORVM SPIRITVOSA.

Rec. *Caſſiae florum* contuſorum Unc. 12.
Spiritus vini, --- *Aquae commun.* ana Unc. 96.
Deſtillatione acquiruntur Unc 72.
Aquae fontanae Unc. 24. diluatur & edulcoretur,
Sachari canarienſis Unciis 2.
Servetur uſui. *Piderit.*

VIS *major* ſimplici Aquæ Caſſiæ florum, & inſtar Spiritus.

USUS ad *vires* exhauſtas *roborandas*, ad aliquot Drachmas, in *nervorum imbecillitate*, inſtar Spiritus, non Aquæ ſimplicis.

AQVA CAVSTICA AD CONDYLOMATA,

Plenck.

Rec. *Mercurii ſublimat. corroſiv.*
Aluminis crudi, ana Unc. 2.
Camphorae, --- *Ceruſſae*, ana Drachmam 2.
Aceti concentrati, --- *Spiritus vini* rectificati ana Unc. 24.
Miſce ſervetur uſui.

VIS *purificans* cutem & ulcera.

USUS ad *condylomata venerea* ope penicilli, hac aqua bis dedie illiniantur, & dein linimento mercuriali tegantur.

Condylomata & *rhagades* cutis ſenſim tum evaneſcunt. *Plenck.*

OBSERV. Sana *cutis* ab hac aqua non *corroditur.*

AQVA CHALYBEATA.

Rec. Limaturæ *Ferri* Unc. 6.
Spiritus Vitrioli Unc. 1.
Aquae bullientis Unc. 84.
Spiritus aqua miſceatur, & limaturæ ſimul affundatur.

Serva

Servetur uſui. *Guy* Pharm. pauper.
VIS *tonica*, *roborans*.
USUS in *cachexia*, *chloroſi*.
DOSIS Unc. 6. bis in die.

AQVA CHAMOMILLÆ SIMPLEX,

Rec. *Chamomill.* flores recentes, mediocriter tamen ſiccat. part. 1.
Aquae commun. part. 4 - 6.
Deſtilletur ordinario modo ad dimidiæ partis transgreſſum.
Servetur uſui. *
VIS *carminativa*, *ſtomachica*, *temperans*, *antiſpasmodica*, *anodina*.
USUS in *ſpasmis*, proſtratione virium ſæpius cochleatim; gratum vehiculum Mixturis.

AQVA CHAMOMILLÆ ANISATA VINOSA.

Rec. *Chamomillae* florum recentium Unc. 48.
Aniſi ſeminis Unc. 24.
Vini albi generoſi Unc. 288.
Poſt digeſtionem aliquot dierum deſtillentur ad dimidias.
VIS *carminativa*, *ſtomachica eximia*, *antiſpasmodica*.
USUS in *colica flatulenta*, *vitiis ſtomachi*, *ſpasmo*.

AQVA CERASORVM NIGRORVM

Rec. *Ceraſorum nigrorum*, e quibus antea ſuccus expreſſus fuerit. Unc. 36.
Aquae fontanae Unc. 192.
Stent per diem, deſtillatione dein eliciantur Unc. 48.
Servetur uſui. *Piderit.*
VIS *reficiens*, *confortans*, *temperans*, *analeptica*, *involvens*, *diuretica*.
USUS Pro *vehiculo* aliorum remediorum inprimis *Mixturarum*.

OBSERV.

OBSERV. 1) Ad Pharm. *Auſtr.* Ceraſor. nigror. cum nucleis contuſorum part. 1. ad Aquæ commun. part. 8. præſcribuntur, quæ per 12. horas macerandæ, e quibus partes 4. abſtrahendæ ſunt deſtill. ope.

2) Ex *Amygdalis* quoque *amaris* contuſis, quarum Unc. 6. ad parandas Unc. 72. *Aquae* ſufficit, *Aqua ceraſorum* æque ſuavis paratur. *P. derit.*

AQVA CICVTÆ DESTILLATA.

præparatur uti *Aqua Hyſſopi.*

VIS *reſolvens*, *diſcutiens*, *cosmetica.*
USUS ad aquas *vulnerarias*, & *cosmeticas.*

AQVA CINNAMOMI CYDONIATA.

Rec. *Cinnamomi electi* Unc. 4.
Succi *Cydoniorum* expreſſi, & vinoſam indolem, mora temporis, nacti Unc. 72.
Fiat infuſio per triduum, tum deſtillatio, ad tertiam partem ſ. ad reſidui liquoris Unc. 36.

VIS *analeptica*, *excitans*, *exhilarans*, *roborans*, *nervina*, *ſtomachica*, *carminativa*, non *exaeſtuans*, ſed *temperans*, *adſtringens.*

USUS in *debilitate nervorum*, partium ſolidarum chronica, *ventriculi* & *inteſtinorum*; in *anorexia*, *apepſia*, *nauſea*, *vomitu*, *diarrhoea*, *dyſenteria*, *cholera* ſimilibusque affectibus: ad ſuaveolentiam Mixturarum cordialium, analepticarum, apoplecticarum: ad potiones analepticas ſenibus, phlegmaticis. In morbis a cauſa præſertim frigida oriundis, & *debilitatem* corporis inducentibus, nec non *ad fractas vires erigendas.*

DOSIS Datur vel per ſe ad unum aut alterum cochlear, vel aliis mixturis immixtum.

OBS.

OBSERVAT. Si loco ſucci *Cydoniorum* recipitur Aqua florum *Bugloſſi*, ſurgit *Aqua cinnamomi bugloſſata*, *Mynſicht*;

Si ſumuntur Aquæ cordiales 4. Liquor prolectus dicitur *Aqua cinnamomi cordialis*, *Recent.*

Cum Decocto Hordei obtinetur *Aqua cinnamomi hordeata*, Pharm. *Batav.*

Cum Aqua ceraſorum nigrorum, *Aqua cinnamomi ſine vino*. Pharm. *Leidens.*

Cum Aqua fontana, *Aqua cinnamomi* ſimplex, *Londinenſ.* & *Danorum* vulgar. *Auſtriac. Spielm.*

AQVA CINNAMOMI SPIRITVOSA.

Rec. *Cinnamomi acuti* craſſiuſcule contuſi Unc. 16.
Vini albi ſpirituoſi generoſi Unc. 144.
Spiritus vini rectificati Unc. 30.

Infuſa per biduum, deſtillentur per veſicam, lentiſſimo, igne, & liquoris ſpirituoſi lacteſcentis Unc. 96. eliciantur.

VIS *fortior*, quam Aquæ cinnamomi cydoniatæ, &
USUS ubi *fortiora* proſunt remedia.

AQVA COELESTIS VITET,

vide *Aqua ophthalmica caerulea.*

AQVA COLONIENSIS,

ſ. *Eau de Cologne.*

Rec. *Spiritus vini* rectificat. Unc. 72.
--- *Rorismarini.* Unc. 18.
Aquae Carmelitarum Unc. 12.
Oleorum Bergamott. Unc. 1.
--- *Citri.* Drachm. 2.
--- *Rorismarini.* ana Drachm. 2.

Probe mixta deſtillentur.

VIS &
USUS convenit cum Aqua carmelitarum. *Spielm.*

Aqua

AQVA COMMVNIS DESTILLATA.

Rec. *Aquae fontanae*, puræ diaphanæ, qu. l. deſtilla lege artis, in vaſculo, e veſica, nempe ſtanno bene obducta, deſtillatario bonæ conditionis: & ſerva uſui. *Piderit.*

USUS ad *ſolutiones* varias corporum tam ſimplicium quam compoſitorum officinalium, e. g. *Mercurialium*, *Tartari emetici*, non ubivis in *Aqua fontana ſimplici* ſolubilis.

OBSERV. Hæc qualicunque oleo odorato poteſt imbui, dum ejus Unc. 12. *Olei* duæ guttæ pauxillo *Sachari* exceptæ adjiciuntur, & ita ex tempore, quæcunque libuerit, aqua efficax parari: retineantur non minus illæ aquæ, quarum ope olea odorata parat pharmacopola, quippe rejicere illas minus conſultum eſſet, cum ſemper adhuc aliquid olei, nullo artificio inde ſeparandi, contineant. Iſtæ quoque cæterum ſervandæ ſunt, quæ proprio quodam odore ſ. ſapore guſtui ægrotorum ſeſe commendant. *Witwer.*

AQVA CORTICIS CASCARILLÆ.

Rec. *Corticis Caſcarillae* part. 1.
Aqua commun. part. 6.

Maceratione per aliquot dies peracta, deſtillatio ſuſcipitur conſueto more, ad eliciendas e quavis Libra, aquæ lacteæ oleoſæ Unc. 36.

VIS *tonica*, *nervina*, *antiſpasmodica*, *roborans.*

USUS in *ſpasmo*, *nervorum*, partium *ſolidarum* debilitate.

OBSERV. Commode quoque acquiritur a præparatione Extracti caſcarillæ.

AQVA CORTICIS PERUVIANI.

Rec. *Cortic. Peruv.* electi part. 1.

Aqua

Aqua commun. part. 6.

Maceratione per aliquot dies prægreſſa deſtillatione ſuſcipitur, ad eliciendas Unc. 36. e quavis Libra 1. ſ. Unc. 12. aquæ lacteæ, oleoſæ.

VIS *tonica*, *roborans*, *ſtomachica*, *nervina*, *antiſpasmodica.*

USUS in *nervorum*, & *partium* ſolidarum *debilitate*, *ſpasmo.*

OBSERV. In Præparatione Extr. cort. peruv. etiam acquiritur.

AQVA DIVINA FERNELII,

vide *Aqua phagedaenica.*

AQVA AERATA PRAGENSIS,

vide *Aqua Pragenſis aërata.*

AQVA FOENICVLI.

Rec. Herba & ſeminis *Fœniculi* ana part. 1.
Aqua communis part. 4.

Deſtilla uti Aquam Menthæ criſpæ, ad eliciendas. Unc. 24.

Serva uſui.

VIS *carminativa*, *nervina*, *reſolvens*, *ſtomachica.*

USUS in *debilitate* viſcerum abdominis, *ventriculi* & *inteſtinorum.*

AQVA FORTIS COMMVNIS,

ſ. *Acidum Nitri commune.*

Rec. *Vitrioli vulgaris* ad rubedinem calcinati
Nitri depurati ana Unc. 24.

Trita miſceantur & deſtillentur per retortam terream, igne aperto gradatim adhibito, in vas recipiens valde capax, juncturis luto probe obturatis, cui Aquæ fontanæ Unc. 12. ante ſint infuſæ.

VIS *cauſtica*, *corrodens.*

USUS

USUS raro in Medicina, ſed ad Chemicorum & artificum magis uſum: & ad extirpandam *cariem. Plenck.*

AQVA FORTIS MERCVRIALIS,

Rec. *Mercurii vivi. Aquae fortis* ana Unc. 1.
Reponantur in loco calido, ut ſolvatur Mercurius. *Plenck.*

VIS *cosmetica externe, antiſeptica.*

USUS *caries* nigra oſſium, *ulceribus* illita, conſumitur.

AQVA FORTIS COMMVNIS TENVIS,

vide *Acidum Nitri tenue, dilutum.*

AQVA GRYSEA.

Rec. *Mercurii vivi* depurati, Unciam 1.
Acidi Nitri, ſ. *Aquae fortis* Unc. 2.
Reponantur in loco calido, ad Mercurii ſolutionem, & tum ad uſum ſervetur.
Ad quamvis præſcriptionem dein
Recipe *ſolutionis praeſcriptae* Unciam $\frac{1}{2}$, cui adde ſucci *Chelidonii* majoris expreſſi, l. in ejus defectu, Decocti radicis *Ariſtolochiae rotundae* in Aquæ fontanæ, ana Unc. 6.
Miſce calide, poſt colaturam, quo mixtura fiet coloris griſei, ſervetur uſui. *Piderit.*

VIS *adſtringens, purificans* externe, *corroſiva*, cum digeſtivis purgantibus ulcera ſanat: vis *leniter ſeptica, adſtringens.*

USUS *externus ad ulcera ſordida, phagedaenica, cariem, ſynoviae* effluxum; ad *ſerpiginem, ficus & fiſſuras* aqua diluta fontana.

OBSERV. 1) Ad Diſpenſat. *Würtenberg.* præſcribitur ſolutioni mercuriali additio e radic. *Chelidonii majoris, Ariſtolochiae* longæ, Herbæ *Rutae* hortenſis, *Scordii,*

dii, florum *Roſarum* ana Unc. 1. in *Aquae fontan.* Unc. 108. coquendis, ad remanentiam Unc. 96. poſt colaturam.

2) Ante uſum hujus aquæ ſemper eſt probe agitanda, ut pulvis ad fundum hærens in ipſo ſuſpendatur.

AQVA HVNGARICA,
ſ. *Reginae Hungariae.*

Rec. Ramorum *Rorismarini* cum Foliis & Floribus Unc. 48.
Spiritus vini fort. Unc. 144.
Deſtillentur conſueto more usque dum phlegma apparuerit. *Spielmann.*

VIS *diſcutiens*, *roborans*.

USUS ad humorum *decubitum*, *tumores*, *contuſiones* læves externe.

OBSERV. 1) *Pharmac. Danica* præſcribit Flores *Anthos* ſ. *Rorismarini* Unc. 12. flor. *Lavendulae* Unc. 4. *Spiritus vini*, fort. Unc. 72. per noctem infundendi, deſtillatione tum eliciendi Unc. 36.

2) *Pfingſten* Herbam & Flores *Salviae*, Unc. 6. & *Zingiber*, Unc. 2. ad Herbam & Flor. *Rorismarini* Unc. 48. præſcr.

AQVA HYSSOPI.

Rec. Herb. *Hyſſopi*, part. 1.
Aquae commun. part. 4.
Deſtilla uti *Aquam Menthae criſpae*, ad Unc. 24. eliciendas.

VIS *reſolvens*, *pectoralis*, *diaphoretica*.

USUS in *pectoris affectibus*.

AQVA JVNIPERI SIMPLEX.

Rec. *Juniperi* baccarum Unc. 12.
Aquae fontanae Unc. 144.

Deſtillatione eliciantur Unc. 66.
Servetur uſui. *Piderit.*
VIS *ſtimulans*, *diuretica.*
USUS in affectibus *renum*, *veſicae*, *in calculo.*

AQVA JVNIPERI COMPOSITA.

Rec. *Baccarum juniperi* bene contuſarum Unc. 12.
Seminum Carui, *Fœniculi dulcis*, ana Unciam dimid.
Spiritus vinoſi tenuioris Unc. 84. poſt macerationem per biduum adde
Aquae q. ſ. ad evitandum empyrevma.
Deſtillatione tum eliciantur Unc. 84.
Servetur in probe clauſo vitro uſui. Pharm. *Londin. Edinb.*
VIS *diuretica*, *cardiaca*, *carminativa.*
USUS in *catarrho*, *debilitate ventriculi* & *inteſtinorum.*

AQVA JVNIPERI SPIRITVOSA,

vide *Spiritus Juniperi.*

AQVA LAXATIVA VIENNENSIS,

vide *Infuſum laxativum Viennenſe.*

AQVA LAXATIVA DANICA,

vide *Infuſum laxativum Danicum.*

AQVA LVCIÆ, SEV EAV DE LVCE,

vide *Spiritus Salis ammoniaci ſuccinatus.*

AQVA MASTICHINA.

Rec. *Maſtiches* Unc. 4.
Nucum Moſchatarum Unc. 1 - 2. contuſis, & per triduum in *Spiritus vini rectificati* Unc. 12. digeſtione maceratis, addantur.
Aquae fontanae Unc. 48.

De-

Deſtillentur e veſica, leni igne, ad reſiduum Unc. 24. Liquor lacteus prodiens ſervandus eſt probe.

VIS *ſtomachica*, *calida*, *tonica*, *roborans*, *concoctionem* ventriculi juvans,

USUS in *ſingultu*, ciborum *faſtidio*, *flatulentia*; *diarrhoea*, *dyſenteria*, *vomitu*.

DOSIS Drachmæ 2. ad Unciam dimidiam ad 1.

OBSERV. 1) Ad Diſpenſ. *Viennenſe* adduntur *Caryophyllor. Cinnamomi* ana Unc. 1. & ad *Argentoratenſe* loco *Spiritus vini*, & *Aquae communis* præſcribuntur *Vini generoſi* albi Unc. 288. poſt digeſtionem in arenæ balneo deſtillandæ leni igne.

2) Nauſeabunda quum ſit, & per ſe exhibita ingratior, adhibetur utplurimum cum aliis.

AQVA MELISSÆ SIMPLEX.

uti Aqua *Menthae criſpae* præparatur e herba recenti.

VIS *nervina*, *uterina*, *hyſterica*, *ſtomachica*.

DOSIS Unc. 1. ad 1. & dimid.

OBSERV. *Vinoſa* præparatur, e Herba *Meliſſae* recent. Unc. 24. *Vini albi* Unc. 96. ad dimidium deſtillandas: cujus *Vis fortior* quam ſimplicis Aquæ Meliſſæ.

AQVA MELISSÆ SPIRITVOSA, COMPOSITA,

ſ. *Eau des Carmes*, ſ. *Carmelitarum dicta*, ſ. *Spiritus Carmelitarum*.

Rec. Herbæ *Meliſſae* recent. Unc. 12. & dimid.
Corticum *Citri* & recentium flaved. Unc. 4.
Seminum *Coriandri* Unc. 2.
Nucis moſchatae, *Caryophyllorum*,
Cinnamomi ana Unc. 2. Inciſis affundatur

 Spi-

Spiritus vini rectificati Unc. 72.
Aquae Meliſſae ſimplicis Unc. 24.
Poſt digeſtionem per biduum, deſtillentur ad 5tæ partis remanentiam; ad Unc. nempe 84. Spiritus eductus probe aſſervandus.

VIS *ſtomachica*, *carminativa* eximia, hujus aquæ ſpirituoſæ eminentioris.

USUS *Interne* ad *apoplexiam*, *paralyſin*, *morbos nervorum* a cauſa frigida ortos.

Externe ad *ſpaſticos* & *rhevmaticos dolores*, *cephalalgiam*, *vomitum*, *colicam*.

Tinctura croci pro uſu externo tingitur.

DOSIS a Drachma 1 - 3.

AQVA MENTHÆ VULGARIS,
ſ. *Criſpae ſimplex.*

Rec. Foliorum *Menthae vulgaris* ſ. criſpæ in umbra ſiccatorum, Unc. 6.
Aquae q. ſ. ad evitandum empyrevma. Poſt lenem 12. horarum l. unius noctis infuſ.
Deſtillatione eliciantur Unc. 24. ad Pharm. *Roſſ.* Unc. 6. ſi menthæ vulgar. criſpæ ſumtæ ſunt. Unc. 48. ad *Suecic.* eliciuntur Aquæ deſtillatæ.

VIS *roborans*, *tonica*, *ſtomachica*, *carminativa*, *antiſpasmodica*.

USUS in *ſpasmo*, *debilitate* partium ſolidarum.

AQVA MENTHÆ PIPERITIDIS SIMPLEX.

uti *Aqua Menthae criſpae* præparatur.

VIS *carminativa*, *roborans*, *antiſpasmodica*, *excitans*, *ſtomachica*, & quidem fortior.

USUS in *ſpasmis*, *colica flatulenta*.

AQVA MENTHÆ PIPERITID. SPIRITVOSA.

præparatur uti *Aqua florum Caſſiae ſpirituoſa*, ita tantum, ut Unc. 24. Herbæ *Menthae piperitidis*,

tidis, ad Unc. 96. Aquæ deſtillandas ſumantur.

VIS longe *praeſtantior* & *efficacior ſimplici aqua Menthae piperitidis*.

DOSIS ad aliquot Drachmas.

AQVA MERCVRIAL. AD VSVS EXTERNOS.

Rec. *Ceruſſae* venet. Unc. 1. *Alum. Crud.* Drachm. 6.
Lithargyr. Unc. dimid.
Mercur. ſubl. corroſ. Sal amm. ana Drachm. 1.
Aquae Roſar. Unc. 8. *Aceti Vini* Unc. 6.

Contuſa miſce, coque leniter, & aſſerva ſine filtratione.

VIS *purificans* cutem, *ſeptica*.

USUS ad affectus *cutis*, *verrucas*, *ſcabiem* malignam, *mariſcos*, *fiſſuras*, *ulcera venerea*, ope penicilli, ſed caute. *Pfingſten*.

OBSERV. Unc. 1. continet *Mercurii ſublimati* Grana 2. & dimid.

AQVA MERCVRIALIS AD VERMES.

Rec. *Mercurii* vivi depuratiſſimi Unc. 1.

Decoquantur leniter in *Aquae fontanae* Unc. 12. in vaſe figulino aperto agitando ſubinde mercurium bacillo ligneo, tunc aqua decantetur. Pharm. *Brunſuicenſis*.

VIS *anthelmintica*.

USUS in *verminoſis* affectibus.

AQVA NAPHÆ,

vide *Aquam Aurantiorum florum*.

AQVA OPHTHALMICA COMMVNIS.

Rec. *Aluminis crudi* pulveriſati Scrupulos 2.
Albuminis Ovi No. unum, bene mixtis adde
Aquae Roſarum Uncias 8. *Piderit*.

VIS *temperans*, leniter *adſtringens*.

VSVS in *oculorum inflammationibus*, & poſt *oculorum operationes*, ad *ophthalmiam* diſcutiendam.

OBSERV. 1) Pharm. pauper. *Pragenſis* præſcribit tres *Aquas ophthalmicas ſpeciales*,

a) *adſtringentem*, Rec. *Aquae Roſar.* Unc. 4. *Alumin Crud.* Scrupul. 2. Miſce.

b) *mercurialem*, Rec. *Mercur. ſublimat. corroſ.* Gran. 1. *Aqu. fontan.* deſtill. Unc. 4. Miſce.

c) *reſolventem*, Rec. *Aqu. Roſar.* Unc. 6. *Extr. Saturni* Drachm. dimid. *Sal Ammoniac.* puri, Gran. 12. Miſce.

VIS & VSVS ſingulorum inſcriptione ſatis patet.

2) Pharm. pauper. *Hamburg.* præſcribit quoque,

a) *Aquam ophthalmicam Mercurialem*, valde *adſtringentem* & leniter *ſepticam*, e Mercurii ſublimati corroſivi grana 1. & Aquæ fontan. deſtillat. Unc. 4. Miſcendæ probe.

b) *Aquam ophthalmicam reſolventem*; ex Aquæ Roſarum Unc. 6. *Extr. Saturni* Drachm. dimid. *Sal ammoniac.* puri grani 12. Miſcendæ optime.

c) *Aquam ophthalmicam roborantem*, ex Aquæ Roſar. Unc. 4. Alumin. crudi Scrupul. 2.

3) *Aquam ophthalmicam* peculiarem *vitriolatam* præſcribit *Plenck* in Pharmac. chirurgica. Rec. *Aquae Roſar.* Unc. 12. *Vitrioli albi* Drachm. 1. ſolvatur & filtretur. *Plenck.* VIS *exſiccans*, *diſcutiens.* VSVS ad *ophthalmias humidas*, *epiphoras*, *fiſtulam lacrymalem* veram & ſpuriam; *ulcera ſcorbutica.* *Plenck.*

AQVA OPHTHALMICA COERVLEA,

ſ. *Saphirina*, ſ. *famoſa Taylori.* ſ. *Collyrium caeruleum exſiccans.* ſ. *Saphirinum.* ſ. *Aqua cæleſtis Vitet.*

℞ec. *Salis ammoniaci* depurati Drachmas 1-2.
Aquae Calcis vivae recentis Unc. 12.

Stent

Stent ad ſolutionem, usque in vaſe cupreo, l. cum bracteis aliquot cupri, donec aqua colorem ſaphirinum acquiſiverit, per 24. horas, a quo aqua, colorem ſaphireum nacta, filtretur & ſervetur uſui. *Piderit.*

VIS *temperans*, *diſcutiens*, *refrigerans*, *deſiccans*, *mundificans*, *abſtergens.*

VSVS in *opthalmiis ſeroſis*, per diem ter-quaterve aliquot guttulæ inſtillatæ oculis, vel linteaminibus ad fomentationes: in *ſerpigine*. *Ad ulcera palpebrarum* & *corneae* & ſacci lacrymalis abſtergenda & conſolidanda, linteamina aqua hac humectata: poſt *operationes* in *oculorum affectibus*. In *ulceribus* inveteratis, & tumoribus.

OBSERV. 1) Pharm. *Edinb.* & *Danica*, præſcribit *Aqu. Calc. recent.* Unc. 8. *Salis ammoniac.* Scrupul. 2. *Aerugin.* tritæ, vel florum virid. æris grana 4-5. probe miſcendæ & poſt horas 24. colandæ.

2) Quidam addunt *Camphorae* grana quædam, ad majorem diſcuſſionem.

3) *Ob ſepticam* ejus vim hinc *caute* adhibenda eſt.

AQVA OPHTHALMICA GOEKINGKIANA,

vide *Liquor Vitriolicus ad oculos.*

AQVA OPHTHALMICA VSVALIS ALBA, ſ. *Saturnina.*

Rec. *Aquae Roſarum* Unc. 12.
Vitrioli albi Drachm 1.
Sachari Saturni Drachm. dimid.
Camphorae Spiritu Vini ſolutæ Scrupul. 1.
Miſceantur probe. Pharmac. *Danica.*

VIS *diſcutiens*, *adſtringens valide.*

VSVS in oculorum affectibus, *ophthalmiis*; ad *collyria fortiora* celeriter efficientia, quam *Aqua ophthalmica ſaphirina*, ad *ophthalmias inveteratas*.

OBSERV. 1) Pharmacop. *Brunſuicenſis* addit *Tutiae* præparatæ Drachm. 6. & *Aquae flor. Roſarum*, *Aquam Foeniculi* ana Unc. 5. Miſce.

2) *Pfingſten* præſcribit tantum *Sachar. Saturni.* --- *Sal Ammon.* ana Grana 4. *Aqu. Roſar.* Unc. 6. Miſcendas probe.

AQVA OPHTHALMICA SAPHIRINA,

ſ. *extemporanea.*

Rec. *Aquae Calcis* recent. Unc. 8.
Sal ammon. Scrupul. 2.
Aerugin. trit. Grana 4.
Miſce, poſt horas 1-20. Cola & probe aſſerva uſui. *G.*

VIS &
VSVS uti *Aquae ophthalmicae caeruleae*, ſ. *Saphirinae ordinariae.*

OBSERVAT. *Plenck* præſcribit *Aquae Calcis vivae* Unc. 12. *Sal ammon.* Drachm. 1. *Florum viridis aeris.* Gran. 5. Solvantur.

AQVA OSTREARVM CALCIS,

vide *Aqua Calcis, e Conchis oſtrearum.*

AQVA PETROSELINI.

Præparatur uti *Aqua Menthae criſpa* e ſemine recenti, cui quadruplum Aquæ affunditur, & Unc. 24. Aquæ deſtillatæ eliciuntur.

VIS *diuretica*, *aperiens.*

VSVS in *renum* & *veſicae* urinariæ *vitiis*; in ſuppreſſa *excretione* urinæ; in *oedemate.*

AQVA PHAGADÆNICA,
ſ. *aurea*, ſ. *Liquor Mercurialis*, ſ. *Aqua divina Fernelii.*

Rec. *Mercurii ſublimati* corroſivi Scrupulos 2.
Aquae fontanae deſtillatæ Unc. 12. ſolvantur probe in ea, qua nullum præcipitatum ſequitur & efficaciter agit, quam in *Aqua Calcis*, l. in *Spiritu Vini* ad *Rulandum* & *Muraldum* ſoluti. *Piderit.*

VIS *purificans*, ſine dolore vehementi; *detergens*, & *ſanans*; non adeo *corroſiva* ut vulgo putatur.

VSVS ad *exulcerationes externas*, *carnem luxuriantem*; ad *ulcera maligna venerea mundificanda*, *conſolidanda*, l. fomentatione, vel in urethram injectione, ſed caute.

In *phymoſi*, *paraphymoſi*, ſcroti - aliisque *ulceribus venereis*, *optime* tepide cum plumaceolis ita *applicatur*, ſi

Recipiuntur *Aquae phagadaenicae* Unciæ 6.
Spiritus Vini crocati Uncia dimidia.
Liquaminis Myrrhae Drachma 1. & probe miſceantur. *Piderit.*

In *ophthalmiis* ulceroſis, venereis.

In Noſocomiis Vindobonæ omnia *vulnera* & *ulcera* ſolis ſcorbuticis exceptis hac aqua ſanantur.

OBS. 1) Diſpenſat. *Würtenb.* præſcribit *Aquae Calcis vivae*, Unc. 16. in qua diſſolvendæ ſunt *Mercurii ſublimati corroſivi* Grana 24. uſui ſervanda eſt iſta mixtura.

2) Quidam præſcriptionem Aquæ phagadænicæ extemporaneam melius cenſent, ſi ad Unc. 12. *Aquae Calcis* ſumatur *Mercurii ſublimati corroſivi* Scrupulus 1. ſeu ad Unc. 1. *Aquae Calcis*, *Mercurii ſublimati corroſivi* Grana 2. qua vehementer jam corrodens.

AQVA PICEA SEV INFVSVM PICIS.

Rec. *Picis liquidae* Unc. 6. *Aquae fluvial.* Unc. 24.
In vaſe ligneo mixta, agita bacillo ligneo, dein per 12. horas ſubſidat pix, & aqua decantetur. Pharm. *Suecica. Hamburg.* pauper.

VIS *purificans ſanguinem*, *reſolvens*, *corrigens humores.*

VSVS ad interna *ulcera* viſcerum. *Berkley.*

AQVA PRAGENSIS AERATA,

ſ. *Aqua leniter laxativa.*

Rec. *Sal. amari* catarctici, e fodinis Salis culinaris facile acquirendi, Unc. 2.
Sal. Mirabil. Glauber. Unc. dimid. In *Aquae commun.* Unc. 28. bene ſoluta omnia, aſſervantur in vaſculo probe clauſo. *Weber. Gruner.*

VIS *laxans*, ſine moleſtia, & torminibus vel ſine auxiliis aliis laxantibus conſuetis. Mucum & humores, tenaces *reſolvens* & *educens*, *temperans.*

VSVS eximius ad conſuetas vel fortuito intervenientes *obſtructiones abdominis*; ad *indigeſtiones*, *cardialgiam*, ad *bilem*, *mucum*, *indigeſtos cibos*, *vermes*, *flatus* expellendos tam in ſenibus quam in infantibus: qua antiſepticum in *dyſenteria*, *febr. putridis*; qua *temperans* in *cephalalgia.*
Poſt iram perpeſſam, ac terrorem, animi pathemata, acrem bilem educit; puerperis temperando ſimul laxat alvum.
Qua mucum educens in *gonorrhoea*, *fluore albo*, *calculo*; vitiis urinarum viarum; obſtruction. glandularum & viſcerum, etiam infantum, confert.
Externe ad *inflammationes oculorum*, ad purificanda *vulnera*, *ulcera* antiqua, *fiſtulas.*

DOSIS

DOSIS ſcopo *laxante - purgante* 7 - 8. vices. Unc. 3 - 4. pro doſi: alias cochleatim ſumta efficit, & infantibus melle mixta.

AQVA PVLEGII SIMPLEX.

uti *Aqua Menthae criſpae*, e herba recenti, præparatur.

VIS *emmenagoga.*

USUS in *malo hyſterico; menſibus irregularibus.*

OBSERVAT. *Aquam Pulegii ſpirituoſam* præſcribit Pharm. *Londin.* e foliis *Pulegii* ſiccat: Unc. 6. *Spiritus vinoſi* tenuior. Unc. 84. *Aquae* qu. ſuff. ad evitandum empyrevma in deſtill. & acquir. Unc. 84. cujus *vis* magis *antihyſterica, carminativa.*

AQVA PVLSATILLÆ NIGRICANTIS.

℞ec. *Pulſatillae nigricantis* floreſcentis, radice abjecta, cum
Aquae communis octuplo deſtilletur ad dimidias. Ph. *Roſſica.*

VIS *reſolvens, diſcutiens.*

USUS in *amauroſi*, oculorum affectibus.

AQVA ROSARVM.

Præparatur e *Roſis rubris*, eodem modo uti *Aquae Naphae*, ſed ſine ſale, cum triplo Aquæ, ad eliciendam Unc. 18.

VIS *confortans, excitans.*

USUS ad *Aquas ophthalmicas*: ad odorem excitandum ſuaveolentem mixturis.

OBSERVAT. Ad *Diſpenſat. Auſtr.* Flor. *Roſar.* pallidar. ſale conditorum pars 1. cum *Aquae* commun. part. 6. deſtillanda ad medietatem, & ſervanda, in probe clauſo vaſculo præſcribitur.

AQVA RVBI IDÆI.

e fructibus paratur, uti *Aqua Ceraſorum nigrorum.*

VIS

VIS ſuaviſſima ſapore & odore, ſumme reficiens. *Piderit.*

AQVA RVTÆ.

uti *Aquae Menthae criſpae* præparatur.

VIS *purificans*, *antiſeptica.*

USUS ad *Aquas* & *Collutoria antiſeptica.* Ph. *Roſſic.*

AQVA RABELII.

ſ. *Elixir acidum Halleri*, --- *antipodagricum*, --- *antinephriticum Dippelii.*

Rec. *Olei Vitrioli* Unc. 4.
Spiritus vini rectificatiſſimi Unc. 12.

Miſceantur lente, & nonniſi poſt 8. aut plures a commixtione dies trahatur ad uſum. *Spielm.*

VIS *adſtringens*, *antiſeptica.*

USUS in *haemorrhagiis*, in *morbis putridis.*

DOSIS ad guttas 8. in ſufficiente vehiculi quantitate.

Plura ſub Titulo - *Elixir acidum Halleri.*

AQVA RAPHANI COMPOSITA.

Rec. Herbæ *Cochleariae hortenſis*, recent. Unc. 24.
Radicis *Raphani ruſticani* recentis,
Corticum Aurantiorum recent. ana Unc. 12.
Nucum Moſchatarum Uncias 4. cum dimid.
Spiritus vini tenuioris Unc. 96.
Aquae fontanae Unc. 50.

Deſtillatione eliciantur e veſica Unc. 96.

VIS *antiſcorbutica*, *diuretica.*

USUS in *ſcorbuto*, *calculo*, per cochlearia confert. *Spielmann.*

OBSERV. Ad Pharm. *Edinb.* rad. *Raphani* ruſticar. recent. Unc. 36. *Spiritus* vinoſi rectificat. Unc. 48. præſcribuntur ad eliciendum, deſtillatione in calore aquæ bullientis, Unc. 48. quibus addendæ ſunt *Piperis Jamaicenſis* ſimplic. Unc. 96.

Aqua

AQVA REGIS,

ſ. *Acidum Nitri acido Salis communis junctum.*

Rec. *Aquae fortis* Unc. 6.
Salis ammoniaci albi Unc. 1.
Mixta ſerventur uſui.

VIS *corrodens, ſolvens.*

USUS magis *chymicus* ad aurum, ſtannum, antimonium, ſolvendum, quam medicus.

AQUA SALVIÆ.

præparatur uti *Aqua Hyſſopi.*

VIS *diſcutiens, diaphoretica, tonica.*

USUS ad *aquas vulnerarias.*

AQVA SAMBVCI FLORVM,

uti *Aqu. flor. aurantior.* præparatur. Sed ſine ſale cum triplo aquæ commun. ad eliciendam Unc. 12. & dimid.

VIS *diſcutiens, emolliens, reſolvens, anodina, diaphoretica.*

USUS ad *exanthemata* promovenda, in *ſputo cruento, tuſſi.*

AQVA SAPHIREA SEV SAPHIRINA,

vide *Aqua ophthalmica ſaphirina.*

AQVA SATVRNI, SEV SATVRNINA,

vide *Aqua vegeto-mineralis Goulardi.*

AQVA SCLOPETARIA THEDEN,

vide *Aqua vulneraria Theden.*

AQVA SCLOPETARIA GALLORVM,

vide *Aqua vulneraria vinoſa-Gallorum.*

AQVA SINE PARI,

ſ. *Eau ſans Pareille.*

Rec.

Rec. *Aquam reginae Hungar.* Unc. 8.
Spiritus vini rectificati Unc. 72.
Oleorum Citri. Unc. dimidiam.
--- *Bergamotte* Drachm. 3.
Mixta deſtillentur ad remanentiam Unc. 9. *Spielm.*
VIS *nervina*, *tonica*. Virtus &
USUS idem cum *Aqua Carmelitarum*, ſ. *Colonienſi.*

AQUA STBIATA RICHARTI,

Rec. *Tartarl emetici* Grana 4.
Diſſolvantur in *Aquae fervidae* Unc. 16. *Spielm.*
VIS *emetica.*
USUS ad *vomitum* ciendum, ſingulis horis ſumantur Unciæ 4. donec exſpectatus effectus ſequatur.

AQVA STYPTICA,

ſ. *aluminoſa Bateana*, *communis.*

Rec. *Aluminis crudi*, -- *Vitrioli albi* l. *coerulei* ana Uncias 3.
Aquae fontanae Unc. 24.
Mixta coquantur ad ſolutionem, liquori filtrato addantur,
Acidi ſ. *Olei vitrioli concentrati* Drachmæ 2. ad Unc. 1.
VIS *adſtringens*, *ſtyptica.*
USUS *externus*, ad *haemorrhagias* compeſcendas, in *vulneribus* ortas; in uſu remediorum internorum temperantium, purificantium humores: in *narium* l. aliis *haemorrhagiis* a cauſis internis ortis, *ſtyptico* ſcopo in neceſſitate urgente, congruis præmiſſis remediis: ad *collyria* ophthalmica, ſpleniolis exceptus, liquor partibus cruentatis applicatur.
OBSERV. 1) Quidam uti in *Londinenſi pharmacop.* addunt *Camphoram.*

2)

2) *Guy* præſcribit ad *Aquae purae* Unc. 12. *Alumin. commun.* & *Vitrioli albi* ana Drachm. 2. ſine addito acido vitrioli.
3) Huic analoga ſed valentior eſt *Aqua vitriolica coerulea Londinenſium*, conſtans e *Vitrioli* cœrulæi part. 3. *Aluminis* part. 2. *Aquae* part. 18. ſolutis, & *Olei Vitrioli* partibus 2. *Spielmann.*

AQVA STYPTICA SYDENHAMI.

vide *Aqua vitriolica coerulea.*

AQVA TANACETI.

Rec. Herb. *Tanaceti* part. 1.
Aqua commun. part. 4.
Deſtilla uti Aquam Menthæ ad Unc. 24. eliciendas.

VIS *anthelmintica*, *ſtimulans*, *nervina*.

USUS in *vermibus*, debilitate *nervorum*, *partium ſolidarum*.

AQVA AD TORMINA INFANTVM.

Rec. *Aquae Menthae criſpae.* - *Chamomill.* ana Unc. 2.
Syr. Flor. *Papaver. Rhoead.*
Chamomill. ana Unc. dimid.
Miſce.

VIS *carminativa*, *ſtomachica*, *anodina*.

USUS ad *tormina* ſedanda infantum eximius, ad *flatus* diſſipandos, & ad *fibras* inteſtinorum *relaxatas demulcendas* cochleatim ſumta; in *colica* infantili. *Spielmann.*

OBSERV. ſemper recens parandum eſt, ob facilem corruptionem.

AQVA TRAVMATICA GALLORVM,

vide *Aqua vulneraria vinoſa - Gallorum.*

AQUA TRAVMATICA THEDEN.

vide *Aqua vulneraria Theden.*

Aqua

AQVA VALERIANÆ SIMPLEX,

Rec. Herbæ recent. *Valerianae* part. 1.
Aquae commun. part. 3.
Deſtilla uti Aquam *Menthae criſpae. Würt.*

VIS *antiſpasmodica, tonica, nervina.*

USUS in *atonia*, *debilitate* partium ſolidarum, *nervorum*, *ſpasmo.*

AQUA VALERIANÆ COMPOSITA.

Rec. Herbæ *Pulegii* Uncias 2. *Sabinae* Unc. 1.
Radicis *Valerianae* officinal. Uncias 9.
Leviſtici Uncias 3.
Aquae fontanae, *Spiritus Vini* ana Unc. 96.
Digere per biduum & deſtillentur Unc. 96. *Spielm.*

VIS *nervina*, *confortans*, *antiſpasmodica*, *diaphoretica*, *emmenagoga*, *antiſpasmodica*, ſe - & excretiones *promovens.*

USUS in affectibus *hyſtericis*, *ſpaſticis*, *convulſivis*, *menſium vitiis*, *hydochondriacorum flatulentia*, in *epidemiis contagioſis.*

DOSIS ab Uncia 1 - 2.

AQVA VEGETO MINERALIS.

ſ. *Vegetabili - mineralis Goulardi.* ſ. *Aqua Saturni.* ſ. *Saturnina.*

Rec. Extr. *Saturni* Unc. dimid. *Spirit. vini* Unc. 1 - 2.
Aquae deſtill. ſimplic. commun. Unc. 24.
Miſcentur probe & ſervantur in vaſe vitreo.
Piderit.

VIS *temperans*, *refrigerans*, *diſcutiens*, *repellens*, *exſiccans*, *adſtringens.*

USUS *externus* ad diſcutiendas *inflammationes*, a cauſis externis ortas; ad *contuſiones*, *luxationes*, *fracturas*, *ſugillationes*, *excoriationes*, *oculorum affectus*, *ophthalmias*; *ulcera*, *fiſtulas*, *ambuſtiones*, *panaritium*; cæterum ubi repellentia

&

& ſiccantia remedia ſine noxa conferunt externe.

Ad *haemorrhoides* coecas nimis dolentes; *ſphacelum* in conjunctione cum cortice peruviano.

OBSERV. 1) *Noxius* eſt uſus ad *gonorrhoeas virulentas ſiſtendas*, bubones facile inducens.

2) *Guy* in Diſpenſator. *Edinburg* pauperum, præſcribit, *Aceti lithargyrii* Drachm. 1. *Spiritus vinoſi* tenuior. Drachm. 2. *Aquae deſtillat.* Unc. 12. Miſce.

Pharm. *Roſſica* vero præſcribit *Aquae ſimplic. deſtillat.* Unc. 12. *Aceti Saturni* Drachm. 1. Miſce: Præſcribitur eadem Aqua cum duplo, triplo &c. *Aceti Saturnini.* & Ph. *Herbipol.* ſuadet *Sachar. Saturni.* Drachm. dimid. *Camphor.* Unc. 3. Solut. prius in *Spiritus vini* Unc. 1. Mixta probe diluenda *Aquae fontan.* Unc. 48. uti Pharmac. pauper. *Hamburg.* ſub nomine *Aquae Saturninae*, præſcribit *Sachari Saturninae* Drachm. 2. *Aceti Vini* Unc. 2. *Aquae fontan.* Unc. 12. Miſcendas probe; & ſub nomine

Aquae Saturninae Camphoratae, præſcribit *Aqu. Saturninae* Unc. 12. *Spiritus Vini Camphorati* Unc. 1. Miſce.

3) *Bels* loco extracti Saturni commodiorem & viliorem mixtionem commendat, Rec. *Sachari plumbi* Unc. dimid. *Aceti puri* Unc. 4. Aquæ puræ deſtillatæ fontan. Unc. 24. Miſce uſui:

AQVA VEGETO - MINERALIS,

Plenck.

Rec. *Aquae fontan.* Unc. 24.
Extr. *Saturni* Drachm. 1.

 Miſce

Miſceantur probe.

VIS *antiphlogiſtica* externe, & *diſcutiens.*

USUS in forma fomenti tepide ad omnes *tumores inflammatorios*, & morbos *inflammatos*, ut *vulnera*, *ulcera*, *fracturas*, *luxationes hernias inflammatas* l. incarceratas.

Forma *collyrii ophthalmiae*, & forma *gargariſmatis anginae inflammatoriae* medetur. *Plenck.*

OBSERV. Pharm. pauper. *Pragenſ.* præſcribit *Aquam Saturninam*, ſimplici modo præparandam. Rec. *Sachar. Saturn.* Drachm. 2. *Aceti Vini* Unc. 2. *Aqu. Fontan.* Unc. 12. Miſce & *Aquam Saturninam Camphoratam*, Rec. *Aqu. Saturnin.* Unc. 12. *Spiritus Vini Camphor.* Unc. 1. Miſce.

AQVA VERONICÆ SIMPLEX, & VINOSA.

Rec. Herbæ *Veronicae* recent. Part. 1.
Aquae commun. Part. 3.
Deſtillatur, uti Aqua Herbæ *Menthae criſpae.* ad Pharm. *Würtenberg.*

VIS *pectoralis*, *vulneraria*, *roborans*, *diaphoretica*, *diuretica.*

USUS in *pectoris* affectibus, *debilitate* partium ſolidarum.

OBSERV. *Vinoſa aqua Veronicae* e Herba Veronicæ floreſcent. Unc. 36. cum *Vini albi*, Unc. 96. per aliquot dies, fermentationem usque in loco temperato poſitis, deſtillentur lento igne ad dimidias & commendatur, qua magis balſamica, tonica, in *tuſſi* tam *pulmonali*, quam *hypochondriaco*, ſenum *aſthmate* & *marasmo*, bis vel ter de die ad Unc. 1. & dimidiam.

AQVA VIOLACEA,

ſ. *Eau de Violettes Beaumé.*

Rec.

Rec. *Radicis Iridis* florentin. Unc. 4.
Spiritus Vini rectificati Unc. 32.
Infundantur per 2. hebdomades, colatura probe aſſervanda uſui. *Spielmann.*
VIS *coſmetica.*
USUS in *maculis cutis* humanæ externis.

AQVA VITÆ SAPONACEA RICHARDI,
ſ. *Eſprit de Savon.*

Rec. *Saponis Veneti* Unc. 1. diſſolvantur in
Spiritus Vini camphorati Unc. 16. *Spielmann.*
VIS *diſcutiens*, *reſolvens.*
USUS externus, pro odoramentis ſuaveolent.

AQVA VITRIOLICA SIMPLEX, EDINBVRGENSIVM.

Rec. *Vitrioli albi* purificati Grana 16.
Aquae commun. Unc. 8.
Acidi Vitriolici tenuis Guttas 16.
Solvatur *Vitriolum* in Aqua communi prius, dein addito acido, per chartam cola. Pharm. *Edinburg.*
VIS *ſeptica*, *corrodens.*
USUS externe ad *purificanda ulcera maligna.*
OBS. 1) *Aquam Vitriolicam Suecorum* præſcribit Pharm. *Suecic.* Rec. *Vitrioli albi* Drachm. 1. diſſolvantur in *Aquae fontanae* Unc. 12. filtrentur. - Vis *diſcutiens*; Uſus ad *oculorum inflammationes.*
OBS. 2) *Aquam Vitriolic. coeruleam*, ſ. *ſtypticam Sydenhami* vero Pharm. *Londin. Edinburg.* præſcribit. Rec. *Vitrioli coerulei* Uncias 3. *Aluminis*, *Spiritus Vitrioli* fortis, *Olei dicti* ana Unc. 2. *Aquae commun.* Unc. 6. *Sales* in aqua coque, ut ſolvantur; dein *Oleum Vitrioli* addatur, & mixtu-

tura per chartam coletur. Cujus vis *ſtyptica*, *adſtringens*; & Uſus commendatur in *haemorrhagiis*; ſed caute.

AQVA VULNERARIA CICVTÆ.

Rec. Aquæ deſtillatæ *Cicutae* Unc. 12.
Extr. *Cicutae* Unc. 1. --- *Myrrhae* Scrupul. 1.
Mellis *Chelidonii*. Unc. 1.
Miſceantur.

VIS *vulneraria*, *conſolidans*.

USUS in *cancro*, *ulceribus ſcrophuloſis*, *ſpina ventoſa* valde proficua. *Plenck*.

AQVA VULNERARIA - SCLOPETARIA - TRAVMATICA - GALLORVM.

ſ. *Lemery*, ſ. *Eau d'Arquebuſade Gallorum*.

Rec. Herbæ recent. *Ariſtolochiae* --- *Abſinthii*, *Anthyllid.* vulner. -- *Salviae*, ana Unc. 3.
Foeniculi -- *Scordii*,
Menthae piperitid. ana Unc. 1. & dimid.
Spiritus Vini Unc. 96.
Aquae fontan. Unc. 48.
Mixta macera per quaſdam dies, deſtillentur Unc. 48.

VIS *reſolvens*, *diſcutiens* ſanguinem congrumatum, *refrigerans*, *roborans* ſolida, *purificans* vulnera.

USUS ad *eroſiones*, *ulcera*, *vulnera mundificanda*, *conſolidanda*; ad *luxationes*, *fracturas*, *contuſiones*, *ſugillationes*, *ambuſtiones*, *tumores*, *panaritium*, *gangraenam* incipientem, ad partes roborandas: cum *Oxicrato* diluta, ad *ſugillationes* & *inflammationes* a contuſione natas, egregie reſolvit. *Plenck*.

OBSERV. 1) Commode *Aquae* hujus pars 1. cum *Aceti commun.* partibus 2. miſcetur. *Piderit*.
2) Pharm. *Würtenb.* & *Auſtriac.* præſcribunt Herbæ recent. *Abſinthii*, *Salviae*, *Tanaceti*,

ti, *Serpilli*, *Anethi*, *Rutae*, *Roriſmarini*, *Hyſſopi*, *Menthae piperitidis* & *criſpae*, flor. *Lavendulae*, ana Unc. 2-3. Mixta infundendi *Aquae fontan.* Unc. 132. per aliquot dies, in vaſe probe clauſo, in calore temperato, tum addend. *Spiritus Vini* Unc. 96. & deſtilland. lege artis, lento igne Unc. 96. & in probe clauſo vaſculo aſſervandi.

2) Alii præſcribunt Foliorum recent. *Agrimoniae*, *Betonicae*. *Salviae*, ana Unc. 8. *Tanaceti*, *Faeniculi*, *Hyſſopi*; Folior. recent. *Menthae*, *Roriſmarini*, *Scordii*, *Majoranae*; Florum *Lavendulae*, *Millefolii* ana Unc. 4. Conciſis affundantur *Vini generoſi* Unc. 240. *Spiritus Vini* Unc. 72. per biduum digeſta, deſtillentur lento igne e veſica ad dimidias.

AQVA VULNERARIA - SCLOPETARIA - TRAVMATICA - VEGETO - MINERALIS,

ſ. *Eau d'Arquebusade Theden*, ſ. *Liquor Vulnerarius Bilgueri.*

Rec. *Aceti Vini* elect. --- *Spiritus Vini* rectificat. ana Unc. 36.
Spiritus Vitrioli Unc. 10.
Sachari albi commun. Unc. 12. (alias facile omittendi.)

Mixta filtrentur, & aſſerventur uſui in vaſe probe clauſo.

VIS *antiphlogiſtica*, *adſtringens*, *ſtiptica*, *vulneraria*, *diſcutiens*, *ſeptica*,

USUS ad *ulcera ſcorbutica*, *inflammationes* putridas; ad compeſcendas *haemorrhagias*, moderandam nimiam *vulnerum ſuppurationem*, conſolidanda vulnera; ad *contuſiones*, *ſugillationes*, *ambuſtiones*, *luxationes*, *fracturas*, *tumores*; lintea-

teamina ea imbuta, pro ſomento imponenda poſt venæ ſectionem, *Theden*, *Plenck* eximie laudant. Ad *vulnera* & *ulcera* & tumores vaſorum *lymphaticorum*.

OBSERV. 1) Effectus fit major addito Extracto herbarum vulnerariarum, & ferro cum *Sale ammoniac. Theden.*

2) Ob *facilem praecipitationem* Sachari, & ob varia incommoda, *linteaminum* tam *craſſorum* & *cruſtarum durarum*, in fomentationibus ex ſacharo & vitrioli acido, compoſitis, ad hanc formulam Thedianam, aliam hiſce vitiis non laborantem commendat. *Piderit*,

Rec. *Spiritus Vini rectificatiſſ.* Unc. 36. cui ſenſim & guttatim inſtillantur, *Acidi Vitrioli* concentrati Unc. dimid. dein adde Succi *foliorum Querci* Unc. 6. Herbæ *Acetoſae* Unc. 12. Herbæ *Millefolii* Unc. 6. Miſce, ſervetur uſui.

AQVA VULNERAR. MINERAL. PLENCKII.

ſ. *Aqua vegeto - mineralis Camphorata.*

Rec. *Camphorae* Unc. 3. ſubactis
Spiritus Vini Unc. 1. addantur ſenſim ſenſimque,
Sachari Saturni Drachma dimid. diſſoluti,
Aquae fontanae Unc. 44.

Miſceantur & uſus tempore probe concutiatur Liquor.

VIS *vulneraria*, *conſolidans* vulnera,

USUS ad *ulcera antiqua* ſananda; *cancrum apertum* mitigandum, & ipſi obicem ponendum; linteis tepide applicata valde confert ad *inflammationes. Plenck.*

Aqua

AQVA VULNERARIA MERCVRIALIS, *Plenckii.*

Rec. *Aquae Roſarum* Unc. 6.
Solutionis *Mercurii dulcis* Unc. 1.
Mellis *Roſacei* Unc. dimid.
Miſceantur.

VIS *corrodens, purificans.* VSVS ad *ulcera venerea.*

AQVA VULNERARIA BEAVME.

Rec. Herbam recentem *Salviae - Angelicae, Abſinthii, - Fœniculi, Menthae - Hyſſopi, Meliſſae, - Ocymi baſil. Rutae, - Thymi, Majoranae, - Rorismarini, Origani, - Serpilli.*
Florum *Lavendulae*, ana Unc. 4.
Conciſa infundantur per nyctemerum cum *Spiritus Vini rectificati* Unc. 128.
Deſtillationi tum congruæ ſubjiciatur.

VIS *nervina, diſcutiens, antivulneraria.*

VSVS uti aliæ aquæ conſuetæ vulnerariæ.

OBSERVAT. Si Aqua loco ſpiritus aſſumitur, ſurgit *Aqua vulneraria aquoſa.* Si vinum, *vinoſa.* Si *Spiritus Vini* a vegetabilibus non abſtrahitur, ſed poſt infuſionem decantatus filtratur, acquiritur *Aqua vulneraria rubra.*

AQVA ZEDOARIÆ ANISATA,

vide *Spiritus Zedoariae aniſatus.*

AQVILA ALBA, vide *Mercurius dulcis.*

ARCANVM CORALLINVM,

vide *Mercurius praecipitatus ruber.*

ARCANVM DVPLICATVM,

ſ. *Nitrum Vitriolatum.* ſ. *Alcali Nitri acido Vitrioli intime junctum.* ſ. *Sal de duobus Pariſienſium.*

Rec. *Vitrioli* ungaric. vel alius martialis Unc. 24.
Aquae calid. fontan. Unc. 96. quæ ſolvuntur, & *Nitri fixi* Unc. 24. ſoluti in
Aquae fontanae Unc. 60.

Ambæ hæ ſolutiones filtratæ ſenſim commiſcendæ ſunt, quo terra metallica vitrioli præcipitatur cum quadam efferveſcentia; affunditur hinc ſolutio alcalina ad punctum ſaturationis usque, & filtratur tum permixtus hic liquor. Affuſa aqua calida, terra præcipitata eluenda eſt & omnis ſalſedo, permixti hi liquores tum evaporandi ſunt ad cuticulam, & ad cryſtalliſationem reponendi.

VIS *incidens*, *reſolvens*, *diuretica*, *digeſtiva*, *diſcutiens*, *reſolvens*.

USUS Salis hujus medii polychreſti, in *obſtructionibus*, & *detergendis* ventriculo atque inteſtinis, a *viſcidis humoribus*, & a ſaburra tenaci.

Alvum ducit a Granis 20 - 40 - 60. exhibitum. Commiſcetur plerumque aliis abſorbentibus, proficua modo, ad incidendos humores viſcidos in primis viis, rite præparatum, ſufficienti addita ſolutione *Nitri fixi*, ne nauſeam & vomitum excitet.

In *tumoribus lacteis*, hinc quibusdam *Sal lactifugus* dicitur.

DOSIS Scrupulus 1. & ultra.

OBSERV. 1) Paratur quoque dictum hoc Arcanum duplicatum e reſiduo *Aquae Fortis*, vehementiſſimo igne calcinato, & ſoluto ſufficienti quantitate aquæ.

Si affuſione quadam liquoris *Nitri fixi*, ſ. *Salis Tartari*, reſiduæ forſan metallicæ vitrioli particulæ penitus ſint præcipitatæ, filtratæ & cryſtalliſatæ, æque ſecurum exhibet Arcanum duplicatum, minoris conſtans pretii; qua-

qualis rita ſaturatio patet, ſi cum hac ſolutione non efferveſcit, nec turbatur, leniter ad cuticulam evaporatur, filtratur, & cryſtalli aſſervantur.

Plura ſub *Tartaro Vitriolato.*

OBSERV. 2) A proprio *Artificum* genere, circa deſtillationem ſpirituum acidorum maxime occupato, *Arcanum duplicatum* comparant ſibi cæterum Pharmacopolæ.

ARCANVM TARTARI,

ſ. *Terra foliata Tartari.* ſ. *Oxytartarus.* ſ. *Alkali vegetabile acetatum.* ſ. *Alkali Tartari aceto Vini ſaturatum.*

Rec. *Salis Tartari* albiſſimi Unc. 4.
Aceti Vini fortis ſimplicis, præ deſtillato præferendi.

Mixtis evaporetur acetum in vaſe figulino probe vitreato, ad ſiccitatem, leniſſimo ignis gradu. Si non ſatis forſan alcali ab aceto ſaturatum fuerit, guſtu ſe manifeſtans, acetum vini deſtillatum denuo affundendum eſt, ad plenariam ſaturationem, & nullam apparentem efferveſcentiam. Remanens maſſa ſalina aqua fontana frigida probe ſolvenda, filtranda, evaporanda, exſiccanda eſt, & aſſervanda in vitro probe clauſo, loco calido, ne liqueſcat.

VIS blanda *ſaponacea*, *abſtergens*, *diuretica*; in minima doſi *temperans*, *incidens*, *reſolvens*; in majori doſi *excretiones promovens*, *laxans*.

VSVS in *atrophia* & *oedemate infantum*, per diem Drachma 1. in *tuſſi ſtomachali pituitoſa-ſpasmodica*: in *obſtructionibus viſcerum* abdominis, chronicis pertinacibus, nullam *excitans diarrhoeam*, utiliter roborantibus combinatum remediis.

DOSIS a Granis 20 - 60. in vehiculo aquoſo.

OBSERV. 1) Solvitur penitus a *Spiritu Vini*, quo tincturam præbet eximiam ſpleneticam, nephriticam, & Quintæ Eſſentiæ *Vini* nomen meretur, a guttis 40-60. exhibendæ, de quo plura ſub titulo *Liquor terrae foliatae Tartari*. Pharm. *Würtenb.*

2) In Aëre libero liqueſcit plane, ubi tum *Liquor terrae foliatae Tartari* appellatur, quo modo magis eſt roborans. In *Spiritu Vini* ſolutus corrigit *Arcanum Tartari*, aufert partes ejus exæſtúantes, refrigerantes; in exigua autem doſi adhibendum.

3) Pharm. *Suecic.* præſcribit *Alkali lignorum depurat.* Unc. 12. & dimid. In vaſe vitreo capici addendi, *Aceti deſtillati* Unc. 96. Parte circiter dimidia ſupra ignem evaporata, per vices iterum addatur, *Acetum deſtillatum* ad plenam ſaturationem. Liquor ad dimidium exhalando redactus, per chartam coletur, & balnei maris calore evaporetur ad exſiccationem.

ARGENTVM VIVUM DEPVRATVM,

ſ. *Argenti vivi depuratio.*

Vide *Mercurius vivus depuratus.*

D'ARQVEBVSADE THEDEN,

vide *Aqua vulneraria Theden.*

D'ARQVEBVSADE GALLORVM,

vide *Aqua vulneraria vinoſa Gallorum.*

ASELLORVM PRÆPARATIO,

vide *Millepedum praeparatio.*

Aurum

AVRVM MVSIVUM SEV MOSAICVM.

Rec. *Stanni* Unc. 12. *Florum ſulphuris* Unc. 7.
Salis ammoniaci,
Argenti vivi purificati, ana Unc. 12.
Stanno liqueſacto adde *argentum vivum*;
Si mixtura refrixerit, in pulverem redigatur, ſulphuri ſalique ammoniaco bene miſceatur, & ſublimatio fiat in matrazio: invenietur aurum muſivum ſub materia ſublimata, cum ſordibus quibusdam in fundo. Ph. *Londinenſ.*

VIS *anthelmintica.*

VSVS in *hyſtericis, hypochondriacis affectibus; in ſiphilitide in vermibus*, angli ad *taeniam* bis in die grana 10. quavis vice.

AXVNGIA PORCINA, PVRIFICATA.

ſ. *praeparata*, ſ. *curata.*

Rec. *Adipis porcin.* quantum libet, demptis *membranis, venulis* & *fibris* tamdiu *Aqua* lavetur, donec *clara* nec *cruenta* effluat. In fruſtula conciſa leni igne liquetur, parum *Aquae* additæ coletur, & ab aëris injuria probe ſervetur.

VIS *unguinoſa, demulcens, involvens, emolliens.*

VSVS ad *unguenta linimenta* paranda, & ubi *pinguedine* lubricandum eſt.

OBSERV. 1) Axungia ſ. Sevum *Cervinum* & *Ovillum* quæ ad *emplaſtra* magis veniunt, eodem modo parantur.

AXVNGIA VIPERINA PVRIFICATA.

Rec. *Pinguedinis Viperinae* ab inteſtinis ſeparatæ qu. v. Aqua ablutæ liquefiat & coletur per linteum.

VIS

VIS eadem cum præcedenti Axungia, *mitior* tantum.

VSVS qua tenuis axungia, ad *unguenta ophthalmica*; ad delendas *maculas corneae* ſpecificum eſſe cenſetur. *Plenck.*

OBSERVAT. *Medulla Oſſium* eodem modo præparatur. Qua tenuis, penetrans, & valde emolliens pinguedo inſervit eximie ad *anchyloſes* a *rigitate* ligamentorum & tendinum ortas. *Plenck.*

BACILLI DE LIQVIRITIA CITRINI.

Rec. Radicis *Liquiritiae* decorticat. pulveris. Unc. 1.
--- *Ireos florentinae.* -- *Amyli albi* ana Unciam dimid.
Croci Auſtriaci Spiritu Vini irrorati Scrupulum 1 - 2.
Sachari albi Unc. 12. ſubtiliſſ. pulverat. adde
Mucilaginis Tragacanthae, l. *Gummi arabici.* quantum ſufficit ad maſſam formandam pro *bacillis*, pennæ anſerinæ craſſitiei, coloris citrini.

VIS *involvens*, *reſolvens*, *anodyna*; *demulcens* humores acres, ſalſos, irritantes; *mitigans*, *expectorans.*

VSUS in *tuſſi acri*, *ſicca*, *raucedine*, *catarrhalibus* defluxionibus - acribus - irritantibus, ſenſim lingendo aſſumti conferunt. In *catarrhis* & *defluxionibus* acribus ad fauces.

OBSERVAT. In *Bacillis* de liquiritia, *albis* crocus auſtriac. tantum excluſus eſt, colorem producens citrinum.

BALSAMVM ADSTRINGENS. EDINBVRG.

Rec. *Olei Vitrioli* Unc. dimid.
Terebinth. ſ. *Olei Terebinthin.* Unc. dimid. ſenſim miſce in vitro aperto dein adde paulatim.

Spi-

Spiritus Vini rectificati. Unc. 3.
Miſceantur exacte.

VIS *adſtringens, tonica.*

USUS ad *gonorrhoeam* recto tempore ſiſtendam, Scrupul. 2. pro doſi: ad *haemorrhagias* ſiſtendas in ſumma neceſſitate.

DOSIS guttas 30. in vehiculo multo aquoſo.

BALSAMVM ANODYNVM.

Rec. *Opii* Unc. 1. *Saponis* albi hiſpan. l. venet. Unc. 5.
Spiritus Vini rectificati Unc. 24.
Camphor. Unc. 3.
Olei deſtillati Rorismarini Unc. dimid.
Digere *Opium* & *Saponem* in ſpiritu per triduum, liquori tum colato adde *Camphoram* & *Oleum*, diligenter agitando probe miſce. Pharm. *Londin.*

VIS *anodyna.*

USUS *Externe* ad dolores leniendos partium externarum ſolidarum.
Interne in *colica nervoſa, ictero*, in *arthritide* & *rhevmatismo* ad guttas 20 - 50. eo utuntur Angli.

OBSERV. 1) Granum 1. ineſt Guttis 90.
2) Pharm. *Herbipolitan.* præſcribit ad *Sapon. amygdalin.* Unc. 1. *Opii* Drachm. 2. *Camphor.* Drachm. 3. *Olei deſtillat. Rorismarini* Drachm. dimid. *Spiritus Vini* rectificat. Unc. 9. Miſce uti ſupra.
3) ex hoc Balſamo anodyno præparatur *Saponaceum* omiſſo ſolo *Opio.* Pharm. *Londin.*

BALSAMVM ſ. VNGVENTVM ARCÆI.

Rec. *Therebinthinae* electæ venetæ,

Gum-

Gummi - Reſinæ *Elimi*, Sevi *Cervini*, ana Uncias 6.
Olei Hyperici Uncias 2.
Solve leniſſimo igne, per pannum trajice, ſub perpetua trituratione piſtilli ope lignei, maſſa agitetur, donec refrigeſcat.

VIS *eximia digeſtiva*, *vulneraria*, *ſuppurationem promovens.*

USUS qua linimentum leniter *digeſtivum*, ad *vulnerum* & *ulcerum* apertorum - depuratorum conſolidationem, ſanationem, ſuppurationem in iis promovendam, & accelerandam; fortificat *nervos:* conducit in *luxationibus contuſionibus* ſi digerendi ſcopus eſt, *unguento digeſtivo* aut *baſilico* temperatur.

OBSERVAT. ad *Plenckii* præſcript: add. *Cerae citrin.* Drachm. 6. Pulver. *Santali rubr.* Unc. dimid. qua ſuperflua & inefficax.

BALSAMVM ARCÆI LIQVEFACTVM.

Rec. Balſami *Arcaei*,
Vitellor. Ovorum ana Unc. 1. probe ſubacta diluantur.
Spiritus Vini Unciis 8. *Plenck.*

VIS *conſolidans*, *purificans.*

USUS ad *ulcera* & *vulnera ſinuoſa* injicienda, ſi ſpirituoſa admittunt.

BALSAMVM AROMATICVM COMMVNE.

ſ. *Cephalicum.* ſ. *Scherzeri.*

Rec. *Olei Nucis Moſchatae* expreſſi Unciam 1.
--- deſtillati *Caryophyllorum*, - *Lavendulae* ana Drachmam 1.
--- --- *Succini.* Scrupulum 1. terantur probe in mortario lapideo, & ſenſim addatur.

Bal-

Balſami peruviani nigri Drachmam dimid.
Fiat lege artis, plane vitato igne, *Balſamum.*
Piderit.

VIS *reſolvens*, *roborans* ſolida, *anodyna.*

USUS *Externus* in *ventriculi flatulentia* & *debilitate*, abdomini illinitum, *colica flatulenta*, in *infantum torminibulis*, *diarrhoeis* immoderatis e debilitate fibrarum & conſenſu nervorum ortis.

In *imbecillitate viſus* & *oculorum lippitudine* manibus infricatum, oculis adplicatum, valde confert; uti in *ſeroſis capitis affectibus*, temporibus illinitum.

In *clavo hyſterico*, *cephalalgia*, *vertigine*, *coryza inveterata*, ad regionem oſſium temporum illinitum.

Abdomini illinitum ad *vomitus*, & dolores abdominis ſine febre, etiam gravidarum.

OBSERV. 1) *Internus uſus nullus* eſt hujus balſami. *Piderit.*

2) Pharm. *Suecic.* add. in præſcript. (qua ſuperfluum,) *Cerae flav.* Drachm. 2. modico igne liquatis, cum *Olei Nucis Moſchatae.* Unc. 1. add. *Olei Caryophyll. Lavendulae* ana Drachm. 2. *Olei Succini* Scrupul. 1.

BALSAMVM CHALYBEATVM,

Beaume d' Aiguilles Pariſienſium.

Rec. *Acuum Chalybear.* Unc. dimid. diſſolvatur in
Spiritus Nitri Unc. dimid. ſolut. addat,
Olei Olivarum Unc. 2. & dimid.
Spiritus Vini rectificat. Unc. 2. leni calore detineantur & agitantur, usque dum probe ſint unita.

VIS

VIS *anodyna.*
USUS ad dolores *arthriticos* & *podagricos. Spielm.*

BALSAMVM CARIOPHYLLORVM.

Rec. *Olei Cariophyllorum deſtillati* Drachm. 1.
--- *Nuciſtae* expreſſi & loti Drachm. 2. & dimid.

Mixtis colorem concilia pulvere tenuiſſimo Caryophyllorum, vel Boleti Cervini. Ph. *Wirt.*
VIS *demulcens, vulneraria, antiſeptica.*
USUS in morbis frigidis, externe *oſſibus carioſis.*
OBSERV. Pharm. *Danica* præſcribit *Olei Nuciſtae* expreſſi, ope *Spiritus Vini*, odore ſuo privati, Drachm. 3. *Cariophyllorum* Drachm. 1. Liquefacta & mixta tingantur pulveris Caryophyllorum quantitate ſufficiente.

BALSAMVM COMMENDATORIS de PERNE.

Rec. Florum *Hyperici* recent. parum ſiccator. Unc. 10.
Spiritus Vini rectificati infunde Unc. 36.
Stent per biduum, expreſſis tunc addantur,
Olibani, -- Reſinæ *Elemi*,
Myrrhae elect. ana Unc. 2.
Aloes ſuccotrin. Drachm. 2.
Balſam. peruvian. nigr. Unc. 1.

Digerantur per biduum & filtrantur accurate.
VIS *digeſtiva conſolidans, vulnera, ulcera.*
VSVS in *vulneribus* partium *nervoſarum* & *tendinoſarum*; ſi *vulnera* ſubito ſunt conſolidanda. In *capitis laeſionibus*; *carie oſſium*; *herpete, doloribus perioſtii* - *dentium*, a *carie* & ſtagnationibus pituitoſis ortis, guttæ tantum quædam, pluma exceptæ dolenti loco ſ. denti applicatæ. *Piderit.*

OBS.

OBSERV. 1) *Balſami* hujus Uncia dimidia, cum Libra una *Aquae ſclopetariae* Gallorum, & *Mellis Roſarum* Unciis tribus commixta, valde profuit *Schmuckero* in variis vulnerum ſpeciebus.

2) Frigidioris *Sueciae* inoculis Balſami hujus guttas 30. in Vitello ovi ad *vomitum* ſiſtendum, ad *menſes pellendas* in phlegmaticis *Roſenſtein* adhibuit, ſummo cum fructu, etiam interne.

3) In Pharmacia chirurg. *Plenckii* occurrit hujus *Balſami commendator.* compoſitio magis compoſita, & inconcinna. Rec. Gummi *Olibani*, *Styrac. calamit.* ana Unc. 2. *Benzoës*, *Aloes ſuccotrin. Myrrh.* elect. Rad. *Angelic. odorat.* ana Unc. dimid. Florum *Hyperici*, *Balſam. Peruv.* ana Unc. 1. *Ambr. griſeae* Grana 6. *Moſchi* Grana 10. *Spiritus Vini* rectificatiſſ. Unc. 36. Stent in digeſtione per aliquot dies, dein filtrentur & ſerventur uſui.

Uſum ejus commendat *Plenck* ad curanda *vulnera* capitis, cerebri inprimis, ac partium *nervearum*, *tendinearumque*.

BALSAMVM LOCATELLI.

Rec. *Cerae flavae* Unc. 12. liquefiat leni igne in
Olei olivarum Unciis 18.
Terebinthinae venet. Unc. 12.
Cui adde poſt refrigerium,
Balſami Peruviani nigri Unc. 2.
Santali rubri, l. *Sanguin. Dracon.* pulveriſat. Unc. 1.
Agitando aſſidue ad refrigerationem usque.

VIS &
USUS *externe* ad conſolidanda *ulcera* & *vulnera*, inprimis *nervorum* & *tendinum*: ad *contuſiones*, variasque læſiones. *Plenck*.

OBSERVAT. *Interne* uti omnia balſama nocet, ob vim facile exæſtuantem.

BALSAMVM MERCVRIALE PLENCKII.

Rec. *Balſami Arcaei* Unc. 1.
Unguent. Mercurialis Drachm. 1.
Mercurii dulcis Drachm. 2.
Miſceantur exacte.

VIS &

USUS ad *ulcera venerea* conſolidanda. *Plenck.*

OBSERVAT. *Spielmanni* mutata parum præſcriptio ita ſonat: Rec. *Mercurii vivi* Drachm. 2. extinguantur probe in *Terebinthin.* Drachm. 1. addantur *Axungiae porci* Drachm. 6. *Balſam. Arcaei* Drachm. 9. *Mercurii dulcis* Grana 23. Miſceantur exacte.

BALSAMVM ODONTALGICVM.

Rec. *Opii, Camphorae* ana Scrupul. 2. diſſolvantur in *Spiritus Vini* pauxillo addantur.
Oleorum deſtillator. Ligni Sancti Drachm. 2.
--- --- *Cariophyllorum* Drachm. 1.
--- expreſſi *Nuciſtae* Drachm. 6.
Miſceantur probe.

VIS *anodyna, diſcutiens.*

USUS vel ſolum vel goſſypio exceptum denti carioſo cavo inditum, ſopiendo nervos, atrociſſimos ſubinde dolores ſedat. *Plenck.*

BALSAMVM OPHTHALMIC. STYVEANVM.

ſ. *St Yves.*

Rec. *Butyri recentis* non *ſaliti*, & ab omni lactis ſero liberati Unc. 3.
Cerae albae, Unc. dimid. Liquefactæ & ſuper patinam ceræ admiſceantur butyrum: invicem liquatis & in mortario exacte mixtis addatur.

Mer-

Mercurii rubri ſubtiliſſime pulverati, triti Drachm. 2. & dimid.
Florum *Zinci* Drachm. 1.
Camphorae in *Oleo Ovorum* ſolutæ, Scrupul. 2. & Grana 5.
Miſceantur in mortario lapideo, & fiat lege artis Balſamum.

VIS *temperans*, *mitigans*, *leniens*, *diſcutiens*.

USUS in pertinaci *ophthalmia*; in diverſis oculorum *inflammationibus*, feroſis imprimis & venereis; in *corneae maculis* cum ulcuſculis conjunctis ſcrophuloſis l. venereis, & in ipſa incipiente *ſuffuſione*.

DOSIS Granum dimidium ad integrum, ſ. quantum acus capitis majoris caput æquat, oculo infricatur, bis in die, mane & veſperi ad plenariam ſanationem usque.

OBSERV. 1) Ad *Theden* obſervat. *nocet* in *inflammatione*, inter corneæ lamellas in pus vergente, & in *ophthalmiis ſanguineis* & *ſiccis*. *Piderit*.

2) *Plenck* alio modo præſcribit hunc balſamum; Rec. *Balſami ophthalmici rubri*. Unc. 4. *Camphorae* Scrupul. 2. *Tutiae* Drachm. 1. *Olei olivar*. Drachm. dimid. Quæ tria ingredientia bene contrita miſcenda ſunt cum balſamo rubro.

Cujus *uſus* eſt ejusdem ac balſami *ophthalmici rubri*. Subinde in *inveteratis ophthalmiis* ac aliis *oculorum vitiis* conducit.

3) Pharm. pauper. *Hamburg*. præſcribit hancce compoſitionem. Rec. *Butyri* recent. inſulſi. Drachm. 2. *Cerae albae* Drachm. 1. *Mercurii praecipit. rubr*. Grana 15. Miſce fiat leni igne Balſamum.

BALSAMVM OPHTHALMICVM RVBRVM.

Rec. *Cerae albae* Drachm. 6.

LIBRARY Founded 18.. SCHOOL OF MEDICINE

Liqueſactis leni calore addantur
Butyri recentis non *ſaliti*, omni ſero liberati Unc. 3.
Mercurii praecipitati rubri, in ſubtiliſſimum pulverem triti Drachm. 2. & Grana 15.
Exactiſſime & diu terantur, donec perfecte refriguerit. Pharm. *Danic.*
VIS *leniter corrodens*, *detergens.*
USUS ad *pterygia* & *maculas corneae* transparentis curandas, quotidie bis corneæ affricatur quantitas ac majoris acus capitulum eſt. ſ. unum aut alterum granum. *Plenck.*

BALSAMVM OPHTHALMIC. VULNERAR.

Rec. *Axungiae porcinae* Unc. 12.
Boli armenae praeparati. Tutiae præparat.
Lapidis *Calaminaris ppti* ana Drachm. 3.
Aloes Drachm. 1
Extr. *Opii* Scrupul. 1.
Ceruſſae, -- *Camphorae*, ana Drachm. dimid.
Miſceantur exactiſſime. *Plenck.*
VIS *diſcutiens - temperans.*
USUS ad *ophthalmiam* inveteratam, ad *ulcera* & *vulnera albugineae* vel *corneae. Plenck.*

BALSAMVM SAPONIS. ſ. SAPONATVM.

Rec. *Saponis* venet. exſiccat. Unc. 6. pulveriſantur in mortario, cui addantur.
Olei Terebinthin. Unc. 6. ad formandam maſſam pro balſamo ſaponis convenientem: De qua in
Spiritus Vini rectificati Unc. 36. Solvuntur, digeruntur & filtrantur.
VIS *reſolvens*, *diſcutiens.*
USUS in *inflammationibus*, *luxationibus*, *fracturis*, *contuſionibus*, *panaritio*; *tumoribus* variis, ad *ambu-*

ambuſta; in omnibus læſionibus, in quibus inflammatio & obſtructa materia reſolvenda eſt. *Balſamum* hoc l. ejus corpus in *Spiritu Serpilli* ſolutum, l. *Oleo cornu cervi foetido* mixtum confert eximie in *paralyſi*, membrorum *tabeſcentia*; *tumoribus oedematoſis*, a fracturis ortis, l. a faſciis nimis arcte conſtrictis; in *aridura* partium *arthritica*.

In *anchyloſi* guttæ 30 - 50. circa articulos l. partibus affectis ad ignem vel in calore inunguntur. *Sal* quoque quoddam *alcalinum* corpori additur, per ſe, vel in *Aqua Saturni* Goulardi ſolutum. Balſamum hoc applicari poteſt commode cum uſu, in omnibus hiſce affectibus, uti in ipſis *excoriationibus* & *pernionibus* ad *Theden* obſervata.

OBSERVAT. *Balſamum ſaponaceum* ad hancce compoſitionem commendat quoque. *Plenck.*

Rec. *Spiritus Vini* rectificati Unc. 4 *Saponis albi hiſpanic.* ſ. *venet.* Unc. 10. Leni igne ad ſolutionem digeſtis addantur *Camphorae tritae* Unc. 2. *Olei deſtillati Rorismarini* --- *Origani* ana Unc. dimid. Miſceantur agitando. *Vim reſolventem* ei adſcribit, & *Uſum* ad *tumores* inprimis *cyſticos* commendat.

BALSAMVM SATVRNINUM
Goulardi Univerſale.

Rec. *Succi Raparum* recenter expreſſi, Unc. 18.
Cerae citrinae Unc. 6.

Invicem ſolutis & frigefactis addantur ſub continua agitatione.
Extr. *Saturni* Unc. 3.
Camphorae Drachm. 4.

Miſce fiat linimentum. *Plenck.*

VIS *exſiccans.*

USUS ad *vulnera* & *ulcera fungoſa*, aliaque conſolidanda ac exſiccanda. *Plenck.*

Ad *impetigines*, *ulcera fiſtuloſa*, *gangraenae*, *ſphaceli formidinem. Spielmann.*

OBSERV. 1) Pharm. *Brunſuicenſ.* præſcribit *Olei Roſacei* Unc. 4. *Cerae citrinae* Unc. 2. Leni igne colliquatis paulatim ſub continua agitatione addantur Extr. *Saturni* Unc. 1. *Camphorae* Scrupul. 1. bene miſceantur.

Et ad *Spielmannum Cerae citrinae* Unc. 8. liquantur leni igne cum *Olei Roſarum* Unc. 18. addantur. Extr. *Saturni* Unc. 4. *Camphorae tritae* Drachm. 1. probe miſceantur.

2) Reliqua de *Balſamo Saturni* vide *Acetum Saturni concentratum.*

BALSAMA SIMPLICIA.

Rec. *Olei* expreſſi *Nuciſtae* ope *Alkoholis*, omni odore & ſapore privati, quod *Corpus* pro *Balſamo* appellare ſolent, partes 5.

Olei deſtillati, unde Balſamum denominatur, partem unam, probe miſceantur.

Uſu ſimul receptum, quod Pharmacopæi.

Balſamum Caryophyllorum, pulvere *Caryophyllorum*,

Balſamum Cinnamomi, *Bolo armena*,

--- *Lavendulae*, *Caeruleo montano*,

--- *Majoranae*, Herba *Majoranae*,

--- *Rutae*, viride *Aëris tingant.*

VIS Balſama ſimplicia a viribus oleorum, unde denominantur, dijudicanda eſſe facile patet. *Spielmann.*

BALSAMVM SVLPHVRIS.

Rec. *Sulphuris citrini* pulveriſati l. Flores Sulphur. Unc. 3.

Olei Nucum Iuglandium. Unc. 12.

Coque

Coque in ſartagine ferreo ſatis amplo, leniſſimo igne ad ſulphuris ſolutionem. *Piderit.*

VIS *reſolvens*, *diſcutiens*, *digeſtiva*, *vulneraria*, in vulneribus & ulceribus.

USUS in *vulneribus*, *ulceribus*, *tumoribus induratis*, *gummatibus* & *tophis*.

Ad *perniones* cum Petroleo, l. Aſa foetida l. Alii & Ceparum ſucco commixtum.

Ad *ſcabiem* & *ulcera ſcabioſa*. *Plenck.*

OBSERV. 1) Pharm. *Suecic.* ad compoſitionem *Balſami Sulphuris ſimplicis* præſcribit *Olei Lini* Unc. 1. *Sulphuris contriti* Unc. 2. Spathula lignea agitando coquendi in vaſe ferreo capaci, modico igne, donec coeant in unum.

2) *Balſam. Sulphuris Rulandi differt a* ſimplici, additis *Olei Terebinthinae*; Unc. 4. ad *Balſami Sulphuris* Unc. 1. leni calore in vitro clauſo, ad balſami ſolutionem digeſtum, hinc *conducit* magis *partibus ligamentoſis*, *tendinoſis*; *ulceribus ſordidis*, *cacoethicis* purgandis, ſuppurationem promovendis. *Piderit.*

Interne ob nauſeoſum foetentem ſaporem raro adhibetur.

3) Pharm. *Auſtriac.* præſcribit ad compoſitionem *Balſami ſulphuris Rulandi*, Florum *Sulphuris* Unc. 3. *Olei Amygdalarum*, vel *Nucum*, vel *Papaveris* Unc. 18. leni igne prudenter Sulphur ſolutum, in oleo agitanda probe eſt materia ad conſiſtentiam Balſami.

4) *Balſamum Sulphuris aniſatum* ſuavior multo, præparatur *e Balſami Sulphuris Rulandi* part. 1. & *Olei deſtillati Aniſi* part. 5. leni calore digeſtis; ad Pharm. *Auſtriac.* ad quam ejus *Vis carminativa*, *reſolvens*, *expectorans*, & *Uſus* eximius in *catarrhis* & *aſthmate*, *colica nephritica*, *flatulentiis*, *morbis frigidis*, ad *ul-*

cera purulenta pectoris. Datur ad Guttas 3-10. in vehiculo.

5) & *Balſamum Sulphuris terebinthinatum*, præparatur additis tantum *Balſam. Sulphur. Rulandi* part. 1. vel ſimplicis *Olei Terebinthin.* part. 8. ad Pharm. *Auſtriac.* Ad *Suecic.* tantum *Olei aetherei terebinthin.* Unc. 1. ad *Balſam. Sulphur. ſimplic.* Drachm. 3. adduntur.

Vis & *Uſus* hujus Balſami eſt præcipuus in *vulneribus* & *ulceribus*; in læſionibus *ligamentorum* & *tendinum*; *anodynum* eximium in doloribus vulnerum, fibris tenſis; in *gonorrhoeis*; uti & ad parandum *Diaſulphuris Emplaſtrum.* Cavendum probe ne hoc balſamum concipiat flammam, quo ingenti vi exploditur uti *Hoffmanno* contigit. *Plenck.*

6) & *Balſamum Sulphuris ſuccinatum* præparatur uti aniſatum, addito loco *Olei aniſi*, *Oleum Succini.*

Vis emmenagoga fortis, *diuretica*, *carminativa*, ſed caute, in exigua doſi, a guttis 4-25-30. Pharm. *Würt.*

7) *Spielmannus* ſub titulo *Balſama Sulphuris*, ſ. *Balſamum Sulphuris craſſum*, *Edinburgenſium*; hæc monet.

Rec. *Sulphuris Citrini* partem 1. *Olei unguinoſi*, unde denominatur, partes 6. In vaſe terreo amplo, ſub perpetua agitatione coquantur, usque dum ſulphur calore liquatum, ſubiiſſe oleum pateat e colore, odore, ſatisque magna intumeſcentia. *Oleum* quoddam deſtillatum ſi recipiendum eſt, decem ejus adhibentur partes, ſolutioque fit in cucurbita vitrea ope Balnei Arenæ.

E quocunque *Oleo deſtillato* ſurgit *Balſamum Sulphuris Antimoniale*, addito ſolo Hepate antimonii.

Pro

Pro *Balſamo Sulphuris Rulandi* cum oleo, quodam unguinoſo parato, adjicere ſolent jam eidem octavam olei terebinthinæ partem.

8) Conſultius agunt prudentiores Medici, ſi a nauſeoſis his Medicamentis & acribus abſtinent. Præcipuæ enim eorum vires ab oleo pendent, ad eorum præparationem adhibito. Quæ olea unguinoſa receperunt, mitiora quidem ſunt Oleorum odoratorum ope paratis, ſed ne hæc quidem acritudine carent, quippe oleum quodque, ſub præparat. mitiſſimum alias, ubi incaluerit, evadet acre. *Spielmann.*

BALSAMVM VITÆ HOFFMANNI.

Rec. *Olei deſtillati Lavendulae - Majoranae*,
---- *Caryophyllorum - Macis*
---- *Cinnamomi* ana Scrupulum 1.
---- *Rutae - Succini albi* ana Scrupul. dimid.
---- *Citri* e corticibus recens expreſſi Scrupul. 1.
Ambrae griſeae Scrupul. dimid.
Olea cum *Ambra* & *Balſami Peruviani*, ana Scrupulo 1. miſceantur & in *Spiritus Vini* rectificatiſſ. tartariſati Unc. 10. ſolvantur. Pharm. *Würtenb.*

VIS *confortans*, *nervina*, *tonica*, *ſtomachica*.

USUS *Externe* ad *odoramentum*; ad partes debilitatas *roborandas*, *confortandas*, ad *ventriculi* affectus, *nauſeam*, *ructus*, *colicam*, & *diarrhoeam*. *Interne* ad eosdem morbos, qua *nervinum*, *cephalicum*, *ſtomachicum*. &c. ad Guttas 20.

DOSIS a guttis 6 - 20. adultis

OBSERV. 1) Quibus *Ambra* & *Moſchus* placent, iis iſta corpora addi, alias omitti poſſunt.

2) ad *Spielmanni* Pharmacop. univerſ. adduntur adhuc *Olei Cubebarum*, *Cardamomi*, Quintæ eſſentiæ *Citri*, Scrupul. 1.

3) Variæ cæterum extant præſcriptiones *Balſama vitae*, & *apoplecticorum* conficiendi; præcipuæ exiis ſunt ſequentes duo.

a) *Balſamum vitae Teichmeieri.* Rec. Quintarum Eſſentiar. *Citri* Scrupul. 4. *Olei Bergamottae* Guttas 12. *Oleorum deſtillatorum Cinnamomi*, - *Menthae* ana Guttas 18. -- *Cardamomi* -- *Caryophyllorum*, - *Meliſſae turcicae* - *Macis*, - *Rorismarini*, - *Lavendulae* ana Guttas 12. - *Rutae* - *Salviae* ana Guttas 5.

Diſſolvantur in *Spiritus Vini* alcaliſati loti Unc. 6. colorentur *Radicis Alcannae* ſuffic. quantit. filtrato liquori addatur Eſſent. *Ambrae* Drachm. dimid.

Vis *nervina*, *reficiens*, *tonica*, uti *Balſam. vitae Hoffmanni. Spielmann.*

b) *Balſamum apoplecticum*: Rec. *Olei Nucis Moſchatae* expreſſi Unc. 3. *Olei Deſt. Lavendulae* Scrupul. 4. *Cinnamomi* - *Caryophyllorum* ana Scrupul. 2. *Majorannae* - *Rorismar.* ſ. *Anthos* ana Drachm. dimid. *Rutae* - *Succini* ana Scrupul. dimid. *Balſami de Peru nigri* Drachm. 1. & dimid. Omnia commiſcendo fiat lege artis Balſamum, quod tingatur colore nigro, ope ſufficientis *Fuliginis* puræ & tenuiſſimæ. Hoc *impletum* nuncupatur; *completum* reddi poteſt additamento *Moſchi*, *Zibethi*, & *Ambrae griſeae* pro lubitu Medici præſcribentis. Pharm. *Auſtriac.* & *Brunſuic.*

OBS. *Spielmannus* in Diſpenſat. General. præſcribit Rec. *Olei expreſſi Nuciſtae* Unc. 3. & dimid. *Olei Jasmini* deſtillat. - *Cinnamom.* - Lign. *Rhodii* ana Drachm. 1. & dimid. - *Lavendul.*

Majo-

Majoran. - *Caryophyll.* ana Drachm. 1. - *Rutae* -- *Succin.* ana Scrupul. 1. *Balſam. peruv.* Scrupul. 2. probe mixtis addant *Moſchi*, *Ambrae* ana Grana 16. *Spiritus Roſarum trita; Spodii nigri* præparati qu. ſuffic. ad *Balſam. nigro colore* tingendum.

VIS *tonica. nervina.*

USUS *apoplecticorum* naribus, vertici, tempori illinitur, potiſſimum ob odoris commendationem expeti olim ſolebat. *Spielmann.*

BALSAMVM VITÆ EXTERNVM PLENCKII.

Rec. *Sapon. venet. ſiccati & triti* Unc. 12.
Olei Terebinth. Unc. 24.
Sal. Tartari Unc. 36.
Miſce fiat *unguentum* ſ. *balſamum.*

VIS *reſolvens* eximie, & *diſcutiens.*

USUS ad *tumores* cyſticos, *anchyloſes*, ad *tumores frigidos* diſcutiendos, ſi Uncia 1. in Aquæ Unc. 12. diluta, applicetur forma fomenti aut ſtillicidii.

OBSERV. 1) *Spielmannus* mentionem quoque facit *Balſami vitae Funni*, eodem fere modo præparandi. Rec. *Salis Tartari* Unc. 1. & dimid. diſſolvantur in *Aquae fontan.* Unc. 24. addantur *Olei Terebinthinae* Unc. 3. *Saponis veneti pulveriſati* Unc. 2. probe mixtis addantur *Spiritus Juniperi* Unc. 2. *Olei Culilabani* Unc. 3. Miſceantur.
Hoc *Balſamo* membra *arthritica*, *rhevmatica*, *paralytica*, & quæ *ſugillationes* habent, efficaciſſime *fricari* Auctor contendit.

2) Pharm. pauper. *Hamburg.* hac compoſitione *Balſamum vitae externum* præſcribit. Rec. *Sapon. venet.* Unc. 4. *Olei terebinthin.* Unc. 8. *Sal Tartari* Drachm. 6. Miſce fiat lege artis Balſamum.

Bal-

BALSAMVM VULNERARIVM COMMVNE.

Rec. *Terebinthin. venet.* Unc. 1. & dimid.
Spiritus Vini rectificatiſſ. Unc. 6.

Solvantur omnia probe in liquorem aurei coloris, in moderato calore. Pharm. *Würt.*

VIS *conſolidans vulnera*, *ulcera.*

USUS ad *vulnera* recentia *nervoſarum* partium, punctim inflicta, ſcopo roborante, & ab aëris injuriis defendendi, in exiguis vulneribus.

OBSERV. Compoſitio *Balſami vulnerarii Sthalii* eſt quoque valde ſimplex. Rec. *Eſſent. Succini* Unc. 2. *Eſſent. Myrrhae* Unc. 1. *Olei Terebinthinae* Unc. dimid. Miſceantur & loco calido in vaſe clauſo digerantur.

VIS *vulneraria*, *conſolidans.*

USUS ad *ulcera*, *vulnera* partium exſanguium.
Spielmann.

BELLOSTI LIQVOR.

Eſt ſolutio *Mercurii* in dupla portione
Spiritus Nitri fumantis.

VIS *cauſtica.*

USUS ad deſtruendam *cariem*, ſæpe illinitus eo locus, vel plumaceolo humore madido tegitur: continuatur, donec pars carioſa deſtructa invenitur, ne ſanam oſſis ſubſtantiam deſtruat.

OBSERV. *Solutio liquoris Belloſti*, quæ alias ex Unc. 1. *Aquae Calcis*, recenter paratæ, & Guttis 6. liquoris *Belloſti* conſtat, eſt egregium remedium in *cancro faciei*, ad *Hagen*, & in ulceribus *phagadaenicis*, *chronicis*, in *herpete* ad *Janin*, & in *gangraena*. *Plenck.*

BOLVS ARMENA PRÆPAPATA.

Rec. *Boli armenae* qu. lib. (terræ argillaceæ inſtar,) pulveriſat. cum aqua fontana plurima diluitur
&

& probe miſcetur, turbida aqua a ſpiſſo leniter effunditur, tenerior pollis, quem aqua noviter affuſa, diutius retinuit, poſt ſubſidentiam ſiccatus, ſervatur uſui. Pharm. *Roſſica.*

VIS *adſtringens*, *exſiccans*, *obvolvens.*

USUS ad remedia externa magis quam interna proficuus.

Ad *exſiccanda ulcera* & *excoriationes. Plenck.*

OBSERV. *Bolus Rubra* præparatur uti *Armena*

VIS *exſiccans* & *obvolvens.*

USUS ad *excoriationes.*

Ingreditur globum ad *eryſipelas* & *pulverem ophthalmicum. Plenck.*

BOLVS MARTIS, vide *Globuli Martiales.*

BOVISTA PRÆPARATA.

Parenchyma molle, ſpongioſum ac pulverulentum, quod ſub cute externa hujus fungi eſt, ſeparetur ac conſervetur. *Plenck.*

USUS ad *ſanguinem ſiſtendum*, arteriæ vulneratæ imponitur.

BVTYRVM ANTIMONII,

ſ. *Cauſticum.* ſ. *Oleum Antimonii*, vel *Antimoniale.*

Rec. *Antimonii crudi calcinati* Unc. 8.

Salis communis Unc. 12. Miſceantur & imittantur *Retortae tubulatae vitreae;* in arenæ *Balneo* poſitæ; debito igne accenſo, applicetur recipiens, ſatis amplum; in quo

Aquae fontanae Unc. 1. infuſa ſit, ut vapores eo melius coeant. Commiſſura probe lutata ſenſim & minimis portionibus addantur

Acidi Vitrioli concentrati Unc. 6. Igne tunc gradatim aucto inſtituatur deſtillatio, usque dum nil amplius prodit. *Piderit.*

VIS

VIS qua potentiſſimum *cauſticum.*

VSVS in *gangraenae* & *cariei* limite ponendo eximius: leviſſime & circumſpecte applicatum ope *penicilli*, in *corneae ſtaphylomatibus;* in *ulceribus fungoſis*, *calloſis;* in *elerationibus ſcleroticis; proptoſi iridis*, ab *inflammatione* & *debilitate corneae* orta, ſubito iterum injectione lactis tepidæ ablutum. *Piderit.*

OBSERVAT. Plura vide ſub *Antimonii Butyrum.*

BVTYRVM SEV OLEVM CACAO.

Rec. *Nuclei Cacao* ex arbore *Theobroma Cacao*, cortice ſuo liberati & minutim contracti, in mortario calido. l. in *mola verſatili*, l. in *calente lapide* in *pulverem* teruntur;

Aquae fervidae partibus 8. circiter tunc diluitur, & in olla l. alio vaſe idoneo aliquamdiu coquitur; aſſurgit dein ſenſim ad ſuperficiem copioſa *materia oleoſa*, ſubflavo viridiuſcula, quæ cochleari ablata ad uſum ſervanda; moleculas rubeſcentes immixtas liberat, aqua reiterata vice affuſa frigida aut calida, mox dein paulatim Sevi animalis inſtar indureſcit, ac albida fit plane frigefacta.

E *Nucleis non toſtis* paratum *Butyrum, grato odore* & *dulciſſimo ſapore* ſe commendat, *minori* vero acquiritur *copia* quam toſtione, nec ultra 3 - 4. ſeptimanas ſolum conſervandum eſt ob faciliorem ranciditatem.

Nuclei ſi iſto *torrentur* modo, quo eo facilius a corticibus liberari & in grandiuſculum pulverem redigi poſſunt, ſacco linteo includuntur, vapori Aquæ bullientis tamdiu expoſito, usque dum vapor totum penetraverit pulverem: quo dein hi ſacco incluſi Nuclei, in

in prelo moderate calido exprimuntur, donec omne *Oleum*, *Sevi* colorem & ſoliditatem continens, exierit ad Uncias 4. ex Unc. 12. *Nucleorum* a corticibus liberatorum. *Piderit.*

Vel *Nuclei Cacao* poſt lenem omnino toſtionem decorticati in mortario calido contuſi prelo calefacto exprimuntur. Ph. *Herbipolit.*

VIS *demulcens*, *relaxans*, *leniens* ſiccum, *emolliens* ſtrictas ſiccas partes, acre *temperans*, *lubricans*, & hinc *anodyna*, *nutriens* eximie, *pectoralis*, *antinephritica*, *antiſpasmodica.*

VSVS *Interne*, in affectibus pectoris a ſiccitate ortis, in *ſpasmo*, *colica ſpasmodica* & *nephritica* & *pictonum*, in *nephritide calculoſa*; *dyſenteria*, *dyſuria*, *teneſmo*, *ſtranguria* a *veſicae exulceratione*; *criſpatura* inteſtinorum. In *catarrhis*, uti & *phtiſicis*, *hecticis* præſtat infuſo theiformi additum, vel ſacharo mixtum.

Externe ad papillarum mammæ, & labiorum *fiſſuras*; *excoriationes*, demulcendas *haemorrhoides* coecas dolentes inflammatas & exulceratas, uti & ad vaginæ inflammationes; ad recens natorum *excoriationes* cutis: qua coſmeticum cæterum quoque confert. Cæterum non tam facile ſubito ranceſcens mixtum ſub aliis, loco aliarum pinguedinum pro unguentis inſervit.

DOSIS Drachma dimidia, 1-2. l. in lacte, l. juſculo, l. pro morbi conditione, in idoneo decocto, plantarum, l. infuſo Thee, bis terve in die:

OBSERVAT. *Plenck.* in Pharmac. chirurg. commodam hancce præparationem communicat. Rec. *Fructuum Cacao* Unc. 12. leviter in fartagine torrefactas & a cortice mundatas in mortario calido contunde; contuſas in *Aquae communis* Unc. 96. bullire permitte, donec oleum ſupernatet, quod concretum ex aqua refrigerata colliges. Bu-

BVTYRVM ſ. VNGVENTVM MAJORANÆ.

Rec. *Majoranae herbae recent.*
Butyri recent. non ſaliti ana Unc. 12. contuſa & probe mixta coquantur leni igne, donec humiditas exhalaverit poſt expreſſionem ſervetur uſui. *Piderit.*

Paulo refrigeratis addatur ad *Pleuck* Pharmac.
Olei deſtillati Majoranae. Drachm. dimid.

VIS *emolliens*, *reſolvens*, *carminativa* abdomini illinitum.

VSVS in *narium obſtructione* infantum, a muco viſcido orta, illitum radici dorſi & cavitatibus naſi. Additur quoque *Clysmatibus carminativis.*

CALAMINARIS LAPIDIS PRÆPARATIO.

ſ. *Cadmia foſſilis*,

eadem, uti *Antimonium Crudum* præparatum.

VIS *exſiccans*, *adſtringens.*

VSVS ad *unguenta exſiccantia*, uti ad *cerata.*

CALOMEL, vide *Mercurius dulcis.*

CALX ANTIMONII E LOTA,

vide *Antimonium diaphoreticum ablutum.*

CALYX ANTIMONII NON LOTA,

vide *Antimonium diaphoreticum non ablutum.*

CALX ZINCI,

vide *Flores Zinci.*

CAMPHORA PVRIFICATA.

Rec. *Camphorae crudae* Unc. 24.
Calcis uſtae pulveriſatae Unc. 1.

Simul trita immittantur cucurbitæ vitreæ, ..tæ depreſſæ, & arenæ calore ſenſim aucto lique-

quetur Camphora. Remiſſo poſtea calore ſublimetur maſſa pellucida, a ſcoriis, confracto vitro, ſeparanda. Pharm. *Suecic.*

CANCRORVM CALCVLI,
ſ. OCVLI CANCRORVM PRÆPARATI,
vide *Lapides Cancrorum* præparati.

CANDELÆ CHIRVRGICÆ EXPLORATORIÆ - SATVRNINÆ - MERCVRIALES &c.
vide *Cereoli Chirurgici exploratorii Saturnini* ſ. *Mercuriales.* &c.

CANDELÆ FVMALES CORRECTÆ.
Juncken.

Rec. *Gummi Benzoes* electæ Unc. 8.
--- *Styrac. calamitae* Unc. 1. & dimid.
--- *Ladani*, --- *Olibani*,
--- *Maſtichis* --- *Caryophyllorum*, ana Drachm. 1. & dimid.
Carbonum Tiliae Unc. 36. Pulveriſata redigantur cum
Mucilaginis *Tragacanthae* quant. ſuffic. in *maſſam*, e *qua formentur* parvi coni, quorum *baſes* in tres pedes figurantur.

Vis & uſus e nomine patent. *Spielmann.*

CATAPLASMA EMOLLIENS,
vide *Species emollientes* pro *cataplasmatibus.*

CATAPLASMA MATVRANS,
vide *Species maturantes* pro *cataplasmatibus.*

CATAPLASMA RESOLVENS,
vide *Species reſolventes* pro *cataplasmatibus.*

CAVSTICVM LVNARE, vide *Lapis Infernalis.*

CAVTERIVM POTENTIALE,

vide *Lapis cauſticus*, *ſepticus*; ſ. *Cauſticum commune acerrimum Londinenſium.*

CAVSTICVM SALINVM.

Rec. *Lixivium Saponarii* per linteum colati, qu. pl.
Coque ad tertiæ partis remanentiam, & tum, etiamnum bulliens ſit, adjice ſenſim
Calcem uſtam, cum Aquæ pauxillo in pulverem tritam,
donec liquorem abſorpſerit, & in paſtam coacta ſit, quæ vaſe vitreo bene occluſo ſervanda eſt. Pharm. *Suecic.*

VIS *cauſtica*, *ſeptica*, mitior tamen quam alia cauſtica.

USUS in *vulneribus*, *ulceribus*, ad *carnem luxuriantem.*

CERA PVRIFICATA.

Rec. *Cerae flavae* Unc. 1.
Spiritus Vini rectificati qu. ſuffic.
Triturando in mortario vitreo commiſce, & per chartam cola. Maſſa unguinoſa in colo manens ſervetur. Pharm. *Suecica.*

VIS *demulcens*, *lubricans.*

USUS ad præparata pharmacevtica externa chirurgica; ad *Cerata*, *Emplaſtra.*

CERA CITRINA.

vide *Emplaſtrum Citrinum.*

CERA VIRIDIS KALDE.

Rec. *Cerae Citrinae* Unc. 33.
Reſinae Pini - *Terebinthinae* ana Unc. 12.
Mixtis & liquatis adjiciantur,
Viridis Aeris probe triti Unc. 2. *Spielm.*

VIS *diſcutiens*, *ſeptica.*

USUS

USUS ad *clavos pedum.*

CERATVM COSMETICVM,

ſ. *Pomade en Creme Beaume.*

Rec. *Cerae albae*, *Spermatis Ceti* ana Unc. dimid.
Olei Amygdalar. dulcium Unc. 1. Leni calore liquata agitentur usque dum refriguerint, cui tum ſenſim affundantur,
Aquae Roſarum Drachm. 6. Sub perpetua agitatione reliqua maſſæ commiſcendæ.
Spielmann.

VIS *cosmetica.*

USUS ad *cutem mollem reddendam & purificandam.*

OBSERV. *Cerata* ab *emplaſtris* parum differunt, niſi, quod ſint molliora ac tractabiliora, hinc ad *Emplaſtrorum* mollium tantum claſſem referuntur.

Ceratum eſt *Emplaſtrum* molle, mediæ fere inter *emplaſtrum & unguentum* ſpiſſitatis, hinc materia eadem quæ emplaſtrorum; ſola proportio ingredientis olei, major eſſe debet quam in emplaſtro.

Quodlibet Emplaſtrum cum oleo liquatum abit in Ceratum.

CERATVM LABIALE.

Rec. *Butyri* recent. non ſaliti. Unc. 6.
Paſſular. major. contuſar. Unc. 4.
Coque ad conſumtionem fluidarum partium, & adde
Cerae Citrinae Unc. 2. Exprime, & paulatim refrigeratis adde
Olei Caryophyllorum deſtillati, Guttas 20.
Maſſa in capſulas papyraceas quadratæ formæ, effuſa frigeſcat. *Piderit.*

VIS *conſolidans, vulneraria, temperans, anodyna, cosmetica.*

USUS ad *labiorum*, *narium* & *papillarum* in *mammis fiſſuras*; ad *excoriationes* ſub naribus in coryza ortas; ad *ambuſta*. Ad *abſceſſuum* maturitatem promovendam; ad *dolores haemorrhoidum* cœcarum mitigandos: ad *impetiginem*.

Quibus *rubedo* magis placet, iis radix *Alkannae* addi poteſt.

OBSERV. 1) *Ceratum labiale* præſcribit quoque *Roſenſtein*. Rec. *Butyri* recent. non ſaliti Unc. 6. *Cer. Citrin.*. *Paſſul. major.* exacinat. conciſ. *Pomor. Borsdorf.* exacinat. conciſ. ana Unc. 2. Coque in vaſe figulino, donec guttula carboni candenti immiſſa crepitum non edat. Maſſa fervens forti expreſſione per pannum, in vas *Aqua roſarum* repletum, coletur, & refrigerata ab aqua hac liberetur.

Pharm. *Herbipolitan.* parum mutavit hancce compoſitionem hoc modo. Rec. *Butyri* recent. inſulſi Unc. 9. *Paſſular. major.* exacinat. Unc. 2. *Pomor. Borsdorſian.* in taleolas diſſector. Nro 8. Leni igne coquantur, & humiditate fere abſumpta addantur. Rad. *Anchuſae* groſſiuscule contuſ. Unc. 2. Poſt lenem ebullitionem in ipſis liquentur, *Cerae albae* Unc. 4. ab igne remotis, & colatis inſtillentur *Olei Ligni Rhodii* & de *Cedro* ana Guttæ 20. Effundantur in chartam *Oleo amygdalar.* dulc. illitam.

OBSERV. 2) Pharm. *Suecica Ceratum labiale* præſcribit e *Cerato albo*, ſi radice *Alkannae* iſtud qu. ſuffic. tingitur. Quale *Ceratum album* præparandum eſt ex *Olei Olivarum* Unc. 6. *Spermatis Ceti* Unc. 3. *Cerae albae* Unc. 2. & dimid. Mixta liqueſcant, & aſſidue agitentur ſpathula lignea donec refrixerint.

Spielmannus in Diſpenſat. Univerſ. ſuadet Ceratum ad labia ita conficiendi e *Pomis*, & *Succis*

uva-

Uvarum ana Unciis 12. *Butyri recent.* Unc. 32. lento igne coquendis ad conſumtionem humiditatis, per linteum trajectis addendi *Cerae albae* Unc. 16. *Spermat. Ceti* Unc. 1. Leni calore liqueſcendi, ſub perpetuo motu refrigeratis immiſcendi *Olei deſtillat. Lavendulae* Drachm. 1. Pharm. *Roſſica* ad confectionem *Cerati labialis* ſuadet *Olei Amygdalini* Unc. 8. *Cerae albae* Unc. 12. *Spermatis Ceti* Unc. dimid. *Olei Ligni Rhodii* Drachm. dimid. quod tingendum roſeo colore *Alkannae* radicis.

CERATVM MERCVRIALE DETERGENS,

Falckii.

Rec. *Mercurii calcinati* ſ. *praecip. rubri* Unc. dimid.
Mercurii dulcis rite *ſublimati* Unc. 2.
Lævigentur ſupra *Lapidem marmoreum* & planum, adſperſa paulula Aqua, ut fiat Pulvis ſubtiliſſimus, qui ſiccatus miſcetur cum
Sackari Saturni Unc. 1. Iterum lævigatos pulveres inſperge in liquefactas
Cerae albae Unc. 4.
Olei Nucum Inglandium Unc. 6. quibus adde
Olei Lavendulae deſtillatæ, Guttas 30.
Maſſa, dein in capſulas papyraceas quadratæ formæ effuſa, frigeſcat, uti ceratum labiale.

Piderit.

VIS *detergens*, *ſanans.*

USUS in omnibus *ulceribus venereis*, & aliis *cutis vitiis*, ab acrimonia humorum ortis.

Sæpe hoc cerato applicato *ſpasmi*, in partibus & ſenſilibus, ab *acribus* humoribus excitati, cito ſiſtuntur. Vel cum evulſo linteo, *ulceribus* applicatur, vel cuti infricatur ad *Falck* obſervata.

OBSERV. 1) Pharm. *Herbipolit.* loco *Olei Nucum Inglandium* & *Lavendulae*, tantum præſcribit *Olei Olivarum* opt. Unc. 6.

OBSERV. 2) Pharm. *Londinenſ.* hancce præſcript. æque commodam exhibet. Rec. *Cerae flavae*, *Axungiae porcinae curatae* ana Unc. 6. *Argenti vivi* Unc. 3. *Balſami ſulphuris* ſimplicis Drachm. 1. *Ceram* cum *axungia* liquefac, tum gradatim adde *argento vivo* cum *balſamo ſulphuris* trito. In hoc eſt totius pars fere quinta.

CERATVM SATVRNI GOVLARDI.

Rec. *Olei Nucum Inglandium* Unc. 12.
Cer. Citrin. Unc. 4. Solvantur leni igne & adde
- *Aquae fontan.* Unc. 12. *Extr. Saturni* Unc. 1.
Miſceantur exactiſſime & fiat Ceratum, uti antea deſcriptum.

VIS *refrigerans*, *antiphlogiſtica*, *reſolvens*, *diſcutiens*, *adſtringens*, *roborans*, *antiſeptica*.

USUS ad *ambuſta*, *ulcera* - *inflammata* - *externa* - *ſerpiginoſa* - *calloſa* - *fiſtuloſa* - *ſcrophuloſa* - *venerea*, nec non ad impetiginem, *contuſiones*, *cancros*, *ſcabiem*, & ope additi *Saponis* ad *anchyloſes*; ad *tumores inflammatorios*.

Multum convenit cum *Emplaſtro Saturnino*.

OBSERV. 1) Pharm a) *Herbipolitan.* præſcribit valde ſimplici modo *Ceratum Saturni*.

Rec. *Olei Olivar.* Unc. 48. *Cerae Citrinae* Unc. 18. ſimul liquentur, & colentur; quibus parum refrigeratis, ſub continua agitatione ſenſim adde *Aceti Lithargyrii concentr.* Unc. 12. in fine adde *Camphorae* in *Oleo Olivarum* ſolutæ Drachm. 6. Miſce fiat Ceratum. *Plenckius* in pharmacolog. addit tantum ad *Olei Olivarum* rec. Unc. 12. *Cerae alb.* Unc. 3. liquatis, mixtis refrigeratis *Aquae vegeto mineralis* Unc. 9.

b) *Spielmannus Ceratum Saturninum Goulardi* ita

ita præſcribit. Rec. *Cerae albae* Unc. 8. *Olei Amygdal.* Unc. 18. Leni igne liquatis addantur *Extr. Saturni* Unc. 4. Sub perpetua agitatione refrigeratis admiſceatur *Camphorae*, parum *Olei Amygdalarum* diſſolutæ, Drachm. 1.

c) Pharm. *Roſſica* alia valde ſimplici methodo *Ceratum Saturninum* præſcribit, ad *Aceti Saturnini* Unc. 1. cum *Aquae commun.* Unc. 24. miſcendam, *Cerae* tum Unciam 1. cum *Olei Olivarum* quadruplo liquandi in ampla patina, loco frigido forti agitatione ſenſim & per partes miſcendi.

d) Ph. *Würt.* ſuadet quoque hancce compoſitionem commodam. Rec. *Litharg.* Unc. 24. *Aceti Vini* Unc. 16. Mixtis coque per horam 1. ſub perpetua agitatione, cum ſpathula lignea, ſolutioni poſt decantationem & filtrationem adde *Olei Olivarum* Unc. 4. *Cerae* Unc. 1. Quæ mixta liquentur leni igne, huic maſſæ refrigeratæ ſucceſſive adde Aquam Saturninam, ex Unc. 24. Aquæ & Unc. 1. Extr. *Saturni* paratæ, ita tamen, ut in patina ampla, in loco frigido, per vices exiguæ ſaltem doſes Aquæ, forti motu & concuſſione ope ſpatulæ ligneæ miſceantur, omni aquæ quantitate ſubacta cum *Oleo* & *Cera*, *Cerati albi* formam, magnæ molis, induerit. Qualis labor 3-4 horis abſolvitur.

OBSERV. 2) Pharm. *Auſtriac.* præſcribit quoque

a) *Ceratum* peculiare pro *Cereolis digeſtivis.*

Rec. *Emplaſtri* de *Cicuta ſimplic. Unguenti baſilici* ana Unc. 3. *Pulveris flammulae Jovis* Unc. 2. & dimid. *Terebinthinae coctae*, *Cerae flavae* ana Unc. 2. & dimid. *Balſami* de *Copaiva* Unc. dimid. Uniantur omnia igne leni in maſſam, quacum formentur lege artis Cereoli. VIS & USUS e nomine.

b) & *Ceratum* pro *Cereolis balſamicis.* Rec. *Emplaſtri Diachyl.* c. gumm. *Emplaſtri Mercurial.* ana Unc. 2. *Cerae flavae*, *Reſinae* ana Unc. 1. & dimid. *Terebinthinae clarae* Unc 1. *Aethiop. mineral.* Drachm. 6. *Balſami peruviani* Drachm 3. Miſce ut fiat Ceratum pro Cereolis lege artis parandis. vis & uſus e nomine.

c) & *Ceratum* pro *Cereolis exſiccantibus.* Rec. *Cerae flavae* Unc. 12. *Terebinthinae coctae* Unc 3. *Extracti Saturni* debite concentrati Drachm. 6. Uniantur igne lento in Ceratum, quo cum eff[ormentur] lege artis Cere[oli]. Si huic Maſſæ ſuper addantur, *Extracti Hyosciami* Unc. dimid. *Olei Ovorum* Drachm. 6. *Cerae flavae* Unc 2. apti etiam erunt *Cereoli ad dolores leniendos.*

CEREOLI EXPLORATORII.

Rec. *Olei Olivarum* Unc. 1. *Cerae Citrinae* Unc. 6. Leni igne, vitato empyrevmate, liquefacta ab igne removeantur; tenuiores tunc *lintei hollandici*, vel etiam *holoſerici* paniculas, 10. pollicum longitudine, & duorum latitudine, leviter in *cylindros* convolutos, *maſſae* adhuc *fervidae*, *ſpumanti*, & bullas in ſuperficiem ferenti, ita imme[r]ge, ut ſi extraxeris, alterum latus tantum convoluti hujus lintei, liquore obductum tinctumve reperiatur. Refrigeratis pannis, *ſingula fruſtula* in ſex partes æquales ſecantur, quarum una quæque ad alteram extremitatem, *pyramidatam* habet *figuram*; ſuper *Marmor* tandem fruſtula polita & *ſapone* delinita, primo *digitis* & dein ope corporis cujusdam duri, e. g. *vitri* convolvuntur, ut *cylindrum* referant, & ſuperficiem habeant perfecte complanatam.

Maſſa

Maſſa debitam & idoneam habeat *ſpiſſitudinem*, & juſtum *caloris gradum*, quando *lintea* ei immittuntur, quo *Cereoli* eo magis *laeves* fiant & formæ exactæ. *Piderit.*

VIS &

USUS *chirurgicus* 1) ad *urethram*, a variis *venereis* affectibus anguſtatam, dilatandam;
2) ad *medicamenta* varia urethræ applicanda;
3) in *fiſtularum* veſicæ & *urethrae* curatione, ad *urinam* per hanc viam educendam, ne per fiſtulam tranſeat;
4) ad *carunculas urethrae* auferendas;
5) ad *gonorrhoeam ſuppreſſam* revocandam, cui ſcopo & adhibentur *Cereoli Falckii*;
6) ad *inflammationes urethrae* mitigandas, & *dolores atroces* ſopiendos, in quo caſu ei valent *Cereoli mitigantes. Piderit.*

OBS. *Applicatio Cereolorum* in genere Chirurgum deſiderat exercitatum; *diuturnam* eorum *applicationem* facile parere *urethrae debilitatem. Male* quoque, qui *mitigantes* vocantur, cum *ſaturnini* ſint, *gonorrhoeae* adhuc *fluenti* applicantur. *Piderit.*

CEREOLI MEDICATI FALCKII.

Rec. *Terebinthin.* venet. l. larigin. Drachm. 1.
Gummi Laccae pulveriſati Drachm. dimid.
Liquentur ſufficient. ignis gradu, & dein addantur.
Emplaſtri Mercurialis Unc. 2.
Mercurii dulcis rite ſublimat. Drachm. 2.
---- *calcinat.* rubri ſubtiliſſ. pulveriſ. Scrupul. 2.

Miſceantur omnia, probe agitando, ne ſeparentur, e vaſe diſcedant, & fiant *cereoli*, uti alii jam præſcripti exploratorii.

VIS &

USUS idem cum præcedentibus exploratoriis; præſertim ad *gonorrhoeam ſuppreſſam* revocandam. *Piderit.*

OBSERV. Pharm. *Suecica Cereolos medicatos* præſcribit ad hancce formam. Rec. *Cerae flavae* liquefactæ Unc. 12. *Spermatis Ceti* Drachm. 3. *Aceti Lithargyrii.* Drachm. 2.

Commixtis & ab igne remotis immerge telas tenues, e quibus fiant lege artis cerei.

Præparari quoque poſſunt cum *Aceti Lithargyri duplo* l. *triplo* l. *quadruplo.*

Pharm. *Roſſica* ſuadet tantum ad *Cerae flavae* liquatæ Unc. 12. *Aceti Saturni* Unc. dimid. miſcendi & ab igne remotis immergendi telam tenuem, ad conficiendos cereos lege artis.

CEREOLI MITIGANTES EXPLORATORII,

ſ. Candelae exploratoriae mitigantes.

Rec. *Cerae flavae* Unc. 24. Leni igne liquatæ, admiſceantur

Extracti Saturni Unc. 1.

Miſceantur continua agitatione, & ex hac, ab igne remota maſſa, fiant cereoli uti ſuperiores exploratorii. *Piderit.*

VIS *mitigans, leniens, anodyna.*

USUS chirurgicus, ad *urethrae* affectus, inprimis ejus *inflammationes* mitigandas, & *dolores* atroces ſopiendos.

OBSERVAT. Sunt *iſti* quidem *Cereoli*, qui a Le *Dran*, *Hauteſierckio*. & *Goulardo* laudantur. *Goulardus* quidem 3. *Species*, una præ altera fortiores, *Candelarum* ſ. *Cereolorum* habet, ad affectus *urethrae* valde proficuos, ad hancce compoſitionem & differentiam.

a) Rec. *Extracti Saturni* Unc. 1. *Cerae flavae* li-

liquatæ Unc. 24. Miſce ab igne remotis, imm erge telas, fiant *Candelae primae ſpeciei.*

b) Rec. *Extracti Saturni* Unc. 2. *Cerae flavae* liquatæ Unc. 12. Miſce uti antea - ut fiant *Candelae ſecundae ſpeciei.*

c) Rec. *Extr. Saturn.* Unc. 4. *Cerae flav.* Unc. 12. Miſce uti antea - ut fiant *Candelae tertiae ſpeciei. Goulard.*

CERVSSA PLVMBI.

Rec. *Plumbi* laminarum tenuiſſimarum quant. vis, ſuſpendatur in *vaſe fictili*, in *Arenae balneo* poſito, in cujus fundo ſit

Aceti optimi, quantum ſufficit. Digere leni igne, donec *Plumbum*, per vapores *Aceti*, in *Calcem albam*, laminis plumbi elevatam mutatum fuerit, qui abradendus qua pulvis albus.

VIS *exſiccans*, *repellens*.

USUS ad *emplaſtra* & *unguenta* varia exſiccantia.

OBSERV. 1) *Ceruſſam* non ipſi parant Pharmacopoii noſtri, ſed ea utuntur, quæ ex *Batavia* ad nos mittitur.

Curandum autem eſt hancce ob cauſam, ne *Creta* aut *Bolo albo*, multo viliori pretio acquirenda, adulterata ſit, quod ſubito ſe manifeſtat, ſi cum *acidis* effervefcit.

2) *Peſſime* iſtæ exſiccantur *excoriationes* nuper natorum. Aeque *male* mulieres ea *utuntur* tanquam *cosmetico*, exceptis aliis *noxis*, quæ continuatus *Ceruſſae* uſus infert ſanitati, *ſi faciem denigrat & corrugat. Piderit.*

CERVSSA ANTIMONII.

Rec. *Reguli Antimonii* part. 1.
Nitri depurat. part. 3.

Mixta in pulverem redacta detonentur, & calx edulcorata aſſervetur uſui.

VIS

VIS &
USUS non differt ab *Antimonio diaphoretico.*
Spielmann.

CHOCOLADA MEDICA,
ſ. *Chocolade de Santé.*

Rec. *Cacao* fructuum quantum placet, *Coque* cum *Aquae fontanae* quant. ſufficient, tamdiu, usque dum cortices facile ſeparentur.
Purgatis ab his, *torreantur* ſuper clibano, & craſſiuſcule contundantur in mortario.
In aheno tum, e ferro fuſo, uno pollice craſſo, ope clavæ itidem e ferro fuſæ redigantur in pulverem ſubtilem. Aheno dum *Febae* terantur, cacabus cum prunis ſupponitur, & iſto modo illud in caloris gradu, quem manum facile ferre poteſt, continuo conſervetur. Maſſæ, dum coeat tandem forma, quæ placet, detur. *Moench. Piderit.*

VIS *nutriens, corroborans, demulcens.*

USUS ubi corpus ſine exæſtuatione blande *nutriendum* eſt, e. g. *infebribus lentis, virium* ingenti *jactura* optime convenit cum *Aqua* vel *Lacte* cocta. In *tabe, phtiſi, hectica* & ſenibus. *Phtiſicis vires* quodammodo ſuſtentat & *intolerabilem tuſſim mitigat*, hinc non exiguo eſt ſolamini tam iſtis miſerrimis ægris, quam ipſi Medico, ſi morbum ipſum non amplius ſuperare nequit.

DOSIS Uncia 1. cum menſtrui aquoſi Unciis 6. prodoſi exhiberi ſolet.

OBSERV. 1) Quidam miſcent fructuum *Cacao* Unc. 15. cum *Sachari* Unc. 9. & præparant conſueto more Chocoladam medicam.

OBSERV. 2) *Chocolada ordinaria* optime paratur e Nucum *Cacao*, (*Caraques*) leviter toſtarum Unc. 10. In pulverem redactæ committendi ſunt

ſunt mortario ferreo, prunis ſuper impoſito & ſub gradu caloris eo, quem manus ſuſtineat, agitentur piſtillo, usque dum in paſtam abierint, adjiciantur ſub agitatione, neque remiſſo calore continuanda, pulveriſati *Sachari* Unc. 12. ubi nulli ulterius grumuli in maſſa obſervantur, addatur *Vanillae* cum *Sachari* Drachm. 3. in pulverem tritæ, Drachm. 1. Exacte mixta paſta committitur modulis, parallelogrammis ferreis, ſtanno obductis.

Si Scrupulum 1. ad Unc. 12. receptum eſt *Chocolata* a Une *Vanille* appellatur, ſi 2. a Deux Vanilles &c. denominatur. *Spielmann.*

OBSERV. 3) *Alii* præſcribunt uti Pharm. *Würt.* & *Mollin Cinnamom. acuti, Caryophyllorum aromaticor.* ana Drachm. 2. & *Balſ. peruv. nigri,* Gutt. aliquot, ad fruct. *Cacao* Unc. 12. & *Sachari albi,* Unc. 12. *Vanigliar. opt. tritar.* Nro 3 - 4.

OBSERV. 4) Patent *Vires Chocoladae* e Nucleis unde conficiuntur, quippe quibus præter mite *Oleum*, ope *Sachari* in Aqua ſuſpendendum *adſtringentis* & *aromatici* quid inhæret. *Spielm.*

CHALYBS PRÆPARATVS,

vide *Æthiops martialis.*

Cujus vires quoque ſunt *adſtringentes*, *tonum viſcerum roborantes*, ad *Spielmannum*, qui præſcribit, *Limatura Chalybis* in mortario ferreo piſtilli ferrei ope reducendi in tenerrimum pollinem, per cribrum ſericeum trajiciendi, & ſic uſui aſſervandi in vitro probe clauſo.

Datur optime in exigua doſi a Granis 5 - 6. in continuo præcipue ejus uſu, ad *ventriculi*, *imbe-*

imbecillitatem, *cachexiam* & *menſium vitia*. Fæces alvi nigræ fiunt in felici ejus effectu. Nocet in *ſtricturis ſpasmodicis*.

CINERES,

videatur *Salia* per incinerationem parata.

CINERES CLAVELLATI DEPVRATI,

vide *Alkali lignorum depuratum*.

CINNABARIS ANTIMONII,

vide *Antimonii Butyrum* & *Cinnabaris*.

VIS & USUS cum *Cinnabari* factitia idem.

CINNABARIS FACTITIA.

Rec. *Sulphur. florum* Unc. 6. Liqueſcant in patella terrea ſuper carbonibus, infunde paulatim.

Hydrargyri Unc. 24-36. Aſſidue agitando cum bacillo ligneo probe permiſce, donec nullus amplius Mercurius appareat.

Maſſa hæc nigricans, in mortario vitreo pulveriſata, e phiala vitrea ſublimetur igne per gradus in ſummum aucto. Finita ſublimatione *Cinnabaris* ab impuritatibus liberata ſubtiliſſime pulveriſetur, & ſervetur. *Cinnabaris* non ſatis pura & elegans qui videtur, novæ ſublimationi ſubjicienda eſt.

Pharm. *Herbipolit.*

VIS *alterans*, *antiſpasmodica*, *diapnoica*.

USUS in *ſpasmo* rebelli, *chloroſi*. Ad *ulcera venerea* ope fumi caute. Cinnabari nativæ, arſenico leviter mixtæ, præferendus eſt *artificialis*, qui non confert, ſi non prius rectificata lævigata, & alcoholiſata eſt.

DOSIS Grana 3-14. pro doſi.

OBS.

OBSERV. 1) Pharm. *Edinburg.* præſcribit Florum *Sulphur.* Unc. 12. ad *Hydragyri* Unc. 42. eodem modo parandi.

Pharm. *Suecic.* præſcrib. ad *Sulphuris* Unc. 12. in vaſe ferreo capaci liquefact. addend. *Hydrargyri* prius calefacti Unc. 60. Agitandi continue ſpathula ferrea ut commiſceantur, & tum operculum adaptandum ligneum, ne inflammentur hæ ſpecies, maſſa autem nondum refrigerata teratur in pulverem, & vaſe vitreo ſublimetur.

OBSERV. 2) *Cinnabaris nativa* non tam copioſe amplius præſcribitur, ſed magis *factitia*, ob *fraudes varias.* Cæterum cum cinnabaris & nativa & factitia in aqua indiſſolubilis ſit, & cum in fæcibus, alvo excreta ſæpe immutata viſa fuerit, hinc ultra primas vias agere non cenſetur, hinc utrorumque uſus non amplius eſt tam copioſus.

OBSERV. 3) *Mangoniſatio* quoque fit, lucri cauſa, cinnabaris *factitiae* a *Belgis* venditoribus, quem pharmacopæi emunt, qui proprio marte ut debent non præparant eam, ut de ejus puritate poſſint teſtari. Admiſcent iſti nimirum vel *Minium*, l. *Sanguinem Draconis*, l. utrumque.

Minium mox apparet *flamma rubella*, ſi cinnabaris iſta *minio* adulterata prunæ ardenti imponitur, l. inſtituta ſublimatione, ut appareat an ſine reſiduo elevetur; aut cum aceto affuſo digeſtioni exponitur, quod e minio dulce redditur.

Sanguine Draconis facta fraus apparet, ſi cinnabari iſta adulterata ebullitio ad ignem fit, quo gratus odor apparet; ut & ſpiritus vini ope.

Pharm. *Herbipolit.*

Cla-

CLARETA, SEV LIQVEVRS,

Parantur 1) ſive e partibus *Vegetabilium* cum *Vino* infuſis, quibus *Spiritus Vini*, quarta ratione Vini pars, & tertia *Sachari* adjicitur;

2) ſive e *Succis Fructuum*, quibus *Spiritus Vini* æquales partes, & *Sachari* duæ trientes commiſcentur.

3) ſive e *Vegetabilibus* cum *Spiritu Vini* maceratis. quibus octava pars *Aquae*, ratione *Spiritus Vini* additur; Spiritus calore Balnei Mariæ inde evocatur, & *Syrupo*, qui ſacharum in pari cum ſpiritu ratione habet, commiſcetur;

4) ſive e partibus anaticis *Aquae deſtillatae* odoratæ & *Spiritus Vini*, quibus mixtis eorum ponderis quarta pars *Sachari* & *Olei* cujusdam deſtillati aliquot Guttæ adjiciuntur.

Ita *Claretum Aniſi*,
---- *Cinnamomi*,
---- *Menthae criſpae*,
---- ---- *Piperitidis*, quod *Eau de Chaſſeurs* appellatur &c. parari poſſunt.

Claretum quovis modo paratum, per filtrum trajiciendum eſt. *Spielmann.*

VIS & VSUS *Clareta* vix ſcopo Medicato exhibentur, potius voluptatis cauſa bibuntur; eorum ope *Digeſtioni* omnino poteſt *juvari*, ſi ventriculo cibo repleto committuntur.

OBSERV. 1) Utplurimum proprium *Artificum* genus circa eorum præparationem occupatum eſt: uſitatiſſimorum parandi rationem *Machy*, in libro, ſub titulo, Art du deſtillateur, Liquoriſte, exhibet.

2)

2) Quidam e præcipuis ſunt ſequentes, peculiaris effectus & jucunditatis.

a) *Claretum Aurantiorum* Florum, ſ. *Huile de Fleurs d'Orange dictum.* Rec. *Aurantiorum Florum* Unc. 16. Infundantur per menſem cum *Spiritus Vini* Unc. 56. Coletur liquor valida expreſſione, adjiciantur *Sachari* Unc. 40. diſſolutæ in *Aquae commun.* Unc. 28. Elapſis 14. diebus filtretur.

b) *Claretum Fructuum.* Rec. *Ceraſorum dulcium* maturatorum part. 30. *Ribeſiorum* part. 12. *Ruborum Idaeorum* partes 6. contundantur & infundantur per menſem cum *Spiritus Vini* pari quantit. *Succi* ope preli expreſſi Unc. 15. addantur *Caryophyllorum* contuſorum numero 48. *Vanigliae Siliqua* 1. *Sachari* Unc. 96. Elapſo menſe Liquor filtretur.

c) *Claretum Nucleorum*, ſ. *Perſico.* Rec. Nucleorum *Perſicorum* numero 100. integri infundantur per menſem cum *Spiritus Vini* Unciis 32. addantur *Vanigliae*, *Sacharo* tritæ, Grana 6. Poſt dies 14. Liquor filtretur.

d) *Claretum* e *Seminibus carminativis*, ſ *Roſſolis*, de *Six Grains Pariſienſium.* Rec. Semin. *Aniſi*, *Anethi*, *Foeniculi*, *Coriandri*, *Carvi*, ana Unc. i. contuſa infundantur per menſem cum *Spiritus Vini* Unciis 230. Addantur *Sachari*, *Aquae commun.* ana Unc. 40. Filtrentur. VIS & USUS hujus Clareti non tam *ſaporis* ſuavitate, quam virtute *carminativa* ſe commendat. *Spielmann.*

CLYSMA ANTISPASMODICUM.

Vide *Species antiſpasmodicae* pro *Clyſteribus antiſpasmodicis.*

CLYSMA CARMINATIVUM,

vide *Spec es carminativae* pro *Clyſteribus.*

CLYSMA EMOLLIENS,

vide *Species emollientes* pro *Clysmatibus.*

CLYSMA RESOLVENS,

vide *Species reſolventes* pro *Clysmatibus.*

COLCOTHAR VITRIOLI,

ſ. *Vitriolum Martis* ad rubedinem calcinatum.

Vitrioli Calcinati, vel *Vitrioli Viridis* quantum placet urgeatur igne vehementi, in vaſe ferreo, donec tranſierit in materiam coloris ruberrimi. Pharm. *Edinb. Suecica.*

VIS externe *adſtringens*, *exſiccans.*

USUS ad *Emplaſtra* l. *Unguenta* roborantia: cum *Myrrha* in *Aqua Calcis* & *Vino* coctum exhibet *Aquam Vulnerariam* pro pauperibus. *Plenck.*

OBS. Eſt terra quoque rubra metallica poſt deſtillationem acidi vitriolici ſuperſtes.

COLOPHONIUM.

Reſiduum e deſtillatione *Spiritus* ſ. *Olei Terebinthinae* exhibet *Terebinthinam coctam*, quæ lento igne absque Aqua cocta vocatur *Colophonium.* Vide plura Spiritus ſ. Oleum Terebinthinæ.

VIS ſuppurationem *promovens.*

USUS *externe* chirurgis qua *digeſtivum ſiccum* inſervit; *vulneribus* & *oſſibus carioſis* inſpergitur pro excitanda leni *ſuppuratione.*

COLLVTORIVM ANTISCORBVTICVM.

Rec. *Aquae Cochleariae* Unc. 2.
Spiritus Cochleariae Unc. 1.
Tincturae Laccae Unc. 2.

Miſce-

Miſceantur.

VIS *antiſcorbutica, adſtringens.* *Plenck.*

USUS ad *ſtomacacem oris*, & *aphthas ſcorbuticas.*

OBSERVAT. *Collutorium* eſt liquidum medicatum, quod in oris cavo detineri, l quo oris cavum elui debet. Materies & porportio ingredientium hinc eadem, ac in gargariſmate.

VSVS in *morbis oris, linguae* & *dentium.*

Præcipua ſunt hæc,

a) *Collutorium Gingivale*, ſ. *Eau de Madame de la Vrilliere Beaumé.*

Rec. Herbar. recent. *Naſturſtii* Unc. 6.
---- --- *Cochlear.* Unc. 8.
Flavedinis *Cortic. Citri* Unc. 1. & dimid.
Cinnam. Unc. 2. *Caryophyllor.* Drachm. 6.
Flor. *Roſar.* rubrar. Unc. 1.

Inciſa contuſa infundantur per 24. horas cum *Spiritus Vini* rectificati Unc. 48. deſtillentur lege artis.

USUS. Hoc Spiritu æqualibus partibus *Aquae Cochleariae* l. alius deſtillatæ mixto, palatum colluitur, ad odorem eo alliciendum ſuaviorem, inprimis in *ſtomacace.* *Spielmann.*

b) *Collutorium Rutaceum.*

Rec. *Foliorum Rutae* part. 1.
--- *Salviae* part. 3.

Conc. miſc. coquantur in *Aquae ſontanae* Unc. 18. Colatura detur.

USUS in *dolore dentium*; ad *dentes carioſos* emendandos, & ſanos a *carie* præſervandos.

COLLVTORIVM ODONTALGIC. PLENCKII.

Rec. Radic. *Pyrethri* Drachm. 2.
Salis Ammoniac. Drach. 1. *Extr. Opii* Gran. 2.
Aceti, *Aquae* deſtillat. *Lavendulae* ana Unc. 2.

Inciſa & trita infundantur calide per aliquot horas. Colatura ſervetur.

USUS Collutorii hujus cochlear. I. crebrius de die ore clauſo contentum *odontalgiae carioſae* & *rheumaticae* valde medetur.

COLLYRIVM CÆRVLEVM - EXSICCANS - SAPHIRINVM.

vide *Aqua ophthalmica caerulea.*

CORNV CERVI VSTVM.

Rec. *Cornu cervi* in majora diſſectum fruſta qu. pl. In furno, aperto igne, ad albedinem calcinetur dein in mortario ferreo contuſum, affuſa aqua ſuper porphyritem ſubtiliſſime levigetur, exſiccetur & in pulverem teratur.

VIS *ſiccans*, *adſtringens*.

USUS qua pulvis egregius ſtypticus ad compeſcendam *haemorrhagiam*, l. *ulcera exſiccanda*.

OBSERVAT. Idem obtinetur ſi reſiduum a deſtillatione *Liquoris* & *Olei Cornu Cervi* ſimili modo comburitur.

CONDITVM AVRANTIORVM CORTICVM.

Rec. *Cortices Aurantii* recent. qu. plac. in *Aqua fluviali* quotidie mutandi, macerandi donec molleſcere incipiant. Mutata Aqua coquendi ſunt ad molleſcentiam; cortices tum hi, ab albedine mundati, cribro ſubverſo imponendi ſunt, ut ab humore ſuperfluo liberentur. Inditis vaſe vitreo affundendus eſt

Syrupus ſimplex, ſ. *Sachari albi*, qui eos contegat, ponderis duplum, in brodio ſuperiore, a coctione corticum ſuperſtite, ſoluti, deſpumati, colati, ad tabulati fere conſiſtentiam cocti & paulatim refrigerati. Poſt unum alterumve diem eximantur cortices, qui

Syrupo, modico calore inſpiſſato atque refrigerato, iterum injiciantur, & poſt aliquot dierum macerationem denuo eximantur.

Syrupus reſiduus, cum *Sacharo* iterum ad juſtam ſpiſſitudinem redactus, corticibus tum adjiciatur, ut ſuperemineat.

VIS *ſtomachica*, *tonica*, *carminativa*.

USUS in *debilitate primarum viarum*, *ſtomachi*, *inteſtinorum*; *inflatulentiis*.

Cæterum hoc *Conditum Aurantiorum* ut & *Citri* adhibentur ad *Morſulorum* compoſitionem: & qua ſuaveolens palato ad palatum amœnum conficiendum.

OBSERV. 1) Ob ſingularem *idioſyncraſiam* non omnibus *Condita Aurantiorum* & *Citri* conducunt.

OBSERV. 2) *Condita* pharmacopolæ communiter non ipſi parant, ſed aliunde apportanda curant, plerumque *a Conditoribus*.

CONDITVM CALAMI AROMATICI.

Rec. Radices *Calami aromatici*, qu. plac. in
Aquae fontanae coquuntur, usquedum molleſcant, & a ſuperflua humiditate exſiccatis,
Sachari ſuperfunditur, ad conſiſtentiam *tabulati*, cocti quantum ſufficit.

VIS *ſtomachica*, *roborans*, *calefaciens*.

USUS in *debilitate* - *flatulentia ventriculi* & *inteſtinorum*.

OBSERV. Præparari quoque poſſunt uti *Conditum Aurantiorum corticum*.

CONDITVM CITRI CORTICVM,

præparatur eodem modo uti *Conditum Corticum Aurantiorum*, cum quo

VIS & USUS idem.

CONDITVM CYDONIORVM.

Fructus *Cydoniorum*, demto cortice exteriore, exciſis ſeminibus eorumque capſulis, ſine prævia maceratione ad mollitiem coquantur, & dein condiantur uti *Cortices Aurantiorum.*

CONDITVM ENVLÆ,

præparatur eodem modo uti *Conditum Aurantiorum Corticum.*

CONFECTIO ANISI SEMINIS,

paratur ad normam *Cinae Seminis.*

VIS *carminativa, ſtomachica.*

USUS ad *flatus diſcutiendos, concoctionem* adjuvandam.

CONFECTIO CINÆ SEMINIS.

Rec. *Seminis Cinae* integri electi quant. plac.
Immittitur *Aheno* confectorio, ſuper ignem collocato, cui affunditur,
Sachari clarificati quant. ſuffic.
Amyli exigua portio.
Siccato ad lenem calorem *Semini*, denuo affunditur *Sacharum* & *Amylum*, & labor Sacharum & Amylum affundendi, & Semen rurſus exſiccandi, continuatur, usque dum Semen ſacharo probe incruſtatum fuerit.

VIS *anthelmintica.*

USUS ad *vermes* infantibus & perſonis, qui alia remedia nauſeant, reformidant.

DOSIS Drachma *1.* ad Unc. dimidiam in die, inprimis ſub initium l. finem decreſcentis lunæ, ſubjuncto medicamento purganti.

OBSERV. 1) Plerumque hæ & aliæ *Confectiones* a *Conditoribus* parantur.

2)

2) Ph. *Danic.* ſine *Amylo* e mero *Sacharo* confectionem præſcr. (quod melius,) ut *Semina* nimirum tepefacta humectentur *Sachari*, ad tabulati conſiſtentiam cocti, aliquot cochlearibus, probe intermiſcendo, donec ſicca appareant ſemina. Partes tunc pulverulentæ per cribrum ſeparentur, & mundato aheno iterum incruſtentur. Quod toties repetendum, donec omnia ſacharo rite fuerint obducta.

CONFECTIO FOENICVLI SEMINIS,

paratur eodem modo uti *Confectio Seminis Cinae.*

VIS *carminativa*, *ſtomachica*;

VSVS in *debilitate*, *flatulentiis* ventriculi & inteſtinorum, in *colica*.

CONSERVA ACETOSELLÆ.

Rec. Herbæ *Acetoſellae*, demptis caulibus qu. pl. contunde in *Mortario lapideo*, ſ. ſerpentino dicto, *Piſtillo ligneo*, primum per ſe, & dein cum
Sachari puriſſimi duplo pondere, ſenſim inter contundendum addendo, & donec optime omnia mixta ſunt.

VIS *temperans*, *refrigerans*.

VSVS utplurimum *Mixturis*, & *Electuariis*, debitam gratitudinem conciliandam.

Ob gratam hujus Conſervæ *aciditatem* præſcribitur itaque in *Mixturis* & *Electuariis temperantibus*, ſitim minuentibus, bilis efferveſcentiam ſopientibus, & putredini reſiſtentibus.

Calorem febrilem hecticorum & *phtiſicorum* quodammodo mitigat.

DOSIS *Conſervarum* eſt utplurimum ad *Aquae* Unc. 6. Unc. 1. in *Electuariis* vero tantum ſumitur, quantum ad ejus formam ſufficit.

OBSERVAT. Ad *Conſervas* parandas *male Sacharum farinae* adhibetur, quia parum ſucci Plantarum abſorbet. *Piderit.*

Cæterum ad *Conſervas parandas* in genere *Herbae*, *Flores* recentes minutim inciduntur, in mortario lapideo cum piſtillo ligneo expoſt in paſtam mollem rediguntur; additur tum ſucceſſive *Sachari* in pulverem ſubtiliſſimum praevie triti *duplum;* pro herbis ſucculentioribus *ſubtriplum;* contunduntur invicem in maſſam uniformem in vaſis murrhinis aut vitreis aſſervandam.

CONSERVA COCHLEARIÆ & NASTVRTII.

Paratur eodem modo uti *Conſerva Acetoſellae* e Herba *Cochleariae.*

VIS *antiſcorbutica*, *haemocatarctica.*

VSVS ad *Medicamenta*, quæ *ſcorbuticam corruptionem* domant & *urinam pellunt. Piderit.*

OBSERVAT. Hoc modo præparantur quoque *Conſerva* herbæ recent. *Cicutae*, *Fumariae*, *Naſturtii* aquatici, *Papaveris rhoeados.*

CONSERVA MILLEPEDVM.

Rec. *Millepedum Vivarum* Unc. 12.
Sachari albiſſimi Unc. 30.

Contundantur optime in mortario marmoreo vel lapideo, cum piſtillo ligneo & parumper calefacta ſerventur in vaſe vitreo, vel porcellano.

VIS *diuretica*, *reſolvens*, *aperiens.*

VSVS in *ictero*, *aſthmate*, *nephritide*, oculorum *coecitate.*

DOSIS Drachm. 1 - 2.

CONSERVA ROSARVM RVBRARVM.

Paratur eodem modo, uti *Conſerva Acetoſellae.*

ex

ex *Roſarum Floribus* qui vero *ſacco linteo* includuntur, & illo modo, antea per ſexageſimæ partis horæ unius ſpatium, *Aquae bullienti* immittuntur. *Piderit.*

VIS *adſtringens*,

VSVS gratum *ſaporem* & *colorem Mixturis* conciliandum.

OBSERVAT. *Vitriolata* ſi expetitur, e tempore præparatur, ſingulis addida tantum Conſervæ Unciis *Spiritus Vitrioli* acidi Guttis 10.

CORPVS pro BALSAMO,

vide *Oleum Nucis Moſchatae expreſſum.*

CORPVS pro BALSAMO SAPONIS.

Rec. *Saponis Veneti* exſiccati & pulverati Unc. 6. Contundendo in mortario adde

Olei Terebinthinae Unc. 6. ut fiat maſſa. *Piderit.*

VIS &

USUS vide *Balſamum Saponis.*

CREMOR SEV CRYSTALLI TARTARI.

Rec. *Tartari albi crudi* pulverati, Unc. 24. Aqua calida aliquoties abluti & triti coquantur in

Aquae fontan. Unc. 288. immiſſæ in vaſe figulino, ad Tartari plenariam ſolutionem.

Solutio hæc dein ad *cuticulam* usque *evaporatur*, & colatur fervens adhuc per manicam Hippocratis in aliud vas terreum, ubi tunc in loco temperato poſita, poſt refrigerium, ad vaſis latera, atque in fundo copioſe hærebunt *Cryſtalli*, in ſuperficie autem liquoris cruſta, *cremoris* nomine nota, qui cum cryſtallis aqua probe effuſa colligendus, exſiccandus ſuper porphyrite, in pulverem albiſſimum terendus, & in vitro aſſervandus eſt.

VIS *temperans*, *refrigerans*, *digeſtiva*, *incidens*, *reſolvens*, *aperiens*, in majori doſi *laxans*, *diuretica*,

USUS *Cryſtallorum Tartari*, qua *Sal* eſſentiale *Vini*, eximius ad *bilem* domandam, *calorem* minuendam, ad corrigendos *putreſcentes* & *alcaleſcentes* humores, & *urinam promovendam*: ad *craſſos* & *viſcidos* humores incidendos, alvum blande ſtimulandam, appetitum excitandum.

In omnibus *febribus acutis*, *inflammatoriis*, *bilioſis*, *putridis*, *diarrhoeis* & *dyſenteriis*, inprimis *bilioſis*, *cholera*, *ictero* eximie confert: uti &

In *viſcerum obſtructionibus*, in alcalina *acrimonia*; in ardore *ventriculi*, a bilioſis rancidis pinguedinoſis humoribus orta.

In *febribus inflammatoriis* cum conjuncta ſimul ſaburra bilioſa in primis viis hærente, & in qua venæ ſectio neceſſaria differenda eſt. *Piderit.*

Cæterum conferunt in *malo hypochondriaco*, *cachexia*, *leucophlegmatia*, *hydrope* Unc. dimid. pro doſi, ad *Menghin*;

uti & *haemorrhoidariis* ad *obſtructiones* alvi *reſerandas*, inordinatos ſanguinis motus compeſcendos, & alios eorum cruciatus; in *aphthis*, *ſtomacace*, pro *gargarismate* temperante & repurgante; atque in debita minori doſi ad *dentifricia*.

Laxantibus & in primis *Purgantibus reſinoſis* additæ, eorum virtutem inſigniter augent Cryſtalli Tartari: qui *Sero Lactis* conficiendo adhibentur quoque.

In *hydrope* valde confert *Aqua* ſic dicta *cryſtallina*, e *Cremore Tartari* Uncia una & *Aquae fontan.* Unc. 18. leni coctione parata, cum *Syrupo Rubi idaei* l. *Succo Citri* acidulata; quo ſitim extin-

extinguit moleſtam & aquas per alvum & urinam placide eliminat.

Cum *Borace* abſtergit *maculas corneae*, *aphthas* oris, & *ulcera* ſordida. Pulvis *ophthalmicus Baldingeri* a Cremore Tartari præcipue efficit in *delendis maculis* corneæ.

Ob Vim *laxantem* egregie *antibilioſam*, *antiphlogiſticam*, *diureticam*, *ſolventem*, majori doſi *eccoproticam*, ejus Uſum commendat *Plenck* in *eryſipelate bilioſo*, *carbunculo*; in mala ſuppuratione *vulneris*, *ulceris*; in *angina*, *ophthalmia*, in tumoribus *hydropicis*, *haemorrhoidibus coecis*; in *calculo ſelleo*, & inde nata *intumeſcentia* veſicæ *felleae*.

DOSIS ſcopo *purgandi* ab Unc. dimid. ad. 1. cum pulpa *Tamarindorum*; & ſcopo alterandi Drachma dimidia bis terve de die; vel omni hora l. bihorio a Drachm. 1. ad 3. inprimis tum, quando *vomitoria* ab aliis rebus contraindicantur, & hac via *ſaburra* vitioſa e ventriculo educi nequit.

OBSERV. 1) Si Unc. 2. cum Libra 1. *Aquae* puræ in vaſe figulino fortiter coquuntur, & decantantur, additur mel ſ. ſacharum, exhibet *potum ſuavem* - *antiphlogiſticum*.

Et ad *Plenck* Cremor Tartari aqua multa coctus, melle roſaceo edulcoratus *collutorium* exhibet *antiphlogiſticum*, *abſtergens*, in *aphthis putridis* & *ſtomacace* oris perutile.

OBSERV. 2) Si *Cremor Tartari* depuratur probe chemice ab alcali, tum exhibet purum hoc ſal acidum cum melle ſ. manna, Syrupum ad aſſervandum, qua egregium *laxans antiphlogiſticum*. *Sello*.

OBSERV. 3) In pharmacopæis noſtris nullo modo ad tam *album colorem*, quem habent *Cryſtalli* ne-

reduci poſſunt, e *Gallia* hinc adnos adportantur, ubi ſingulari artificio albæ redduntur.

OBSERV. 4) Additur *Cryſtallis Tartari* vel *Elaeo-Sacharum* quoddam; vel Unciæ aliquot cum *Sero Lactis*, vel aliis eccoproticis, ob difficilem earum ſolutionem in *Aqua communi*, in Unciis 3. Drachma earum 1. ſemper multa Aqua bene miſcentur, quotum multo actuoſiores ſunt. Uncia enim 1. *Aquae deſtillatae*, Grana 3. Cryſtallorum tantum ſolvit.

CRETA ALBA PRÆPARATA.

Rec. *Cretae* tritæ quant. libet, aqua ſæpe abluta, donec hanc nullo aut ſapore aut calore inficiat, lævigetur & exſiccetur uti Antimonium. Ph. *Edinburg.*

VIS *abſorbens*, *exſiccans.*

USUS ad *excoriationes* infantum, in *ardore ſtomachi.*

DOSIS Scrupul. 1. ad Drachm. 1.

CROCUS ANTIMONII,

ſ. *Crocus Metallorum*, *Rulandi.*

Rec. *Antimonii crudi*, *Nitri crudi*, pondera æqualia: vel part. 2. Antimonii ad 1. Nitri.

Separatim pulverata probe miſceantur; deinde gradatim injiciatur mixtura in crucibulum candens, ſ. vas ferreum, pruna accenſum, ut liquetur. Detonatione peracta maſſa inferior metallica compacta, ſplendens, rubeſcens, *hepar* colore referens, a ſcoriis probe ſeparanda, & vel ita, ſub nomine *Hepatis Antimonii* ſervanda, vel in pulverem ſubtilem tritura redigenda, & *Aqua frigida* probe edulcoranda, donec inſipida plane ſit: quo *Crocus Antimonii elotus* obtinetur.

VIS

VIS *Interne emetica vehemens*, Grana 3 - 4. per noctem in Vini Unciis 2. infuſa *Vinum emeticum* reddunt. Veterenariis ad equos purgandos ad Unc. dimid. *Externe adſtringens.*

USUS ad *Emplaſtra exſiccantia, adſtringentia.*

OBSERV. 1) *Spielmannus* in Diſpenſator. ſuo univerſ. annotat. ſub nomine *Crocus Martis adſtringens*, venire *Würtenbergenſibus* & *Brunſuicenſibus*, *Vitriolum* ad rubedinem calcinatum; *Pariſienſibus* & *Argentoratenſibus Limaturam* Martis calcinatam.

OBSERV. 2) *Crocum Antimonii*, ſ. *Crocum Metallorum Quercetani*, *Spielmannus* qua *Hepar Antimonii* Aqua fervida edulcoratum reſpicit.
Paratur quoque ex hoc Croco metallorum *Tartarus emeticus.*

OBSERV. 3) *Crocus Metallorum*, qua *Hepar Antimonii edulcoratum* & *exſiccatum* conſideratus, uſum ejus ob virtutem *reſolventem*, *exſiccantem*, *ophthalmicam*, in enemate *evacuantem*, commendat in *ophthalmia* & aliis *oculorum* vitiis, ejus infuſum forma *collyrii*; & ulceribus nimium ſuppurantibus inſperſus.

OBSERV. 4) *Sulphur Antimonii* hac operatione deletur, & pars reguli calcinatur. E lixivio hoc ab edulcoratione remanente, acquiritur *Nitrum Antimoniatum.* Maſſa hæc edulcorata, quæ crocus metallorum appellatur, conſtat e partibus regulinis, quibusdam calcinatis, quibusdam partim ſulphure vinctis, paucis plane liberis, qua mere emetica vi præditis. *Selle.*

Crocus Metallorum eſt cæterum *Hepar Antimonii* pulveriſatum, edulcoratum, iterumque exſiccatum: quale *Hepar Antimonii* inprimis inſervit ad *paranda balnea artificialia* & *lavatoria morbis cutaneis* utilia. *Plenck.*

Cro-

CROCVS MARTIS ADSTRINGENS.

Rec. *Limaturae Martis* quantum plac.

In patella terrea non vitreata, vehementiſſimo igne reverberii, eousque calcinanda ſunt, donec ſpongioſa in ſuperficie appareat, ac in florem rubicundiſſimum abeat, partes ſubtiliores Aqua dein eluendæ ſunt, & cum reſiduo labor repetendus. Ph. *Argentorat.*

VIS *adſtringens*, *tonica*, *roborans.*

USUS in *fluxibus alvinis*, *diarrhoeis*, *dyſenteriis.* *Externe* magis ad *emplaſtra exſiccantia* & *adſtringentia.*

DOSIS Grana 15. - Drachm. dimid.

OBSERV. Pharm. *Brunſuicenſ.* hancce præparationem ſuadet. Rec. *Limatur. ferri* Unc. 4. Diſſolvantur in *Spiritus Vitrioli* & *Aquae fontanae* ana Unc. 8. Solutio tum in vaſe ferreo adſiccitatem evaporetur, & reſiduum forti igne in pulverem rubicundum calcinetur.

CVPRVM AMMONIACALE,

ſ. *Ammoniacum.* ſ. *Sal Ammoniacum cupro mixtum* intime. ſ. Antiquorum *Ens Veneris.*

Rec. *Vitrioli Caerulei* Unc. 2.
Aquae fontan. bullientis Unc. 6.
Solve & ſolutioni adde paulatim.
Spiritus Salis ammoniaci quantum ſufficit ut *cuprum* cœat, penitusque iterum ſolvatur in liquorem cyaneum.

Liquor coletur, & in vaſe parum profundo evaporetur, calore leniſſimo, adſiccitatem. In vaſculo probe clauſo aſſervetur cruſta cyanea, in pulverem trita. Pharm. *Edinburg.*

VIS *corroborans*, *tonica*, *antiſpasmodica.*

USUS in *epilepſia*, in morbis nervorum; atonia, malo hyſterico, *ſpasmis*, *convulſionibus.*

USUS

USUS *Senſibilitatem* & *irritabilitatem* nervorum & ſyſtem. muſcular. *tollit*, & quidem in hacce forma pilulari. Rec. *Cupri Ammoniaci* Grana 16. *Micae panis* Scrupul. 4. *Spirit. Sal. Ammoniac.* qu. ſuffic. ad conſiſt. pillul. dividend. in pil. 32. æqual. quotidie 10 - 15. ſumendas.

OBSERV. Pharm. *Suecica* præſcribit *Vitrioli Cærulei* Unc. 1. *Aquae deſtillat.* Unc. 3. Vitriolo *aqua* diluto, adjiciendum tum eſt *Alcali Ammoniaci aquoſi* ſ. *Sal Volatile Salis Ammoniaci* aqua ſoluti Unc. 6. l. qu. ſuffic. ad adquirendum colorem cyaneum. Liquor per chartam colatus vaſe vitreo decoquendus eſt, donec exſiccetur.

DECOCTVM ALBVM.

Rec. *Cornu Cervi uſti* Unc. dimid.
Gummi arabici Unc. 1.
Aquae fluviatilis Unc. 36.
Paullatim ebulliant, & refrigeratis triturando admiſce
Paſtae amygdalinae Unc. 1.
Cola.

VIS *temperans.*

USUS in *febribus* ad *ſitim* ſedandam, & *aeſtum temperandum.*

OBSERVAT. Ph. *Londin.* ſuadet ad *Cornu Cervi calcinati* & præparati Unc. 2. *Gumm. arabici* Drachm. 2. *Aquae commun.* Unc. 36. coquendas ad Unc. 24. filtrandas.

Pharm. *Brunſuicenſis* ſuadet *Decoctum album* ad modum *Sydenhami*, e Raſur. *Cornu Cervi*, & *Micae panis* tritic. albiſſimi ana Unc. dimid. *Gummi arabici* Drachm. 1. & dimid. coquendi ex *Aquae fontan.* Unc. 36. ad tertiæ partis conſumtionem, & colaturam turbidam *Sachari albiſſimi* ope Drachmis 2. edulcorandi.

De.

DECOCTVM ALTHEÆ.

Rec. Radic. *Altheae* modice ſiccatæ Unc. 6.
Paſſular. major. demptis acinis Unc. 2. Coque cum
Aquae fontan. Unc. 72. ad remanentiam Unc. 48.

Liquorem colatum ſepone, donec fæces ſubſiderint, & defæcatum effunde.

VIS *involvens, demulcens.*

USUS in *acrimonia humorum*, *dyſenteria*, & ſub uſu *mercurialium*, inprimis *mercurii ſublimati corroſivi*, pro *potu* ordinario.

OBSERVAT. Pharm. *Herbipolitan.* addend. ſuadet *Liquirit.* Drachm. 6.

DECOCTVM AMARVM.

Rec. Raſur. Lign. *Quaſſiae* Unc. 1.
Flor. *Chamomill.* ſiccat. Unc. 1. & dimid.
Sal. Tartari Drachm. 2.

Coque cum *Aquae fontan.* Unc. 48. ad remanent. Unc. 36.

Cola. Pharm. *Herbipolit.*

VIS *tonica*, *ſtomachica.*

USUS in *debilitate primarum viarum*, ventriculi, inteſtinorum, cochleatim pluries de die.

OBSERVAT. *Pfingſten* aliam compoſitionem communicat, e Rad. *Gentian* Drachm. 2. coquendi per quartam horæ partem in *Aquae commun.* Unc. 48. cui addendæ ſunt tum Summitat. *Centaur. minor.* Herba *Cardui benedicti*, *Scordii. Flavedo Citror.* recent. ana Drachm. 2. leniter digerendi per quoddam tempus, & in vaſculo clauſo refrigeraſcendi & decolandi.

DECOCTVM ANTHELMINTHICVM, *Roſenſteinii.*

Rec. Radicis *Graminis canini* Unc. dimidiam,

Fla-

Flavedin. Cortic. Aurantior. Drachm. dimid.
Flotum *Caſſiae* Scrupul. dimid. Coque in
Aquae fontan. Unc. 96. donec remanſerit
quarta pars, cola & adde
Mercurii vivi Unc. 2.

Iterum coque lenius in *vaſe terreo*, tecto, & agitando ſæpe *Mercurium* bacillo ligneo, decantetur denique *Decoctum.*

VIS *anthelmintica.*

USUS in *verminoſis affectibus* ab Unciis 8. ad Unc. 12. vel *ſolum*, vel cum *lacte* mixtum decoctum convenit eximie ad *Doverum* & *Roſenſtein.* *Mercurius* enim cum *Aqua* lenius decoctus, evolaturus, ſe recipit in eandem aquam, & longe tenuiſſimo halitu, partibus e ponderi vix menſurandis, *Aquae* impertit virtutem, omni *labi verminoſae* exitioſam.

OBSERVAT. Pharm. *Brunſuicenſ.* ſuadet quoque *Decoctum anthelminticum* pro *fotu* - pro uſu externo, ſed valde compoſitum, e variis ſimplicibus, heic non tam efficacibus, nec cuivis ob odorem gratum, hinc non ulterius commendandum.

DECOCTVM AVENACEVM LOWERI.

Rec. *Avenae excorticat.* Unc. 3.
Ligni *Santali* rubri inciſi Drachm. 2.
Coquantur cum
Aquae fontanae Unc. 72. ad trientis conſumtionem, colaturæ addantur
Nitri depurati Drachm. 2.
Sacchari albi Unc. 1.

VIS *diluens, temperans.*

USUS ad *humores diluendos*, *aeſtum* & *ſitim* febrilem *temperandum*, pro potu ordinario.

OBSERV. 1) Pharm. *Herbipolit.* præſcribit ad *Hordei decortic. Aqu. frigid. loti.* Unc. 1. addend. Rad. *Senegae* Unc. dimid. *Nitri puri* Drachm. 2. coqu. cum *Aquae fontan.* quant. ſuffic. Colaturæ Unc. 24. addend. *Roob Ribium*, & *Sambuci* liquid. ana Drachm. 6. *Oxym. ſimplic.* Unc. 2.

OBSERV. 2) Pharm. *Herbipolitan.* varias cæterum *praeſcriptiones* communicat *Decoctorum.*

a) *Ligni Campechenſis Decoctum*; præparandi e Ligni *Campechenſ.* Unc. 2. coquend. cum *Aquae fontan.* Unc. 48. ad remanent. Unc. 30. ſub finem addendi *Spiritus Vini* rectificat. Unc. 4. *Cinnamom.* Scrupul. 4. poſt unam alteramve ebullitionem colandi.

b) Decoctum *Catechu*, ex Unc. dimid. Terr. *Catechu* puriſſ. coquend. cum quant. ſuffic. *Aquae fontan.* ſub finem coctionis addendi fol. *Salviae* Unc. dimid. Colaturæ Unc. 24. addendi Aqu. *Cinnamom.* vinoſ. *Syr. Diacod.* ana Unc. 1. & dimid.

c) Decoctum *Gummi Guttae*, ſ. *hydragogum*, ſ. *diureticum*, e Dr. 2. *Gumm. Guttae*, affundend. *Aqu. bullient.* Unc. 12. inſtillandi ſenſim *Olei Tart.* per deliquium Drachm. 2. coquendi per quædam momenta, dein removendi ab igne, & poſtquam refrixerit decoctum e flavo rubens, decantandi & ſervandi uſui.

d) Decoctum *Lichenis Islandici* compoſ. e Drachmis 6. *Lichen. Islandic. Fungi melitens.* & Rad. *Conſolid. major. Polygon. amar.* ana Unc. dimid. Conſerv. *Roſar. rubr.* Unc. 2. *Semin. Hyoſciam.* Drachm. 3. *Alumin.* Drachm. 1. & dimid. *Aquae fontan.* Unc. 60. Mixtis coquendi ad remanent. Unc. 42. Colaturæ addend. *Mell. Roſar.* Unc. 1. & dimid.

e)

e) Decoctum *Mercuriale*, e *Mercurii vivi* depurat. Unc. 2. *Aquae Tanaceti*, ſ. *Aquae fontan.* Unc. 12. coquendi in vaſe terreo tecto, *Mercurium* bacillo ligneo ſæpius agitando, decantatæ aquæ admiſcendi *Syrup. flor. Perſicor.* ſ. Unc. 1. *Mellis deſpumati.*

f) *Decoctum Guaiaci*, e Raſur. *Guaiac.* Unc. 6. *Sal. Tartari* Scrupul. 4. cum *Aquae fontan.* Unc. 72. nychthemeri ſpatio digeſta decoquendi per horas 2. ſub finem addendi, *Spiritus Vini* rectificat. Unc. 3. decoquendi denuo parumper & colandi.

g) *Decoctum Rubiae tinctor.* compoſ. e *Rhabarb.* elect. Rad. *Rub. tinctor.* ana Drachm. 3. *Sal. Tartari* Drachm. 2. *Aquae fontan.* Unc. 42. Mixtis coquendi per horam, colatur. addendi *Syr. Zinziber.* Unc. 2. & dimid.

h) *Decoctum Senegae.* e Rad. *Seneg.* Unc. 1. *Aquae fontan.* Unc. 24. Mixtis coquendi ad remanentiam Unc. 12. & colandi.

i) *Decoctum Spigeliae.* e Herba *Spigeliae anthelm.* Manip. 2. *Aquae fontan.* Unc. 24. decoquendi, colaturæ addendi *Succi Citri* recent. Drachm. 6. *Syrup.* flor. *Perſicor.* Unc. 2.

k) *Decoctum Tamarindorum compoſit.* e *Tamarind.* Drachm. 6. *Cryſtall. Tartari* Drachm 3. Mixtis coquendi cum *Aquae fontan.* qu. ſuffic. Colaturæ calenti Unc. 12. addendi *Fol. Sennae* elect. *Rhabarb.* elect. ana Drachm. 1. & dimid. Stent per 4. horas. In colatura diſſolve *Mannae elect.* Drachm. 1. denuo filtrandi & addendi *Acidi Vitrioli* vinoſi gutt. 6.

VIRES & USUS horum *Decoctorum* e nomine patent.

OBSERVAT. 3) *Decoctum Cornu Cervi* præſcribit Pharm. *Roſſica* e *Cornu Cervi uſti*, Unc. 2. *Gum-*

mi arabici Drachm. 2. *Aquae fluviatil.* Unc. 36. coquendi ad Unc. 24. filtrandi.

VIS *temperans* - *involvens.*

USUS *in aeſtu* febrili, in *diarrhoeis*, *dyſenteriis.*

OBSERV. 4) *Pharm.* pauperum *Hamburgerſ.* praeſcribit quoque

a) *Decoctum antiſepticum*, e *Cortic. peruv.* groſſo modo pulverifat. Unc. 1. & dimid. coquendi in *Aquae fontan.* Unc. 18. ad colaturam Unc. 12. & vaſculatim exhibendi.

b) *Decoctum Polygalae amarae*, e Radice *Polygalae amar.* Unc. 1. & dimid. conc. coquendi in *Aquae fontan.* Unc. 18. Colatur. Unc. 12. addendi *Oxymell. ſimplicis*, Unc. 2. & exhibendi Unciam 1. pro doſi, omni bihorio.

c) *Decoctum reſolvens*, e Radic. *Taraxaci conciſ.* Unc. 4. *Cremor. Tartari. Borac.* ana Unc. dimid. coquendi in *Aquae fontan.* Unc. 24. Colatur. Unc. 1. addendi *Mellis deſpumati* Unc. 2. & vaſculatim exhibendi.

DECOCTVM COMMVNE,

ſ. *Ptiſana communis Pariſienſium.* ſ. *Decoctum Hordei Suecorum.*

Rec. *Hordei depur.* Unc. 2.
Radic. *Graminis.* inciſ. Unc. 1. coquantur
Aquae fontan. Unc. 128. ad reſiduas Unc. 96, ſub finem cocturae addatur,
Radic. *Liquirit.* inciſ. Unc. dimid.
Coletur.

VIS &

USUS uti *Decoctum Citri.*

OBSERV. *Decoctum Hordei acidulatum* praeparatur, ſi *Hordei integr.* Unc. 3. Radic. *Gramin.* conciſar. Unc. 1. *Aquae fontan.* Unc. 120. coquantur ad Unc. 96. & colaturae ſi addantur *Oxymell.* *ſim-*

ſimplic. Unc. 4. Quale decoctum eximie confert in *febribus*, *haemorrhagiis*, *fluxibus alvinis*, morbis *biliofis*, pro *potu ordinario*. *Spielmann.*

DECOCTVM CITRI MYNSICHTI.

Rec. *Malorum Citri* Numero 5. In taleolas tenues & rotundàs ſecta coquantur.
Aquae fontanae Unc. 72. ad conſumtionem trientis: in colatura diſſolvantur
Sachari albiſſimi Unc. 4.

VIS *temperans*, *diluens*.

USUS ad *Decoctum gratiſſimum* in omni *febrium* genere, nec non in morbis *bilioſis* pro *potu ordinario*.

OBSERVAT. Si loco *Aquae Decoctum Hordei* aut *Cornu Cervi* recipitur, ſurgit *Decoctum Hordei* aut *Cornu Cervi citratum*.

DECOCTVM PRO CLYSTERIBVS,

vide *Species* pro *Clyſteribus*, ſ. *Clysmatibus*.

DECOCTVM HORDEI.

Rec. *Hordei perlati* Unc. 2. a farina adhærente probe lavetur.
Aqua frigida, dein cum *Aquae* Unc. 6. coque parumper, hac tunc
Aqua, quæ colorabitur abjecta,
Hordeum immitte,
Aquae bullientis Unc. 48. & coquatur ad dimidias.

VIS *temperans*, *diluens*, *involvens*.

USUS pro *potu ordinario* ad *aeſtum*, *ſitim* leniendum in *febribus*.

Ad majorem *ſuaveolentiam*, & ad gratam aciditatem pro rerum circumſtantiis addi poteſt ſuccus acidus *Berberum*, vel *Citri* l. *Syrupus* acidus e. g. *Citri*; vel *Acidum Vitrioli*.

Cæterum confert ad *gargariſmata*. *enemata*..

DECOCTVM LVSITANICVM,

ſ. *antiſyphiliticum*. ſ. *in lue venerea Ptiſana*.

Rec. *Antimonii Crudi* pulverati, in nodulo ligati Uncias 2.
Radicis *Sarſaeparillae inciſae* Uncias 3.
---- *Chinae contuſae* Unciam 1. $\frac{1}{2}$.
Coque in aquæ puræ Unc. 100. ad colaturæ Unc. 60.

VIS *haemocatarctica*, *incidens*.
USUS in *diſcraſia humorum*. *cacochymia*, *lue venerea*.
DOSIS Unc. 6. quater de die.
OBSERV. *Spielmannus* in Diſpenſat. univerſ. hancce præſcriptionem *Decocti antivenerei* exhibet, *Ulyſſiponenſe* dictum.

Rec. Lignor. *Santali albi* & *rubri* ana Unc. 3. Lign. *Rhodii*, *Guaiaci*, *Saſſafr*. ana Unc. 1. Rad. *Saſſaparill*. Unc. 3. *Antimon. Crudi* Unc. 2. Cortic. *Mezerei* Unc. dimid. Inciſa & contuſa infundantur per nycthemerum cum *Aquae font*. bullient. Unc. 120. coquantur dein ad dimid. ſub finem addatur Rad. *Liquirit*. Unc. dimid. colentur probe.

Cujus uſum commendat ad *luem veneream*, & ea mala, quæ *curam mercurialem* requirunt, ab Unc. 18-40. de die.

Aliud *Decoctum antivenereum laxans*, *Pariſienſiſum* dictum, communicat quoque *Spielmannus*, hocce modo præparandum: Rec. Raſur. Ligni *Guaiaci*, Radic. *Sarſaeparill*. *Chin*. ana Drachm. 2. *Antimon*. Unc. 1. Inciſa & contuſa coquantur ex *Aquae fontan*. Unc. 32. ad remanentiam Unc. 24. cui addantur Radic. *Polypodii* Unc. dimid. *Rhabarb. elect*. Drachm. dimid. Liquirit. Folior. *Sennae*, Ligni *Saſſafr*. ana

ana Drachm. 1. *Salis Tartari* Grana 4. Semin. *Coriandri* Drachm. dimid. Inciſa & contuſa infundantur per noctem, mane ſemel bulliant, & dein colentur.

DECOCTVM LIGNORVM,

vide *Species Decocti Lignorum.*

DECOCTVM PECTORALE,

vide *Species Decocti pectoralis.*

DIASCORDIVM,

vide *Electuarium e Scordio.*

DIACYDONIVM SIMPLEX.

Rec. *Pulpae Cydoniorum* cum ſucco Unc. 12.
coque leni igne, cola & adde
Sacchari albi Unc. 12. & tunc coque tamdiu
usque dum *Electuarii ſpiſſioris* formam
acquiſiverit.

VIS *tonica, roborans, ſtomachica, temperans.*

USUS In variis *diarrhoeis*, a Drachm. 1. ad Unc. dimid. Ob auſteram aciditatem: *ventriculum roborat, ſitim & aeſtum temperat.*
Ob *mucilaginoſam indolem* commode praeterea cum eo *purgantia reſinoſa* exhibentur. Additis aromatibus ſuavius & magis roborans redditur.

DIACYDONIVM SIMPLEX LVCIDVM,

ſeu *Gelatina Cydoniorum.*

Rec. *Cydoniorum*, lintei ope omnis tomenti purificat. Unc. 12ß.
Scindantur in taleolas, & omnia inde auferantur ſemina, coquantur ex
Aqua dum emollita fuerint, committantur
cum Aqua ſacco, & valde exprimantur. In liquore expreſſo diſſolvantur.

Sachari Unc. 96. Clarificetur aliquot *Albuminibus Ovorum*; Liquor clarificatus evaporetur leni calore, usque dum Guttæ ejus aliquot, diſco frigido inſtillatæ, in modum Gelatinæ conſiſtant, committatur tunc ollis, nonniſi Gelatina refrigerata operiendis. *Spielmann.*

VIS *ſtomachica*, *tonica*.

USUS & *guſtus voluptati*, & *roborando ventriculo*, & cohibendis *alvi fluxibus* inſervit.

OBSERV. Si *Diacydonii* ſimplic. Unc. 32. commixtæ intime ſunt *Reſinae Jaluppae* Unc. 2. *Amygdal.* trit. quant. ſuffi. Fugit tum *Diacydonium jaluppinum*, quod proavi jam noſtri utebantur loco *purgantis* polychreſti.

Aqua ſolutum *infantibus* æque ac *adultis* exhibebant. --- --- Uncia dimidia *Reſinae* Grana 15. vehit.

DIACRYDIVM,

ſ. *Scammonium praeparatum.*

Eſt *Scammonium* in ſubtiliſſimum pulverem redactum. Hic pulvis, dum in uſum vocatur, cum *Amygdala* dulci, aut *Pini* nucleo ſubigi ſolet.

VIS *purgans fortiter*, *draſtica*.

USUS in *obſtructionibus* alvi *enorminibus*, in *hydropicis*, *oedematoſis* affectibus.

OBSERV. Præparabatur olim quoque *Diacrydium Liquiritia edulcoratum* ope decocti Liquiritiæ, uti & *Diacrydium Sulphuratum* addito ſulphure, cum quo comburitur; Experientia edocti in recentioribus temporibus emendationes hæ, qua inanes & ſuperfluæ quoque repertæ ſunt.

DIGESTIVUM LIQVEFACTVM PLENCKII.

Rec. *Terebinthin. Clarae* Unc. 2.

Vi-

Vitelli Ovorum Unc. 1. ſubactis addantur.
Mellis commun. Unc. 2. *Aquae fontan.* Unc. 4.
Spiritus Vini Unc. 6.
Miſceantur.

VIS *ſuppurationem promovens, digeſtiva.*

USUS Probe mixtum, & calide injectum in *vulnera* profunda anguſta, ſinuoſa & ſclopetaria *ſuppurationem movet & detergit. Plenck.*

EAV D'ARQVEBVSADE,

ſ. *Aqua vulneraria.*

Rec. Summitat. *Milleſolii.*
Folia *Roriſmarini.*
Herb. *Thymian.* ana Unc. 18.
Spiritus Vini Unc. 192. quibus
Infundantur plantæ hæ per 2. dies ſine calore, deſtillatio tum ſuſcipiatur ad acquirendas Unc. 96.

VIS Plura vide *Aqua vulneraria*, ubi
USUS quoque occurrit.

EAV DES CARMES,

vide *Aqua Meliſſae compoſita.*

EAV DE CASSEVRS,

vide *Clareta*, & in ſpecie *Claretum Menthae Piperitidis.*

EAV DE COLOGNE,

vide *Aqua Colonienſis.*

EAV DE LVCE,

ſ. *Aqua Luciae.*

Rec. *Olei Succini* deſtillati ope aquæ, Drachm. 2.
Balſam. de Mecca Drachm. 1.
Ciner. Clavellat. depur. Drachm. 4.

Contere probe per quartam horæ partem in mortario vitreo, tum repone in vaſculo probe clauſo cum

Spiritus Vini rectificatiſſ. Unc. 8.

Calori mediocri, ſi *Spiritus Vini* ſufficienter coloratus eſt, tum miſce cum

Spiritus Salis ammoniac. fortis Unc. 204.

Serva uſui.

Vide plura *Spiritum Salis ammoniaci ſuccinatum*, & *Aquam Luciae*, ubi

VIS & USUS ejus quoque occurrit.

EAV DE MADAME DE LA VRILLIERE BEAVME.

vide *Collutorium gingivale.*

EAV SANS PAREILLE,

vide *Aqua ſine Pari.*

EAV DE VIOLETTES BEAVME,

vide *Aqua Violacea.*

ELATERIVM.

Rec. *Cucumerum agreſtium*, ſ. *aſininorum* intra octiduum collectorum, qu. plac.

Scindantur caute apice cultelli, circa petioli inſertionem, ut matura ſemina e fructibus proſiliant, ſemen reliquum & mucago ſuper cribrum proliciantur, quæ poſtea in mortario piſtillo ligneo, affuſo ſenſim liquoris tenuis, e fructibus conciſis exſtillantis, & aquæ pluviæ tantillo, contundantur, dum liquor pinguis & oleoſus, e medulla ſeminis in pulpam contritus, per cribrum ſetaceum tenuiſſimum & novum, transmitti poſſit, qui leniſſimo calore evaporatus, redigatur in conſiſtentiam maſſæ pilularis.

VIS

VIS *draſtica*, *purgans*, *laxans*, *educens* fortiter per alvum humores *ſeroſos*.

USUS in *hydrope* aliis purgantibus, *aſcitide*, *phlegmaſia* a Granis 3-4 pro doſi.

OBSERV. Pharm. *Suecica* ſuadet ita: Fructus *Cucumeris aſinini* fere maturi incidantur, ut in vas idoneum ſine expreſſione ſuccum demittant. Pars craſſior ſubſidens, a liquore ſupernatante liberata, e modico calore ſiccata, probe ſervetur ad Pharm. *Suecicam*.

Pharm. *Roſſica* vero ita præſcribit: Succus *Cucumerum aſininorum* maturitati proximorum, ſine expreſſione prolectus, deponat quiete fæculam, quæ leni calore ſiccata ſervetur uſui.

ELÆOSACHARA.

Parantur optime ex tempore e cujuscunque
Olei deſtillati Guttas 10-16. cum
Sachari pulveriſat. albiſſimi Unc. 1. probe terendo in mortario marmoreo ſeu vitreo.

Cæterum hac proportione ex tempore omnia *Elaeoſachara* conficienda præſcribit Pharm. *Auſtriaca* ad
Sachari albi pulverati Drachm. 1.
Olei eſſentialis v. g. *Aniſi* Guttas 2-3.
ad *Elaeoſacharum* extemporaneum præparandum, cujus partes volatiles non tantopere avolarunt.

Quo modo parantur *Elaeoſacharum Aniſi*, *Cinnamomi*, *Fœniculi*, *Citri*, *Macis*, *Aurantiorum*; qua *carminativa*, *ſtomachica Elaeoſachara*, quæ ex *Oleis deſtillatis*, unde parata ſunt, dijudicantur.

Cæterum *pulveribus* & *trageis*, doſi poportionata a medico præſcribenda *adhibentur*.

Elæo-

ELÆOSACHARVM AVRANTIORVM vel *Citri*, ſ. *Eſſentiae ſiccae Brunſuicenſium.*

Parantur optime, atterendo *Sacharum* albiſſimum ad poma integra *Aurantia* vel *Citrea*, donec olei eſſentialis corticum ſapore & odore bene imbutum ſit, & cui quod inde adhæret madidum abraditur.

VIS *tonica*, *carminativa*, *ſtomachica.*

USUS in *debilitate primarum viarum.*

OBSERVAT. Integerrimum, quod horum Pomorum corticum cellulis continetur, *Oleum*, cum hac ratione *Sacharum* ſubeat, præferenda hæc operatio priori videtur, quum deſtillatio his oleis ſemper aliquid ſuavitatis adimat.

ELÆOSACHARVM CHAMOMILLÆ.

Rec. *Olei Chamomillae deſtillat.* guttæ quædam teruntur

Sachari albi qu. l.

Servetur uſui cum aliis remediis miſcendi.

VIS *carminativa*, *antiſpasmodica.*

USUS in *flatulentiis* primarum viarum, in *ſpasmo.*

ELECTVARIVM ANODYNVM pro INFANT.

Rec. *Magneſiae albae* Drachm. 6.

Pulver. *Semin. Aniſi* Unc. dimid.

--- *Croci.* Drachm. 1.

Syrup. *Cichorei cum Rhabarb.* qu. ſuffic. ad conſiſtent. *Electuarii.* Ph. *Brunſuic. Spielm.*

VIS *carminativa*, *anodina*, *ſtomachica.*

USUS *infantibus* ob *tormina* eiulantibus.

DOSIS parvum cochleare.

OBSERVAT. Locum ſupplet *Electuarii*, quod ſub *Requiei Nicolai* nomine ſæpe a mulierculis deſideratur, magno cum infantum detrimento.

Si

Si cui *remedium* magis *tranquillans* ac *ſomniferum* pro infantibus requiritur, ille quavis vice grana quædam *Croci* pro renata addere poteſt.

ELECTVARIVM ANTHELMINTICVM *Heiſteri.*

Rec. *Mercurii vivi* Unc. dimid. tere accurate cum *Gummi arabici* Unc. 1. cui affundetur diutiſſime.
Aqua fontana qu. ſuffic. ad mucilaginis generationem, & usquedum omnes globuli mercuriales diſparuerint, cui dein addatur
Cortic. peruvian. ſubtilit. pulveriſat. Unc. 1.
Syrup. Menthae quant. ſuffic. ad conſiſtent. Electuar. mollis.

VIS & VSVS e titulo patent.

DOSIS aliquoties in die ad nucis avellanæ magnitudinem. *Pfingſten.*

OBSERV. 1) Pharm. pauper. *Pragenſis* ſuadet loco *Cort. Peruv. rad. Rhabarb.* Unc. dimid.

OBSERV. 2) *Electuarium anthelminticum Stœrckii* vero conſtat e pulver. Rad. *Jalapp. Valerian.* Sylveſtr. *Sal. ammoniac.* pur. ana Drachm. 1. *Oximell. ſquillit.* Unc. 3. miſcendi.

ELECTVARIVM DENTIFRICIVM.

Rec. *Pulver. dentifricii Plenckii* Unc. 1.
Mellis roſacei qu. ſuffic.
Miſce fiat *Electuarium*,

VIS *purgans.*

USUS ad *dentes ſordidos purgandos*, & dealbandos, inprimis additis guttis quibusdam *Spiritus Nitri dulcis.* *Plenck.*

OBS.

OBSERVAT. *Pfingſten* ſuadet hoc *Electuarium dentiſricium* præparandi e pulvere *Myrrhae*, Drachm. 3. *Cremor. Tartari*, *Cochenill.* ana Drachm. 1. & dimid. Conterendi omnia in Mortario idoneo, cui admiſceantur *Mellis puri*, Unc. 4. *Caryophyllor.* contuſor. Drachm. 1.
Pharm. *Brunſuicenſ.* ſuadet ex *Eſſent. Myrrhae* ſaturatiſſ. & ad dimidiam abſtractæ Unc. 3. *Mellis Roſarum* Unc. 4. Tinctur. *Gummi laccae* Unc. 1. *Pulver. Coccionell.* Drachm. 1. *Cremor. Tartari* Drachm. 1. & dimid. triturando miſcendi, per nychthemerum digerendi, & colaturæ calidæ admiſcendi *Olei deſtillati Cinnamomi*, Guttas 7. Atque
Ita ſervandi uſui.

ELECTVARIVM DIASCORDII SVECORVM.

ſ. *Confectio Japonica.*

Rec. Terræ *Japonicae* Unc. 3. Herbæ *Scordii*, Fabarum *Pechurim* - Radic. *Tormentillae* ana Unc. 2. Probe pulveratis addantur,
Opii, in *Vino Hiſpannico* diſſoluti, Drachm. 1. & dimid.
Syrup. *Roſar.* Unc. 28.
Probe miſceantur.

VIS *adſtringens*, *ſtyptica*, *anodyna*, *motus ſedans*, *ſudorifica.*

VSVS in *ſopiendis vomitibus*, in *alvi fluxibus* potenter efficiens, in *diarrhoeis* - *dyſenteriis*, a Drachm. 2 - 3. pro doſi.
De quo Uncia 1. continet *Opii* Grana 3. *Spielm.*

OBSERV. 1) Dicitur ita à *Scordio*, quod ejus baſin conſtituit.

OBSERV. 2) Pharm. *Suecic.* communicat *Electuarii* e *Scordio* peculiarem hancce compoſitionem.
Rec. Fol. *Scordii* Unc. 3. Terr. *Catechu*, *Fabae Pechu-*

churim, Radic. *Tormentill.* ana Unc. 2. *Opii* Drachm. 1. & dimid. *Mellis elect.* Unc. 28.

Opium e *Vino hiſpanico* dilutum additur *Melli* parum calefactæ, cui cætera, in pulverem trita, adduntur. Si diu ſervatum inareſcit, e vino hiſpanico iterum conteratur, donec juſta craſſitudo fiat.

OBSERV. 3) Pharm. *Auſtriaca* hancce compoſition. communicat, Rec. Florum *Roſarum* rubrarum, *Boli Armenae* ana Unc. 2. Herbæ *Scordii* Drachm. 10. Herbæ *Dictamni* cretici - *Cinnamomi* ana Drachm. 6. *Gummi arabici*, *Styracis calamitae*, Radicis *Tormentillae*, *Acetoſae*, *Gentianae* ana Unc. dimid. *Piperis* longi. *Zingiberis* ana Drachm. 2. *Opii puri* Drachm. 1. & dimid. *Mellis* Unc. 36. *Opium* in vino ſolutum cum melle ſubigatur, reliquæ dein ſpecies in pulverem redactæ admiſceantur, ut fiat Electuarium.

Uncia 1. hujus Electuarii continet Grana 2. *Opii*.

ELECTVARIVM E CASIA,

vulgo *Diacaſia* cum *Manna*.

Rec. *Pulpae Caſiae* fiſtular. Unc. 6.
Pulp. Tamarindor. - *Mannae* ana Unc. dimid.
Syrup. Roſar. pallidar. Unc. 6.

Manna in mortario trita, leni calore, *Syrupo Violarum* ſolvatur, dein addantur Pulpæ, & continuo calore ad idoneam Electuarii ſpiſſitudinem redigantur. Pharm. *Edinburg. Londinenſ.*

VIS *leniens*, *laxans*.

VSVS in *impuritat. primarum viarum*, & *obſtruct. alvi*.

DOSIS Uncia 1 - 2.

OBSERV.

OBSERV. Pharm. *Argentorat.* hoc modo præſcribit, Rec. *Prunor. damaſcenor.* Unc. 2. Florum *Violar.* Drachm. 6. *Aquae purae* Unc. 18. Bulliant ad medietat. conſumtionem, colentur & in colatura diſſolvantur *Syrupi Violati* Unc. 6. *Sachari* Unc. 2. coquantur ad juſtam conſiſtentia, & addantur Pulp. *Caſſiae* Unc. 6. *Tamarindor.* Unc. 1. *Mannae calabrin.* Unc. 2. Miſceantur.

ELECTVARIVM GINGIVALE ROSENSTEIN.

Rec. *Cremor. Tartar.* Unc. 2.
Mellis ſinc. Unc. 24.
Aquae ſontan. Unc. 96.
Coquantur ad conſiſtentiam *Oxymellis.*
ſ. *Oxymell. e. Cremore Tartari.*

Rec. Pulver. *Myrrhae* Unc. 2.
---- *Coccionell.* Unc. dimid.
Spiritus Vini rectific. Unc. 12.
Digeſtione ſiat Tinctura ſaturatiſſima, coletur; Hujus tincturæ Unciis 3. adde
Oxymell. e Cremor. Tartari Unc. 12.
Olei deſtillat. Cinnamom. Gutt. 20.
--- *Cajeput* Guttæ 10.
Miſce.

VIS *purificans, roborans, antiſeptica.*

VSVS *ad gingivas* conſervandas mane.

OBSERV. Pharm. *Suecica* ſuadet hancce compoſitionem ad congruum Electuarium *Gingivale.* Rec. *Myrrhae* elect. pulveriſ. Drachm. 3. *Cremor. Tartari, Coccinellae* ana Drachm. 1. & dimid.

Simul tritis in mortario vitreo adde *Mellis* elect. liquefacti Unc. 4. Pulveris *Caryophyllorum* pulveratorum Drachm. 1.

Electu-

ELECTVARIVM GINGIVALE ANTISCORBVTICVM.

Rec. *Gumm. Laccae - Myrrhae*, ana Drachm. 1.
Mellis quant. ſuffic. ad *Electuar. Mellin.*

VIS & USUS e nomine patent.

ELECTVARIVM HIERÆ PICRÆ, ANDROMACHI.

Rec. Pulver. *Aloes ſuccotrin.* Unc. 4.
Croci, --- *Maſtich.* l.
Gumm. Arab. Ligni *Aloes* l. *Cubebar.*
Aſari, ana Drachm. 6.
Mellis Unc. 20.

Miſce pulveres, melli fere refrigerato pro electuario. Ph. *Spielmann. Würtenb.*

VIS *purgans*, *laxans*, fortiter *evacuans.*

USUS *externe* hodienum tantum ad *clysmata*, ad alvum *adſtrictam* nimis excitandam ab Unc. 1. ad Drachm. 6.

OBSERV. 1) *Hiera Picra* dicebatur *Galeno* Medicina Sacra, licet amara; acrimonia & calore ſuo craſſos & lentes diſſecans humores ventriculi, ob ejus autem eximiam, pluribus nauſeoſam, amaritiem, uſus ejus minus erat frequens interne, ſed externe ad clysmata: aſſervabatur, hinc *Aloe* cum corrigentibus, & *Species Hierae Picrae* vocabantur, in pulvere datæ a Drachm. 2. ad Unc. dimid. quando autem hæ ſpecies *Melle* excipiuntur & in formam *Electuarii* rediguntur, *Hiera Picra* ſimplex appellabatur.

OBSERV. 2) Pharm. *Auſtriac.* ſuadet hinc *Specier. Hierae Picrae* Unc. 1. *Mellis deſpumati* Unc. 3. miſcendi in Electuarium ex tempore parandum.

ELECTVARIVM HÆMORRHOIDALE.

Rec. *Mannae electae* Unc. 2.

Pulv. *Arcan. duplicat.*
---- *Nitri depurati.*
Lact. Sulphur. ana Drachm. 2.
Mellis pur. quant. ſuffic. Miſce.

VIS & USUS e nomine patent. Ph. pauper. *Pragenſ.*

ELECTVARIVM HYDRAGOGVM,

ſ. *Purgans Auſtriacorum correctum.*

Rec. Roob *Ebuli*, - *Juniperi* ana Unc. 2.
Pulver. Reſinæ *Jalappae*, pineis tritæ, Drachm. dimid.
Tartari vitriolati Drachm. 6.
Syrup. de *Spina cervina* quant. ſuffic. ad Electuar.
Miſceantur exactiſſime. Pharm. *Auſtriaca. Spielmann.*

OBSERV. Uncia 1. Reſinæ *Jalappae* Grana 15. vehit.

VIS *purgans* forte, *hydragoga.*

USUS ad *alvum* valide *ducendam*; ad *aquas hydropicorum evocandas.*

DOSIS Uncia dimid. ad Drachm. 6. pro doſi poteſt exhiberi.

OBSERV. *Pfingſten* communicat *Electuarium purgans*, forte *hydragogum*, e *Scammoneo* ſ. *Diacrydio* Unc. dimid. Reſin. *Jalappae* pulveriſat. Unc. 4. contrit. cum qu. ſuffic. *Amygdal. dulc.* quibus addant, Pulver. ſolior. *Sennae* Unc. 2. Pulver. *Semin. Aniſi*, *Cremor. Tartar.* ana Unc. 1. Pulp. *Tamarindor.* Unc. 8. Pulp. *Prunor.* Unc. 16. exacte mixtis: qua forte *purgans, hydragogum hydropicis* valde conferens in Aqua ſolutum ad Drachm. 6. pro doſi; continentibus Grana 5. *Diacridii* ſ. *Scammonei* & Grana 45. rad. *Jalappae.*

Pharm.

Pharm. *Brunſuicenſis* ſuadet e *Rooh Juniperi*, Pulp. *Tamarindor.* ana Unc. 4. Radicis *Jalapp.* Unc. 1. & dimid. *Scammon. elect.* Unc. 1. *Cinnamom.* Semin. *Fœniculi* ana Drachm. 2. *Sachari clarificati* Unc. 10. ad electuarium conficiendum lege artis, valde ſimplici modo.

ELECTVARIVM JOVIALE AD TÆNIAS.

Rec. *Stanni* puriſſimi - *Mercurii vivi*, ana Unc. 1.
Fiat lege artis Amálgama, cui commiſceantur.
Lapid. *Cancrorum* ſ. *Magneſiae albae* Unc. 1.
Exactiſſime mixtis addantur,
Conſervæ *Abſinthii*, Unc. 2 - 3.
Syrup. *Menthae* qu. ſuffic. ad formand. Electuarium. Ph. *Brunſuic. Spielmann.*

VIS *anthelmintica.*

USUS *vermibus laborantibus* bis de die Drachm. 2.

ELECTVARIVM LENITIVUM.

Rec. Folior. *Sennae* pulveriſat. Unc. 4.
Rad. *Rhabarb.* Unc. 1.
Pulpæ *Tamarindor.* Unc. 2.
Semin. *Aniſi* pulveriſ. Drachm. 6.
Mellis deſpumati Unc. 24.
Miſceantur & fiant lege artis Electuarium.
Piderit.

VIS *laxans*, *purgans*, ab Unc. dimid. ad 1. bilem *temperans*, *catharctica*, *ſtimulans.*

USUS Unciæ aliquot potionibus adduntur, quæ *alvum* leniter *ducunt.*

Externe proprie *ſtimulandi* ſcopo ab Unc. 1 - 3. in *Clysmatibus.*

OBSERV. 1) Pharmacop. *Londin.* in præſcript. *Electuarii lenitivi Caricas*, Pulp. *Caſſiae*, *Prunos gallicos*, *Glycirrhiz: Sacharum* addendas præſcribit, ſed qua ſuperflua facilius poſſunt omitti.

Pharm. *Edinburgenſ.* hancce præſcript. ad *Electuarium lenitivum* ſuadet, Rec. Pulveris Folior. *Sennae* Unc. 8. Semin. *Coriandri* Unc. 4. addend. *Pulpae prunor. gallicor.* Unc. 24. & Syrupi *Roſarum* pallidarum quantum ſufficit ad conſiſtentiam Electuarii.

Pharm. *Herbipolitan.* addendum tantum ſuadet primæ præſcriptioni *Cremor. Tartari* Unc. 1.

Pharm. *Roſſica* vero præſcribit compoſitionem valde compoſitam hujus *Electuarii lenitivi.*

Pharm. *Würtenb.* præſcribit hoc *Electuarium* ſub nomine *Electuarium Tamarindorum*, ita parandi e *Pulp. Tamarindor.* Unc. 4. *Paſſular. minor. Prunorum* ana Unc. 1. & dimid. Mixtis addendi Folior. *Sennae* elect. pulveriſat. Unc. 1. & dimid. *Cremor. Tartari* Drachm. 6. *Cinnamom. acuti.* Semin. *Fœniculi* ana Drachm. 2. *Olei Nuciſtae* deſtillati, Gutt. 10. mixta cum qu. ſuffic. *Syrupi rofati ſolutivi* conficiendi Electuarium.

Pharm. *Auſtriac.* & *Spielmannus* ſuadent ita *Electuarium lenitivum* ſ. *Tamarindorum* ſimplici quoque hac methodo præparandi.

Rec. Pulpæ *Tamarindorum*, Pulpæ *Prunorum* ana Unc. 18. Roob *Sambuci* Unc. 12. Pulveris foliorum *Sennae*, Unc. 6. Pulver. *Cremoris Tartari* Unc. 4. *Mellis* puriſſimi quantum ſofficit ut fiat Electuarium. USUM commendant in *alvo obſtructa*, in *bilioſis* & *renum affectibus.* DOSIS Unc. dimid. ad 1.

Pharm. *Suecica* hancce ſuadent compoſitionem ſimplicem. Rec. fol. *Sennae* pulverator. Unc. 4. Pulpæ *Tamarindor.* Unc. 12. *Syrup. ſimplic.* Unc. 8. l. quant. ſuffic. commiſceantur probe.

Plenck in Pharm. ſua chirurg. ſuadet *Electuarium lenitivum* ad *externum uſum.*

Fo-

Folior. *Sennae* Unc. 4. *Glycirrhiz* Unc. 2. Semin. *Coriandri* Unc. 1. Miſce fiat Infuſum, ſtet per noctem, dein addentur colaturæ Unc. 60. Pulpæ *Prunorum* Unc. 12. Pulp. *Caſſiae* - *Tamarindor*. ana Unc. 6. *Sachari albi* Unc. 72. coquantur ad conſiſtentiam Electuarii.

USUS ab eo commendatur ad *clysmata*, alvum fortius ſtimulantia, uti in *herniis*, *haemorrhoidibus*.

ELECTVARIVM ſ. PVLTICVLA de MANNA.

Rec. *Mannae electae*, - *Sachari albiſſimi* ana Unc. 2. diſſolvantur in

Aquae Roſarum ſ. *Fœniculi* Unc. 2. Mixtura colatur, cum expreſſione, dein addatur

Pulver. Radic. *Irid. florentin.* Drachm. 1.

Probe Miſceantur. Ph. *Würt. Roſſica. Spielm.*

VIS *laxans* leniter *alvum*.

USUS tenellis, recens natis ad *meconium* & humores noxios *educendos*.

DOSIS Drachm. 1 - 4.

OBSERV. *Olei Amygdalar.* Unc. dimid. ad præſcript. ſuper. Pharmacop. omiſimus, ſedulo qua magis heic moleſtiam ventriculo procreans, quam prodens.

ELECTVARIVM MVNDIFICANS, HÆMOCATARCTICVM WERLHOFII.

Rec. Radic. *Lapati* acut. Unc. 6.

Ligni *Guaiac.* Unc. 2.

Cortic. Ligni *Saſſafras* Unc. 4.

Folior. *Sennae elect.* Unc. dimid.

Rhabarb. elect. Unc. 1.

Miſce fiat inde *Pulvis ſubtiliſſimus*.

Pulvis hic in *Pharmacopaeis* aſſervetur, & ſi a *Medico Electuarium* præſcribitur;

Recipe *Pulveris praeſcripti*, partem unam,

 Mellis

Mellis deſpumati partes 4. & ad quamlibet præſcriptionem ex tempore miſceantur.

VIS *haemocatarctica.* *Piderit.*

USUS ad *ſanguinis & humorum acrimoniam, corruptionem pituitoſam & veneream corrigendam,* in *lue venerea,* in *morbis cutaneis, fluore albo.*

DOSIS a Drachmis 2-6. de die.

OBSERV. 1) Pro *morbi* conditione, vel *Mercurialium,* vel *Antimonialium* uſu iſtud eum eo jungitur.

OBSERV. 2) Pharm. *Brunſuicenſ.* & *Spielmannus* hancce æque adæquatam exhibent præſcriptionem, e Radic. *Sarſaparillae* Unc. 3. *Rhabarb.* Drachm. 2. Ligni *Guaiaci* Unc. 1. Cortic. *Ligni Saſſafras* Drachm. 1. Folior. *Sennae* ſelectiſſim: Unc. 1. Semin. *Aniſi* Drachm. 1. Probe pulveriſata miſceantur cum *Mellis* Unc. 12. Cui VIM *incidentem, involventem, laxantem, evacuantem* eximiam adſcribunt, & USUM in *acrimonia varia humorum involvenda & educenda* a Drachmis aliquot in die.

ELECTVARIVM PECTORALE.

Rec. Pulveris ſucci *Liquiritiae* inſpiſſati

Seminis *Aniſi* - *Fœniculi* ana Unc. 1.

Conſervæ *Hederae terreſtris* -- *Veronicae* -- *Florum papaveris erratici* ana Unc. 4.

Syrupi de *Hyſſopo* quant. ſuffic.

Miſce ut fiat electuarium molliuſculum.

VIS & USUS e nomine patent.

OBSERV. Ph. pauper. *Pragenſ.* ſuadet præparandi e *Roob Sambuci* Unc. 6. Pulv. Rad. *Liquirit.* Unc.

Unc. 2. Succi *Liquirit.* Unc. 1. & dimid. *Gummi arabici* Unc. 1. *Mell. deſpumat.* qu. ſuffic. miſcendi exacte.

ELECTVARIVM AD STOMACACEN.

Rec. Pulver. Radic. *Ireos Florentin.*
--- Sanguin. *Dracon. reſinoſ.* ana Drachm. 3.
Aluminis crudi Drachm. 2.
Myrrhae elect. - *Maſtich elect.* ana Drachm. 1.
Syrup. *Balſamic.* qu. ſuffic. ad Electuarium.

VIS &
USUS e nomine patent.

OBSERVAT. *Plenck* ſuadet omnia ſimplicia ſuperiora, ſed loco *Alumin.* & *Syrup. Balſamic.* ſumendi. *Terr. Catechu* & *Spiritum Cochleariae* qu. ſuffic. ut leni digeſtione in linimentum ſpiſſioris ſolvatur conſiſtentiæ; cujus *uſum* commendat inprimis in *ſtomacace*, in dentium & gingivarum *laxitate* cum penicillo applicandi.

ELECTVARIVM TAMARINDORVM.

vide *Electuarium lenitivum.*

ELECTVARIVM STOMACHICVM.

Rec. Pulv. Lign. *Quaſſiae* Unc. dimid.
--- Rad. *Enulae* Drachm. 2.
-- *Myrrhae* Drachm. 1.
Roob *Juniperi* Unc. 1.
Syr. *Cort. Aurant.* qu. ſuffic. Miſce.

VIS & USUS e titulo.

ELECTVARIVM AD SCABIEM.

Rec. *Electuar. mundificantis* Unc. 4.
Flor. *Sulphur.* Unc. 1. intime mixt.

VIS & USUS e nomine patent.

DOSIS a Drachmis aliquot ad Unc. dimid. aliquoties in die.

ELIXIR ACIDVM - ANTIPODAGRICVM - ANTINEPHRITICVM - DIPPELII,

vide *Aquam Rabelii.*

ELIXIR ACIDVM HALLERI,

ſ. *Aqua Rabelii.*

Rec. *Spiritus Vini rectificatiſſimi* Unc. 1. ſenſim & guttatim inſtilla in *vaſe vitreo* capaciori, *Acidi Vitrioli concentrati* Unc. 1.

Serva uſui.

VIS *temperans*, *involvens*, *antiſeptica*, *ſanguinis motus* compeſcens, calorem & *aeſtum febrilem* minuens, *mitigans* inordinatos *nervorum motus*; *corruptam bilem* corrigens & domans, putredinique reſiſtens.

USUS *Interne* in omnibus *febribus acutis*, *bilioſis*, *malignis*; in febri *variolarum* putrida; in *purpura*, *morbillis* malignis; in *ſanguinis eruptionibus* præternaturalibus, *haemoptyſi*, *menſtruorum* & *haemorrhoidum* nimio fluxu; in *morbis nervorum*, in *ſpasmo*, *convulſionibus*, in *Chorea St. Viti* & *epilepſia*; in doloribus *arthriticis*, *podagricis*, cum ingenti inflammatione junctis, uti & *calculoſis*: in ſolidarum partium *laxitate*.

Cæterum in omnibus *cutis efflorescentiis*, in æſtate erumpentibus, in omnibus *exanthematibus chronicis* e. g. *purpura* chronica, in *ſcabie*, *ſcorbuto*, e prædominio *Salium alcalinorum* orto. In *pure ex ulceribus* & *oſſibus carioſis* in ſanguinem reſorpto, qua præcipuum *antiſepticum*.

Ad varia *febrium ſymptomata mitiganda*, *cephalalgias*, *deliria*. *Piderit*.

Exter-

Externe Elixir hoc *Aqua* dilutum confert ad *mitigandos dolores ſpasmodicos membrorum*, ad *contuſiones*, *ſugillationes*.

Minime vero ad *Dippelium* in *nodis podagricis*.

DOSIS. Datur hoc Elixir vel ſolum a Guttis 10-20. cum multa *Aqua*, l. in *Mixturis*, cuilibet Unciæ Guttæ 20. adduntur: l. cum *Syrupo* quodam, ut ad Unc. dimid. *Syrupi* Drachm. 1. ſumetur.

Ad *ſcabiem* & *ſcorbutum* ad minimum requiritur in die Drachm. 1. continuato uſu.

OBSERV. 1) Probe cæterum notandum, non in omnibus hiſce morbis, præſertim, qui *Nervorum ſyſtema* ſpectant, neque ubique, ex quorundam opinione, ob magnum *Halleri* nomen auxilium præſtat, ſed in *connubio aliorum Medicaminum*, e. g. *antiſpasmodicorum* & *antiſepticorum* tantum eximias haſce vires exſerit.

OBS. 2) In illis quoque, quorum ventriculus *Elixir* hoc acidum ferre nequit, *cardialgiam* vel *vomitus* excitat, iis ejus uſus ſubito diſſuadendus eſt.

ELIXIR ALOES, VULGO PROPRIETATIS PARACELSI.

℞. *Tinctur. Myrrhae* Unc. 24.
Croci Unc. 2. - *Aloes ſuccotrin.* Unc. 3.

Digere per 8. dies, dein ſepone ut fæces ſubſideant, & effunde Elixir defæcatum. Pharm. *Edinburg.*

VIS *ſtomachica*, *laxans*, *ſtimulans*, *reſolvens* potenter & *aperiens*, *deobſtruens*.

USUS in *obſtructionib.* alvi; *haemorrhoidar. vero nocet.*

DOSIS Guttæ 20 - 30. bis in die.

OBSERV. 1) Pharm. *Edinburg.* præſcribit quoque *Elixir Aloes* ſ. *Proprietatis* cum *Acido vinoſo Vitrioli.*

trioli. Rec. *Myrrhae* - *Aloes ſuccotr.* ana Unc. dimid. *Croci* Unc. 1. *Spiritus Vitrioli dulcis* Unc. 12. Digere Myrrham cum ſpiritu per dies 4. in phiala clauſa, cui dein adde crocum & aloen. Digere rurſus per 4. dies, & cum fæces ſubſederint, effunde Elixir defæcatum.

Pharm. *Herbipolitan.* hancce præſcriptionem exhibet ſub titulo *Elixirium Proprietatis* cum Acido vinoſo - *Vitrioli.* Rec. *Myrrh. elect.* Unc. 1. *Aloes ſuccotrin.* Unc. dimid. *Croci.* Drachm. 2. *Spiritus Vitrioli dulcis* Unc. 12. Mixtis digerendi in arenæ balneo per 6. dies, & a fæcibus decantandi, qua *Elixir* aſſervandi.

OBSERV. 2) Pharm. *Edinburg.* præſcribit quoque *Elixir* ex *Aloe* & *Rheo*, vulgo *Sacrum.* ſ. *Tincturam Rhei* cum. *Tinctura ſacra.* Rec. *Rhei elect.* Drachm. 10. *Aloes ſuccotrin.* Drachm. 6. Semin. *Cardamomi minor.* Unc. dimid. *Spiritus Vini tenuior.* Unc. 24. Digere per 7. dies, & cola. Qua *ſtomachicum* & *laxans* adhibetur.

OBSERV. 3) Pharm. *Herbipolitan. Elixir Proprietatis Rhabarbarinum* ita communicat,
Rec. *Myrrhae elect.* Unc. 1. *Vini elect.* Unc. 12. *Spiritus Vini rectificati* Unc. 2. Digere per tempus, adde Pulv. *Rhabarb. elect. Aloes ſuccotrin.* ana Drachm. 6. *Croci*, *Sal. Tartari* ana Drachm. 2. Continuetur digeſtio per aliquot dies, a fæcibus decantatis ſervetur *Elixir.*

OBSERVAT. 4) Pharm. *Suecica* communicat quoque *Elixir Aloes ſaponaceum* ſimul dictum, ſ. proprie *Elixir Proprietatis Sthalii*, ad hancce haud incongruam præſcriptionem: Rec. *Aloes ſuccotrin. Alcali vegetabil. acetat.* ſ. *Terr. foliat. Tartari*, *Bilis bubulae* ſpiſſatæ, *Myrrhae* ana Unc. 1. Terantur ſimul in mortario vitreo, tum

tum miſceantur cum *Croci* Unc. dimid. *Spirit. Vini rectific.* Unc. 12. Digere per triduum, vas ſubinde agitando, & per linteum cola.

Et ſub nomine *Elixir Aloeticum*, ſ. *Proprietatis* hancce normam. Rec. *Myrrhae*, *Croci* ana Unc. 1. *Spiritus Vini rectific.* Unc. 32. Digere pertriduum, dein adde *Aloes ſuccotrin.* Unc. 1. & dimid. Digere iterum per biduum & per linteum cola.

OBSERV. 5) Pharm. *Roſſicae* præſcriptio hujus *Elixir aloetici* eſt valde ſimplex, e *Myrrhae* Unc. 2. *Croci*, Unc. 1. *Spiritus Vini rectificat.* Unc. 32. Digerendi in arena, per 4. dies, tum addendi *Aloes ſuccotrinae* Unc. 1. cum dimid. Iterum digerendi per biduum & filtrandi.

ELIXIR ANTHARTHRITICVM CARIBÆVM.

Rec. *Gummi Guaiaci* Unc. 2.
Taffia ſ. *Spiritus Sachari* Unc. 96.
Digerantur leni calore per octiduum, liquor filtretur. *Spielmann.*

VIS *reſolvens.*

USUS in *arthritide inveterata* cum exoptato effectu, cochlear 1. omni mane.

ELIXIR ANTISCORBVTICVM.

Rec. *Extracti Trifolii fibrini.*
---- *Centaurii minoris* --- *Fumariae*,
---- *Graminis* ana Unc. dimid.
Solve in *Aqu.* flor. *Chamomill.* Unc. 48. adde
Spiritus Cochlear. Unc. 2.
Olei Vitrioli albi Drachm. 2.
Miſce.

VIS *aperiens*, *reſolvens*, *antiſcorbutica.*

VSVS in *obſtructionibus* & *debilitate viſcerum* abdominis; in *ſcorbutico* humorum ſtatu. *Selle.*

DOSIS

DOSIS Cochleare 1-2. bis terve in die.

OBSERV. Ph. pauper. *Pragenſ.* ſuadet ex Extr. *Aurant. immatur.* Extr. *Enul* ana Drachm. 1. & dimid. *Tartar. chalybeat.* Drachm. 1. *Aquae fontan.* Unc. 5. Miſcendi uti hoc Diſpenſator. *Pragenſe* & *Hamburg.* communicant *Elixir antiſpasmodicum* e *Camphor.* Drachm. 1. Solvend. in *Spiritus Nitri dulcis*, ſ. *Liquor. anodin. m. Hofmann.* Drachm. 2. addendi Extr. *Valerian. ſylveſtr.* Unc. 1. *Aquae fontan.* Unc. 6. *Aquae Menthae piperitid.* Unc. 2. Miſcendi dein.

ELIXIR APERITIVUM CLAVDERI.

℞. *Cinerum Clavellatorum dupurator.*
Salis Ammoniaci depurat. ana Unc. 1. Solve in
Aquae Flor. Sambuci Unc. 6. adde
Extr. *Aloes aquoſi*, --- *Myrrhae aquoſi* ana Unc. 1.
Croci auſtriac. Drachm. 2.

Miſceantur & digerantur per nychthemerum, poſtea filtrentur per chartam bibulam, & uſui ſervetur.

VIS Medicinæ hujus ſaponaceæ indolis, *incidens*, *reſolvens*, *aperiens*, *ſtimulans*, forte ſanguinis circulum augens; *excretiones promovens*, *menſes*, *haemorrhoides*, *alvum.*

DOSIS in *junioribus* ad Guttas 15. in *adultis* ad Guttas 40. & ultra.

USUS in *cachexia*, *chloroſi*, *pituita*, non ad referendas ſolum viſcerum obſtructiones, ſed ad iſtas quoque *ſanguinis eruptiones producendas*, *hypochondriacis* & *ſcorbuticis* convenit.

In infantum *morbis rachiticis*, *atrophicis* & *verminoſis*, uti & ad *acidum* in eis prædominans *infringendum*. *Piderit.*

DOSIS *Infantibus* ultra annum datur a Guttis 4 - 8. biennibus ad 12. majoribus ad 24. & adultis a 30 - 60.

In majori doſi *alvum purgat.*

OBSERV. 1) In *Elixirio* hoc qua *pellente*, ſanguinis eruptiones *producente* fortiter, obſtructionibus antea eo ſublatis, cavendum eſt probe, ne uti alia, pellens hoc remedium adhibeatur invita natura, *neque* in *plethoricis* in nimia copia.

Cæterum *juvenibus*, & *ſanis plethoricis*, ſi *Medicina ſanguinem pellens* non expreſſe deſideretur, pro *ſtomacho roborando Elixiria*, quæ calorem ſanguinis augent, non danda ſunt.

OBSERV. 2) Ph. *Danica* & *Spielmannus* hancce exhibent præſcriptionem, Rec. *Aloes ſuccotrin. Myrrh. elect.* ana Unc. 2. *Croci Oriental.* Unc. 1. groſſe contuſis affundantur *Salis Tartari* Unc. 2. Diſſolutæ Aquarum florum *Sambuci*, *Cochlear.* ana Unc. 15. per 12. horas digeſta filtrentur.

ELIXIR APERITIVUM,

ſ. *Sennae Roſenſtein.*

Rec. Folior. *Sennae* Unc. 4.
Semin. *Coriandri* - *Fœnicul.* ana Drachm. 2.
Vini Hiſpannic. vel alius genuini nobilis, Unc. 24.
Digere per triduum, & tum adde
Paſſul. major. exacinat. Unc. 3.
Digere iterum per diem & exprimendo cola. Serva uſui.

VIS *leniter laxans.*

USUS in *obſtruct. alvi*; in *flatulentiis* cum *Elixir Rhabarb.*

Nocet in *haemoptyſi*, *aeſtu* nimio, *ſudore* nimio, *Roſenſtein.*

DOSIS

DOSIS Cochlear 1 - 1 ½.

ELIXIR AVRANTII COMPOSITVM.

Rec. *Flavedin.* Cortic. *Aurantior.* Unc. 4.
Extracti *Abſinthii - Cardui benedicti*,
---- *Centaurii - Gentianae* ana Unc. 1.
Vini Hiſpannic. dulcis Unc. 24.
Spiritus Aurantii, Unc. 2.

Flavedinem Spiritu humecta dein Tincturam Vino extrahe, in qua extracta ſolve & cola.
Pharm. *Roſſica.*

ELIXIR ſ. BALSAMVM GVAIACINVM.

Rec. *Gumm. Guaiaci* Unc. 12.
Balſam. Peruv. Drachm. 3.
Spiritus Vini rectific. Unc. 24. cum dimid.

Digere per 10. dies & cola. Pharm. *Edinburg.*

VIS *reſolvens*, *diſcutiens*, *diaphoretica*.
USUS in *rheumatismo* acuto, *arthritide*,
DOSIS Guttæ 20 - 30. bis in die.

ELIXIR ſ. BALSAMVM GVAIACINVM VOLATILE.

Rec. *Gumm. Graiac.* Unc. 4.
Balſam. Peruv. Drachm. 2.
Olei deſtillati Saſſafras Drachm. dimid.
Spiritus Salis Ammoniaci vinoſi Unc. dimid.

Macera per dies 6. in phiala clauſa, & cola.

VIS *fortior* priori *Elixir Guaiac.*
USUS idem cum priori.

ELIXIR BALSAMICVM TEMPERATVM *Hoffmanni.*

Rec. *Flavedin. Cort. Aurant.* recent. ab omni albedine mundatorum affunde
Corticis Peruviani ana Unc. 2.

Vini

Vini albi generoſi Unc. 24. Stent per Nychthemeron in digeſtione, poſtea exprime & adde

Extracti Trifolii fibrini, --- *Gentianæ* ana Unc. 1.

Solve & filtra per chartam bibulam.

VIS *antacida*, *roborans*, *carminativa*, *reſolvens*, *ſtomachica*.

USUS eximius ad *digeſtionem*, ad *chylificationem* ſecundandam & *ventriculum roborandum*; tam poſt morbos ſuperatos, ad *appetitum reſtituendum*; quam in morbis chronicis ipſis, ubi *inflationes ventriculi* ægrum vexant; ad tonum ventriculi quodam modo conſervandum, ad reſtituendas *vires primarum viarum*; *confert* eximie in *dyſpepſia*, *cacochymia*, *lienteria*, variis *diarrhoeis*; in affectibus *hypochondriacis*, *haemorrhoidalibus*, *cachecticis* & *ipſis hydropicis*, in *intumeſcentia* abdominis.

Ad uſum *ſeri lactis* & *ſuccorum* e herbis, verno tempore Elixir hoc ante meridiem aſſumtum, conducit quoque.

Confert eximie Elixir hoc iis qui *ſpirituoſa* non *ferunt*.

DOSIS a Guttis 60-100. in Vino, vel alio idoneo vehiculo. Cochlear quoque 1. ante & poſt prandium.

OBSERV. 1) *Spielmannus* hancce genuinam compoſitionem eſſe prætendit e *Hoffmanni* Conſultat. medic. P. III. deſumtam. Rec. *Cortic. Aurantior.* recent. Unc. 1. *Salis Tartari* Drachm. 2. *Vini Tocavienſ.* l. *Canarienſ.* l. *Hiſpanic. genuin.* Unc. 12. Digerantur per biduum. Tinctura decantata diſſolvantur Extractor. *Gentian. Centaur.* minor. *Cardui benedicti* ana Drachm. 2. filtrentur per filtrum tectum.

Pharm.

Pharm. *Brunſuicenſis* ita præſcribit ex Extr. *Abſinthii*, *Cardui benedicti*, *Centaurii minoris*, *Gentianae* ana Unc. 1. *Flavedin. Cort. Aurant. Inciſae* Unc. 4. Commixtis affundantur *Vini Hiſpanici* ſ. *Canarienſis* Unc. 24. *Spiritus Cortic. Aurant.* Unc. 2. per 3. dies digeſta colentur & exprimantur.

OBSERV. Exſtat quoque *Elixir Balſamicum Spirituoſum Hoffmanni*, compoſitum vero e nimis exæſtuantibus & calefacientibus ſimplicibus remediis, cuivis naturæ humanæ non congruis.

ELIXIR BALSAMICVM PECTORALE EDINBVRGENSE.

Rec. *Balſami Tolutani*, --- *Benzoes electae*,
Styracis calamit, --- *Myrrhae elect.* ana Drachm. 3.
Croci optimi Drachm. 2.
Spiritus Vini rectificati Unc. 20.
Digerantur & poſt ſufficientem extractionem filtrentur.

VIS *balſamica*, in & externe *tonica*, *antiſeptica*, *anodyna*, *purificans externe*.

USUS in læſionibus *pectoris*.

DOSIS Guttæ 30-40.

OBSERV. Pharm. pauper. *Pragens* ad *Elixir pectorale ſimplex* ſuadet Succ. *Liquirit.* Drachm. 3. *Aquae foeniculi* Unc. 4. *Spiritus Salis ammoniaci aniſati* Drachm. 1. miſcendi, alias ſub nomine *Elixir pectoral.* reg. daniæ notum: & ad *Elixirium pectorale balſamicum*, Extr. *Myrrh.* aquoſi Drachm. 1. miſcendi cum *Elix. pectoral. ſimplic.* Unc. 4.

ELIXIR CARMINATIVUM DAFFES, ANGLI.

Rec. *Enul. offic.* Sem. *Anis carvi*

Raſ.

Raſ. Guaiac. - Sem. *Coriandr.* ana Unc. 6.
Pulv. Cremor. Tartari Unc. 1.
Rad. Rhei. Unc. dimid. Fol. *Senn.* Unc. 3.
M. inc. & cont. imitt. *Spiritus Vini gallic.* Unc. 48. per 3 - 4. dies.
VIS & USUS e nomine.

ELIXIR FOETIDVM,
ſ. *Antihyſtericum.*

Rec. *Caſtorei* Unc. dimid. *Aſae foetid.* Drachm. 2.
Opii Drachm. dimid.
Salis Cornu Cervi Drachm. 1.
Spiritus Vini rectificati Unc. 4.
Digere per quatriduum & per linteum cola.
VIS *nervina*, *antihyſterica.*
USUS in malo *hyſterico*, *ſpasmis*, affectibus *uterinis.*

ELIXIR JALAPPÆ COMPOSITVM,
ſ. *Anthelminticum.*

Rec. Radic. *Jalappae* Unc. 4.
Scammonei aleppens. Unc. dimid.
Cambogiae Guttæ. Drachm. 2. Inciſis & contuſis affunde
Spiritus Vini rectificati Unc. 24.
Digere per triduum & exprimendo cola.
VIS &
USUS e nomine, excepto ſcopo *purgante.*

ELIXIR PAPAVERIS,
ſ. *Pectorale.*

Rec. *Succi Glycirrhiz. inſpiſſati*, Unc. dimid.
Croci, *Opii* ana Scrupul. 5.
Vini hiſpannici Unc. 10.
Digere per quatriduum & cola.
Pharm. *Suecica.*
VIS *reſolvens*, *involvens*, *anodyna*, *pectoralis.*

USUS in affectibus *pectoris.*

OBSERV. Pharm. *Herbipolitan.* compoſitio *Elixirii Pectoralis* eſt valde compoſita.

ELIXIR PAREGORICVM,

ſ. *Aſtmaticum Londinenſe.*

Rec. Florum *Benzoin*, *Opii colati*, ana Drachm. 1.
Camphorae Scrupulos 2.
Olei aniſi eſſentialis Drachm. dimid.
Spiritus vinoſi rectificati Unc. 24.
Mixtis digere leni calore & cola. Ph. *Londin.*

VIS *reſolvens*, *expectorans*, *ſiſtens*, *anodyna.*

USUS in *tuſſi*, *catarrho*, pectoris *affectibus*, *aſtmate.*

OBSERVAT. Pharm. *Edinburg.* præſcribit hancce parum mutatam compoſitionem. Rec. Flor. *Benzoin.* - *Croci* ana Drachm. 3. *Opii* Drachm. 2. *Olei deſtillat. Aniſi.* Drachm. dimid. *Spiritus Sal. ammoniac. vinoſi* Unc. 6. Digere per 4. dies in phiala clauſa & cola.

ELIXIR PECTORALE REGIS DANIÆ,

ſ. *Ringelmanni*, *correctum.*

Rec. *Succi Liquiritiae* Unc. 6. diſſolvantur, in
Aquae Foeniculi Unc. 12. filtrentur & addantur
Spiritus Salis Ammoniaci aniſati, Unc. 36.
Pharm. *Brunſuicenſ. Spielmann.*

VIS *reſolvens*, *expectorans*, *irritans*, *tonica*, *carminativa*, *diuretica.*

USUS in morbis *pectoris pituitoſis*, in *debilitatis* viribus, in *febribus catarrhalibus inveteratis*, ad *tonum pulmonum roborandum*, *decubitum humorum tenacium diſſipandum*, ad *dolores mitigandos.*

DOSIS Guttæ 30 - 40.

OBSERV.

OBSERV. Præſcriptio *Elixir* hujus *Pectoralis* Reg. Daniæ alias nimis eſt compoſita,& valde exæſtuantibus & calidis conſtat ſimplicibus, & qua *Spiritus Vini* ſale volatili & oleis vegetabilium impregnatum, ſucco liquiritiæ edulcoratum apparet, cum *Spiritu Salis ammoniaci aniſato* cæterum multum conveniens. Rec. Rad. *Angel.* Unc. 3. *Leviſt.* Unc. 1. Flor. *Chamom.* roman. Unc. 1. & dimid. Semin. *Aniſi* Unc. 8. *Foeniculi* Unc. 5. *Macis* Drachm. 3. *Nuc. Moſchatae Myrrh.* elect. ana Unc. 1. *Ciner. Clavellator.* Unc. 18. Inciſis & contuſis affundantur in cucurbita vitrea, *Spiritus Vini* rectificati Unc. 48. *Aquae fontanae* Unc. 24. Stent in digeſtione per triduum, quibus adde *Salis ammoniaci* pulveriſat. Unc. 12. deſtillentur, juncturis vitri probe clauſis, lento igne, ad reſiduum Unc. 12. liquor prolectus volatilis ſuperfundatur *Succi Liquiritiae* Unc. 5. *Aquae Foeniculi* Unc. 12. ſoluti *Croci* oriental. Drachm. 2. digerantur per aliquot dies, poſtea Elixir per chartam filtratum ſervetur. Ph. *Würtenb.*

ELIXIR RESOLVENS.

Rec. *Sal. Tartar.* depur. Unc. 1. Saturet. cum
Acet. Squillit. qu. ſuffic. cui addat.
Extr. aquoſ. *Fumar.* - *Centaur.* minor.
Trifol. fibrin. - *Gentian.* rubr. ana Unc. dimid.
Aqu. Chamom. ſin. Vin. Unc. 48.
Tinctur. Antimon. Jacobi
--- *Mart. aperitiv.* ana Unc. 1.
Miſce, aſſervetur uſui. *Selle.*

VIS *reſolvens*, *diſcutiens.*

USUS in *cachexia*, *hydrope*, *obſtructione* viſcerum abdominis, ejus inſigni debilitate. *Selle.*

DOSIS cochleatim ſæpius in die.

OBSERV. Pharm. *Brunſuicenſis* ita ſuadet, ex Extr. *Trifolii fibrini*, *Centaurii minoris*, *Cardui benedicti* ana Unc. 1. *Liquoris Tartari tartariſati* Unc. 24. *Aquae Cinnamom.* ſine vino Unc. 2. Miſceantur.

Pharm. *pauper. Hamburg.* communicat hancce præſcriptionem ex Extr. *Taraxac.* Drachm. 6. Extr. *Chelidon. maior.* Drachm. 2. *Aqu. fontan.* Unc. 6. *Aqu. Menth. piperitid.* Unc. 2. Miſcendi & exhibendi cochlearia 2. pro doſ.

ELIXIR RHABARBARI ROSENSTEIN.

Rec. *Rhab. Alexand.* Unc. 2.
Uvar. paſſul. Unc. 1.
Cortic. Citri - Rad. *Liquir.* ana Unc. dimid.
Cardamom. minor. Drachm. 2.
Vini electi. Unc. 24.
Miſce digere per biduum, colatur. expreſſ. add.
Extr. enul. Unc. dimid.
Sachar. albi Unc. 3.

VIS *laxans*, & *digeſtionis vias ſimul roborando.*

USUS ad *indigeſtiones*, *cardialgiam*, *flatulentias*, *colicam*, *icterum.* Ad *infantum cruditates* in primis viis egregium eſt *laxans.*

OBSERV. *Tincturae Rhabarbari* infantibus convenientiſſimam præſcriptionem hocce modo exhibet *Roſenſtein.* Rec. Rad. *Rhabarb.* Unc. dimid. cum Drachm. 1. *Sal. Tartari* accurate trit. in quo tempore Unc. 6. *Aquae commun.* affundantur, ſæpius conquaſſando, poſt horas 24. filtrentur probe *Tinctura:* de qua cochleare parvum pro doſi ſufficit infanti ſcopo aperiendi, laxandi leniter, acidum ſimul involvendi, ſine ullo caloris naturalis augmento.

OBS.

OBSERV. *Spielmannus* exhibet *Elixir Proprietatis Rhabarbarinum* ad *Kalde* dictum. Rec. *Aloes ſuccotrinae*, - *Myrrhae elect.* ana Unc. 1. *Rhabarbar. elect.* Unc. 1. & dimid. *Croci*, *Salis Tartari* ana Drachm. 2. pulveriſata digerantur cum *Vini Malvatici* Unc. 12. colentur. Quod commendat ſcopo *purgandi* & hepar reſerandi.

ELIXIR RHABARBARI,
ſ. *Rhei Amarum.*

Rec. *Rhabarbar.* contuſ. Unc. 1.
Radic. *Gentianae* rubr. Drachm. 2.
Canellae albae Drachm. 1.
Vini hiſpannici Unc. 12.
Digere per triduum & exprimendo cola.
Pharm. *Suecica.*

VIS *laxans*, *ſtomachica.*

USUS in *ſaburra primarum viarum.*

OBSERV. 1) Pharm. *Roſſica* ſuadet *Canellae albae*, *Cortic. Winterani* & loco *Vini hiſpanici*, *Spiritus Vini gallici.*

OBSERV. 2) Pharm. *Suecica* communicat quoque alias haud incongruas præſcriptiones *Elixiriorum Rhei* ſ. *Rhabarbari.*

a) *Elixir Rhei compoſitum*, e *Rhabarbar.* contuſi Unc. 2. *Cardamomi* Drachm. 2. *Alkali Tartari* Scrupul. 1. *Vini Hiſpannici* Unc. 16. Digerendi per triduum, & liquori cum expreſſione colata adjiciendi, *Sachari albi* Unc. 3. Extract. *Enulae* Scrupul. 10. *Centaurii minor.* Scrupul. 4.

b) *Elixir Rhei dulce*; e *Rhabarbar.* contuſ. Unc. 2. *Cardamomi decorticati* Drachm. 2. *Vini Hiſpannici* Unc. 12. Digerendi per triduum, poſt expreſſionem filtrandi.

c) *Elixir Rhei Sennae*, e Foliorum *Sennae* Unc. 4. Semin. *Coriandri*, *Foeniculi* ana Drachm. 2. *Vini hiſpanici* Unc. 24. Digerendi per triduum, tum addendi *Paſſularum majorum* exacinatarum Unc. 3. Digerendi iterum per diem & poſt expreſſionem colandi.

ELIXIRIVM ROBORANS.

Rec. Extr. aquoſ. *Cort. peruv.* --- *Caſcarill.*
Gentian. rubr. --- *Chamomill.*
ana Unc. dimid.
Solve in *Aqu. Menth. piper. ſin. vin.* Unc. 42.
Miſce aſſervetur uſui.

VIS *tonica*, *roborans*.

USUS in *debilitate ventriculi*, *inteſtinorum*, *proſtratione virium univerſali poſt morbos diutu nos.*

DOSIS cochleatim aliquoties in die.

OBSERV. Pharm. pauper. *Hamburg.* ita ſuadet hoc *Elixirium* ex Extract. *Gentian. rubr. Centaur. minor.* ana Drachm. 2. *Aquae Menth.* ſ. v. Unc. 4. *Elix. acido Halleri* Drachm. 2.. Miſcendi, & pro doſi cochlear dimid. Aqua dilutum porrigendi.

ELIXIR STOMACHICVM.

Rec. Radic. *Gentian.* Unc. 4. infunde
Vini albi generoſi Unc. 12. Digere per 2. dies, exprime & adde
Extr. Ligni *Quaſſiae* Unc. 1.
Liquoris *Tartari ſolubilis* Unc. 4.
Spiritus Vini rectificati Unc. 2.
Miſceantur & iterum per aliquot horas in *Balneo arenae* digerantur & tunc filtrantur.

VIS *ſtomachica*, *reſolvens*, *antiſeptica*.

USUS ad *ſtomachum roborandum*; ad *obſtructiones viſcerum reſolvendas*; in *omnibus morbis*, ubi to-

nus

nus roborandus eſt, ſine notabili *ſanguinis exaeſtuatione:* in affectibus *arthriticis* & *podagricis.*
DOSIS uti *Elixir balſamic. Hofmanni.*
OBSERV. Pharm. pauper. *Hamburg.* communicat hancce præſcription. ex Extr. *Caſcarillae*, Extr. *Gentian. rubr.* ana Drachm. 2.. *Aquae Menth. piperitid.* Unc. 4. Miſcendi & pro doſi cochlear. 1. plenum porrigendi.

ELIXIRIVM STOMACHIC. TEMPERATVM.

Rec. Extracti *Abſinthii*, --- *Centaurii minoris*,
Cardui benedicti, *Gentianae.*
.. *Salis Tartari* ana Unc. 1.
Flavedinis corticum aurantiorum amarorum Unc. 4. Inciſis adfundantur
Vini generoſi Unc. 48.
Stent per noctem in infuſione calida, facta dein forti expreſſione ſervetur Elixirium rite filtratum. Pharm. *Auſtriaca.*
VIS &
USUS e nomine: mitior præcedente.
OBSERV. Pharm. *pauper Hamburg* communicat *Elixir ſtomachicum* ſub nomine *Elixir amarum.* ex Extr. *Trifolii fibrin.* Unc. 1. *Tartari tartariſati* Unc. dimid. *Aquae fontan.* Unc. 6. *Aquae Menthae piperitid.* Unc. 2. miſcendi & cochleatim exhibendi.

ELIXIR STOMACHICVM,
ſ. *Tinctura Amara Edinburgenſium.*

Rec. Radic. *Gentianae* Unc. 2.
Flavedin. Cortic. *Aurant.* Unc. 1.
Canellae albae Unc. dimid.
Coccionellae Drachm. dimid.
Inciſa, contuſa, infundantur per quatriduum cum

Spiritus Vini Unc. 24. filtrentur.
VIRES & USUS e titulo patent.
DOSIS ad *cochlearia* aliquot parva.
OBSERVAT. *Tinctura amara Londinenſium* in eo tantum differt, quod loco *Canellae albae*, *Cardamomum* minus receptum ſit, & *Coccionella* omiſſa. *Spielmann.*

ELIXIR STOMACHICVM ROSENSTEIN.

Rec. *Cort. Aurant.* recent. Unc. dimid. contund. in mortario marmor in maſſam pultiform, digerantur cum
Vini hiſpannici Unciis 24. colatura diſſolvatur.
Extract. Gentian. rubr. Unc. 1.
Filtrentur.
VIS *ſtomachica, tonica.*
USUS ad dolores *colicos*, *ventriculum*, & *primas vias roborandas.*
DOSIS Cochlear unum cum *Aqua Cinnamomi* vel in *Vino.*
OBSERV. Rad. *Gentian. Pimpin. albae.* Herbæ *Abſynth.* addi poſſet.

ELIXIR STOMACHICVM WHYT ANGLI.

Rec. *Cort. peruv.* pulveriſat. Unc. 4.
Rad. *Gentian.* ---
Flaved. *Cortic. Aurant.* ana Unc. dimid.
Mixtis ſuperfunde *Spiritus Vini Gallici* Unc. 48. digere in balneo arenæ per 6. dies, colaturam probe clauſam aſſerva.
VIS *tonica, roborans, ſtomachica.*
USUS in *ſtomachi debilitate.*
DOSIS cochleare magnum in Aqua bis terve in die.

ELIXIR STOMACHICVM STOVGTHON, ANGLI.

Rec. Radic. *Gentianae* Drachm. 6.

Ra-

Rad. *Rhabarbar.* Unc. dimid.
Herbarum Abſynthii, --- *Chamaedrios*,
Flavedin. Cortic. *Aurantior.* ana Drachm. 6.
Cortic. *Caſcarillae*,
Aloes ſuccotrin. ana Drachm. 1.
Inciſa, contuſa infundantur in
Spiritus Vini rectificati Unc. 24.
Filtrentur. *Spielmann.*

VIS *ſtomachica, carminativa, leniter purgans.*

USUS ad *vitia digeſtionis*, quibus *obſtructiones hepatis* junctæ ſunt. *Spielmann.*

ELIXIR VISCERALE ROSENSTEIN.

Rec. Rad. *Rhabarb.* elect. contuſ. Unc. 8.
Arcan. Tartar. Unc. 3.
Aquae Cinnamom. ſ. v. Unc. 48.
Digere loco frigidiuſculo, vaſe clauſo per 4. hebdomades, vas ſæpius agitando, dein adde
Flav. *Cort. Aurant.* recent. Unc. 2.
Sem. *Cardamom.* min. contuſ.
--- *Foeniculi* ana Unc. dimid.
Digere per octiduum vas pluries agitando. Reſiduo poſt colaturam cum expreſſione affunde
Decoct. depur. Rad. *Cichor* Unc. 6.
Agita & per linteum expreſſum adde priori colaturæ, & immixtis diſſolve *Sachari* Unc. 24.
Servetur uſui.

VIS *diſcutiens, reſolvens.*

USUS ad *reſolvendam pituitam, mucum; obſtruct. viſcerum* aperiendos; *alvinam* excretionem *ſtimulandam; diureſin promovendam.*

DOSIS dimidium cochleare ordinar.

OBSERVAT. *Spielmannus* hancce præſcriptionem exhibet *Elixir* viſceralis ſub nomine *Roſeen.*

Rec. *Flavedin. Cortic. Aurantior.* Unc. 1. *Rhabarbar.* ver Drachm. 10. *Terrae ſoliat. Tartar.* Unc. 2. Inciſa, trita infundantur per 4. dies frigide in vaſe probe clauſo cum *Vini albi generoſi* Unc. 16. In colatura diſſolvantur *Extractor. Centaurii minor.* Unc. 1. *Caſcarillae* Unc. dimid. *Oleorum deſtillatorum Chamomillae*, *Millefolii* ana Scrupul. 1. filtrentur. *Commendat* uſum hujus Elixir in *impedita digeſtione*, & in morbis a vitio ſuccorum *Chylopoeticorum* ortis; cochlear parvum pro *Doſi*.

ELIXIR VITRIOLI MYNSICHT.

Rec. Herbæ *Menthae piperitidis*,
Salviae officinal. ana Unc. dimid.
Radic. *Calami*, — *Galangae minoris*,
Florum *Caſſiae* ana Unc. 1.
Cardamomi minoris Drachm. 3.
Cortic. Citri Unc. 2. inciſis, contuſis infunde,
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unc. 30.
Digere per triduum, tunc exprime, filtra per chartam bibulam, & adde
Acidi Vitrioli tenuioris Unc. 6. *Piderit.*

VIRES cum *Elixir balſamico correcto Hoffmanni* conveniunt, niſi quod adhuc potentius eſt *aromaticum acidum*, *ſtomachicum.*

USUS ad *cruda incidenda* & *ventriculum roborandum.* Conducit quoque magis *hypochondriacis*, *hyſtericis*, *arthriticis*, *ſcorbuticis*, & *mari vivẽntibus.* *Nocet* ubi vitium ventriculi in eo ab acido oritur.

DOSIS eadem uti *Elix. balſamici Hoffmanni.*

OBSERVAT. Pharm. *Edinburg.* præſcribit *Elixir* hoc *Vitrioli* ſub nomine *Elixir Vitrioli acidum*, ad hancce compoſitionem valde *aromaticam.*
Rec. *Spiritus Vinoſi rectificati* Unc. 24. Inſtillandas

landas paulatim *Acidi Vitriolici* Unc. 6. digerendi leniſſimo calore, in vaſe clauſo per triduum, dein addendi, *Cinnamomi* Unc. dimid. *Zingiberis* Unc. 1. Folior. *Menth. piperitid.* ſicc. Unc. dimid. Digerendi rurſus in vaſe clauſo per 6. dies, per chartam colandi, infundibuli vitrei ope.

Pharm. *Würtenb.* & *Brunſuicenſ.* præſcript. æque compoſitæ ſunt & exæſtuantes.

ELIXIR VITRIOLI ACIDVM EDINBVRG.

Rec. *Spiritus Vini rectificatiſſimi* Unc. 24. cui
Olei Vitrioli Unc. 6. inſtillantur paulatim
Miſceantur lege artis, & digerantur leni calore per triduum, dein addantur
Cinnamomi Unc. dimid.
Radic. *Zingiberis* Unc. dimid.
Herbæ *Menthae piperitidis*, Unc. dimid.
Digerantur rurſus in vaſe clauſo per 6. dies dein per chartam colantur ope infundibuli vitrei.
Ph. *Spielmann. Edinburg.*

VIS *ſtomachica*, *antiputrida*, *antiſeptica.*
USUS in *morbis putridis.*
DOSIS Guttæ 12.
OBSERVAT. Pharm. *Roſſica* ita præſcribit *Elixir Vitriolicum*, e *Tinctur. Aromatic.* Unc. 12. ſenſim inſtillandi *Acidi Vitrioli fortis* Unc. 2. quæ mixta ſimul ſtent per diem & filtrantur.

ELIXIR VITRIOLI DVLCE EDINBVRG.

Rec. *Cinnamom.* Drachm. 6.
Semin. *Cardamom. minor.* Unc. 1.
--- *Angelic.* Drachm. 3.
Piperis longi Drachm. 2.
Spiritus Vini ſeu *Liquor. Anodin. mineral. Hoffmann.* Unc. 24. contuſa macerentur per octiduum, dein filtrentur,

VIS

VIS *ſtomachica, roborans.*
USUS ad *colicam ſlatulentam, ventriculum roborandum.*
DOSIS Guttæ 20.
OBSERV. 1) Species ſuperiores adhibentur quoque ad *Tincturam Aromaticam Edinburgenſ. Spiritu Vini* mixtam, quum ad hoc *Elixir Spiritus Vitrioli dulcis* adhibetur.
OBS. 2) Pharm. *Herbipolitan.* hancce communicat compoſitionem Rec. *Olei Eſſential. Cinnamom. Cortic. Citri* ana Drachm. dimid. *Menth.* Drachm. 1. Inſtillentur ſenſim hæc olea. *Spiritus Vitrioli* rite dulcificat. Unc. 3. Digerentur leniſſ. calore, & in vaſe rite obturato ſerventur.

ELIXIR UTERINUM.

Rec. *Croci Auſtriaci* Unc. dimid. infunde
Spiritus Vini rectificati Unc. 15. Digere parum, filtra & adde
Caſtorei ruſſici Unc. dimid. iterum digere parum, filtra & adde
Herbæ *Menthae piperitit.*
Radic. *Valerian. ſylveſtr.* ana Unc. dimid. Digere iterum leni calore, exprime, filtra per chartam bibulam, & tum adde
Olei Menthae piperitid. Drachm. 1.
Serva uſui. *Piderit.*

VIS *antihyſterica, nervina, tonica.*
USUS in *menſium retentione* & *ataxia*; in *uteri affectibus ſeroſis*; ad *partus dolores ſpurios ſiſtendos*, & *veros* ſi deficiunt *excitandos*, debito foetus ſitu; in *fluore albo*, malo *hyſterico*, ultimum irritamen adhibendum.
DOSIS a Guttis 30-60.
OBSERV. Pharm. *Würtenb.* & *Spielmannus* exhibent præſcriptionem hujus *Elixir Uterini*, valde ex-

exæſtuantem & nimis compoſitam. Rec. *Caſtorei* Unc. 3. *Croci* Unc. 1. *Herbae Artemiſiae* Unc. 6. *Terrae foliatae Tartari* Unc. dimid. Inciſa digerantur per quatriduum, *Spiritus Vini* Unc. 30. filtratis addantur *Oleorum deſtillator. Angelicae*, *Aniſi*, *Succini* ana Drachm. 1. Miſceantur optime.

Pharm. *Brunſuicenſ.* exhibet vero magis concinnam præſcription. hujus *Elixir*, ex *Aſae foetid.* Drachm. 1. *Salis Cornu Cervi* Drachm. dimid. *Eſſent. Caſtorei* Unc. 3. ſoluta colentur.

EMBROCATIO DISCVTIENS.

Rec. Herbæ *Altheae* Manipul. 4.
--- *Menthae* --- *Matricariae*
Sumitat. *Abſynth.* Flor. *Lavendul.*
Flor. *Centaur.* -- *Chamaemel.* ana Manipul. 3.
Raſur. Lign. Saſſafr. Unc. 2.
Bacc. Lauri --- *Juniperi* ana Unc. 4.
Coque cum *Aquae commun.* quant. ſuffic. in vaſe clauſo per dimidiam horam, colaturæ Unc. 288. adde
Salis Ammoniaci Unc. 4.
Spiritus Juniperi Unc. 24. *Plenck.*

VIS *diſcutiens*, *reſolvens*, ad *paralyſes*, *tumores induratos articulares* & *anchyloſes*,

VSVS *Liquoris* hujus quoque fit pro *ſtillicidio*, qui modice calefactus, apto vaſi immiſſus, de cannula ex alto decidit in partem affectam, nudam: huic autem ſupponenda eſt pelvis, liquorem munere ſuo functum exceptura. Stillicidio per horam continuato, æger in lectum calidum reponatur, parsque affecta veſicis, eodem decocto calente repletis, undequaque applicatis, foveatur, ut aliquot horarum ſpatio ſudet. Fricetur dein eadem cum pannis laneis, ſiccis,

cis, calidis, hiſce obvoluta a frigore defendatur. Repetatur eadem ſingulis diebus per aliquot hebdomades, & decoctum quarta quavis embrocatione renovetur.

EMPLASTRVM ADHÆSIVUM,

ſ. *Commune adhaeſivum.*

Rec. *Terebinthinae* larigen. ſ. venet. Unc. 4.
Reſinae Citrinae Unc. 12. Liquentur & colatis addentur
Emplaſtri commun. Unc. 6.
Ex his ſimul leni igne liquefactis & bene mixtis fiat lege artis *Emplaſtrum.* *Piderit.*

VIS *conglutinans*, *combinans*, *continens.*

VSVS pro *uniendis vulnerum* labiis absque ſutura. In vulnerum *curatione* præcipuum eſt *unio* vulnerum *labiorum*, *faſcia* debito modo applicata, l. *ſutura cruenta*, omnibus *Emplaſtris* omnino præferenda. Iſtis auxiliis locus non ubivis datur, iſto ſcopo, uniendi labia: *Emplaſtrum* hoc *adhaeſivum* confert, ad partes *continendas*, nec non ad levia *vulnera* a ſordium illapſu defendenda.

Inſervit quoque ad *turundas vulneribus* retinendas, uti & *aërem* a *vulneribus avertendum*; quod quidem *plumacroli* quoque, vel *cera* ſimplex, ſ. multomagis *Emplaſtrum Citrinum* præſtant.

OBSERVAT. Pharmacop. *Edinburg.* ſuadet præparat. ex *Emplaſtri commun.* Unc. 24. *Reſinae albae* Unc. 5. liquefactis ſimul leni igne, & bene mixtis conficiendi *Emplaſtrum.*

Pharm. *Suecica* ſuadet *Olei olivar.* Unc. 24. *Lithargyrii triti* Unc. 12. *Ceruſſae* Unc. 4. Spathula lignea continue agitando coquendi modico igne, aquam ferventem ſubinde inſtillandi, & ſi emplaſtri ſpiſſitudinem habet, adden-

dendi *Cerae flavae* Unc. 8. *Terebinthin. commun.* Unc. 2.
Pharm. *Würtenb.* præſcribit *Empl. Diachyl.* ſimplic. Unc. 6. *Picis Burgundicae.* Unc. 3. Miſcendi ad *Emplaſtrum.*

EMPLASTRVM ALBVM COCTVM,
ſ. *Abbatis de Grace.* ſ. *de Ceruſſa.*

Rec. *Olei Olivarum* Unc. 36. calefactis injice
Ceruſſae albae pulveratæ Unc. 72.
Coque modico igne ; ſub agitatione continua *Ope Spathulae ligneae*, inſtillando ſubinde portionem *Aquae frigidae*, ne humidum deficiat ; donec debitam Emplaſtri conſiſtentiam acquirat, ſimulque albedo perſiſtat additis
Cerae albae Unc. 6. colliquatis antea.
Pharm. *Auſtriaca.*

VIS *diſcutiens, exſiccans, refrigerans.*
VSVS ad *ambuſta membra*, ad *intertrigines*, *leves cutis exulcerationes, eroſiones.*
Mammis induratis quoque imponitur.
OBSERVAT. 1) Cicatricem inducit. *Carendum* eſt ne in *arthritide*, *eryſipelatae*, *rheumatismo* adhibeatur.
OBS. 2) Pharm. *Roſſica* ſuadet ex *Olei Olivarum.* Unc. 12. *Ceruſſae* Unc. 24. coquendi lege artis, & tum addendi *Cerae albae* Unc. 3.
Pharm. *Würtenb.* vero ex *Olei Olivarum* Unc. 24. *Ceruſſae* Unc. 18. *Cerae albae* Unc. 4.

EMPLASTRVM de AMMONIACO,
Simplex, Danorum.

Rec. *Cerae Citrinae*, --- *Reſini Pini*,
Terebinthinae ana Unc. 4. colliquatis & colatis addantur,

Gum-

Gummi Ammoniaci depur. Unc. 8.
Fiat Emplaſtrum. *Spielmann.*

VIS *emolliens*, *diſcutiens leniter*, *irritans*, *maturans*, *reſolvens*, *dolores mitigans.*

VSVS in *indurationibus* partium externarum, ſolidarum, in *ſcirrho, tumoribus cyſticis*, *induratis*, & *articularibus* quibusdam.

OBSERVAT. Pharm. pauperum *Hamburg.* ſuadet e *Gummi Ammoniaci crudi* Unc. 1. Solvendi in *Aceti Squillitic.* qu. ſuffic. ſolutionem inſpiſſandi ad Emplaſtri conſiſtentiam.

EMPLASTRVM de AMMONIACO cum *Mercurio*, *Londinenſium.*

Rec. *Balſami Sulphuris* ſimplicis, ſ. *Rulandi* Drachm. 1.
Argenti Vivi Unc. 3. terantur probe usque dum omnes globuli Mercuriales diſparuerint, immiſceantur tum ſenſim ſub perpetua agitatione
Gummi ammoniaci Unc. 12. liquatæ,
Terebinthinae Unc. 3.

OBSERV. In hoc Emplaſtro eſt totius pars fere 5ta *Mercurii.*

VIS *reſolvens*, *diſcutiens*, fortior.

VSVS in *glandularum indurationibus*; in *ſtagnationibus*, *venereae* indolis. *Selle.*

EMPLASTRVM ANGLICVM ADHÆSIVUM *Wodſtoockii* ſ. *Emplaſtrum* e *Styrace.*

Rec. *Ichthyocollae* finiſſimæ minutim inciſæ Unc. 1.
Reſinae Benzoes, - *Styrac. calamit.* ana Drachm. 1.
Spiritus Vini rectificatiſſimi Unc. 1.
Miſce, ſolve leni digeſtione in *Cucurbita vitrea*, per 24. horas, refrigerata dein coletur.

Holo-

Holoſericum nigrum & *tenue*, denſioris tamen texturæ, ad regulam *netricis* fortius extenditur. *Emplaſtri* maſſa in *catinum*, & hic in *Aquam ferventem* immittitur, ut gelatinoſa diffluat maſſa. In *Holoſericum*, quantum fieri poteſt expanſum, penicilli magni & mollis ope, transferatur hæc maſſa parciſſime, idque probe antea ſemper ſiccata, ter - quaterve, eousque nimirum repetatur, donec *Holoſericum* ſpeculi polituram induerit.

Emplaſtrum probe ſiccatum, & tum ex regula exemtum in *fruſtula* ſecatur.

Ad *Holoſericum* 3. Ulnarum obducendum, præſcripta hæc quantitas ſufficit.

Si *gelatinoſa* maſſa *arefacta* fuerit, *ſpiritu* frumenti affuſo mollior redditur. *Piderit.*

VIS *adhaerens*, *combinans*, *conſolidans*.

USUS parvis *vulneribus carnoſis*, Spiritu Vini prius rite tractatis. Ad unienda *vulnera*, tegendas *excoriationes cutaneas* inſignis eſt uſus: Sexui amabili inſervit pro emplaſtris coſmeticis.

OBSERVAT. Ad *Spielmannum* præſcribuntur ſub nomine *Empl. anglici adhaeſivi Widſtoock*, ad *Ichthyocollae* Unc. 2. *Benzoes*, *Styracis* electæ ana Drachm. 1. & *Spiritus Vini* Unc. 24. Quæ cucurbitæ immittendæ ſunt, & colore detinendæ, usque dum omnia fuerint diſſoluta, ſolutioque refrigerata conſiſtentiam gelatinæ induat, quo dein oblinitur penicilli ope, ſerico tenſo. Antequam prius exſiccatum fuerit non inducatur alterum ſtratum, eademque ſub cautela fiat ſtratorum iteratio, usque dum requiſita ſurrexeſerit craſſities.

Annotat quoque *Spielmannus*; celebratum fuiſſe hoc Emplaſtrum ſub nominibus *The Lady's Black Sticking Plaiſtre*, *Taffetas d'angleterre*; *Eng-*

Engliſcher Taffet; in creberrimo uſu eſt ad *ſolidanda vulnera leviora.*

OBSERVAT. 1) Ph. *Herbipolitan.* ſuadet ſimpliciſſimam compoſitionem ex *Ichthyocollae* Unc. 12. *Storacis* Drachm. 6. *Spiritus Vini* qu. ſuffic. ut liqueſcant ad lenem ignem in gelatinam tremulam, quæ in telam ſericeam tenuem nigram ſed ſolidam mediante machina lignea extenſæ, mollis & lati penicilli ope in loco frigido calide illiniatur.

Pharm. *Roſſica Emplaſtrum anglicum* ſub nomine *Empl. e Styrace* præſcribit e *Styrac.* Drachm. 6. *Ichthyocollae* Unc. 12. *Spiritus Vini* qu. ſuffic. Leni calore liqueſcendi in gelatinam, telæ ſericeæ nigræ filorum ope tenſæ, penicillo illiniendi.

OBSERV. 2) *Benzoe* odorem valde penetrantem non omnibus tam amœnum largitur, hinc facile omittitur.

OBSERV. 1) Loco *holoſerici* adhiberi commodius poſſunt laminæ ſ. membranæ, quibus utuntur bracteatores, ſic dictæ *Goldſchlager - Häutle*, multo commodius & plane magis, aſſigi qui poſſunt cuti humane.

OBSERV. 2) *Solutio Mercurii gummoſi* emplaſtro anglico adhæſivo - combinari & ita commode illini quoque poteſt membranis iſtis bracteatorum, ad formandum *Emplaſtrum mercuriale*; & pari modo *Emplaſtrum ſaponatum* poteſt confici, addito *Sapone* loco *Mercurii*, emplaſtro adhæſivo anglicano, illinito membranis bracteatorum.

EMPLASTRVM ANODYNVM

in *Cancro*, *Decker*.

Rec. *Emplaſtri Diapompholygos* Unc. 1.

Fu-

Fuliginis ſplendentis Scrupul. 4.
Opii pulveriſati Drachm. 1.
Salis volatilis Ammoniaci Scrupul. 2. Mixta malaxentur cum
Olei Solani quantum ſufficit. *Spielmann.*

VIS & USUS e nomine patent.

EMPLASTRVM ANODYNVM *Wildeganſii.*

Rec. *Emplaſtr. Saponati*
Cerae citrinae ana Unc. 4. colliquatis & ſemi refrigeratis addantur
Olei Tartari foetidi Drachm. 5.
Opii in pulverem redacti Unc. dimid.
Camphorae Drachm. 3. diſſolutæ in
Olei ſeminis *Hyoſciami* Drachm. 5.
Miſceantur probe. *Spielmann.*

VIS *anodyna*, *reſolvens.*

USUS ad morbos *articulares*, dolentes eximie.

OBSERV. *Guy*, *Anglus*, communicat *Empl. anodynum* ex *Empl.* e *Cymino*, *Cerae flav.* ana Scrupul. 1. *Opio colato*, *Camphor.* ana Drachm. 2. commiſcendi ad Emplaſtrum.

EMPLASTRVM ANTICOLICVM.

Rec. *Empl.* de *Galbano crocati* Unc. 4. ſolve leni igne, poſtea
Rec. *Aſae foetidae*, --- *Terebinthin*, ana Unc. 1. ſolve leni igne, & omnibus mixtis adde
Olei Cornu Cervi foetidi,
--- *Menthae piperitid.* ana Drachm. 1.
Quo tum fiat lege artis *Emplaſtrum.*

VIS *tonica*, *roborans*, *caleſaciens*, *ſtomachica.*

USUS Regioni *abdominis* ſuperiori aut inferiori, parum calefactum impoſitum, & tamdiu relictum, donec ſponte decidat, confert in *cardi-*

algia, *ventriculi imbecillitate*, *colica flatulenta*, *vomitu*, *diarrhoeis*, *dyſenteriis*, *lienteria*, *fluore coeliaco*, *paſſionibus hyſtericis*, *flatulentia hypochondriacorum.*

EMPLASTRVM ANTIHYSTERICVM.

ſ. *Foetidum.*

Rec. *Galbani colati* Unc. 12.
Aſae foetid. colatae,
Cerae flavae ana Unc. 6.
Reſinae albae Unc. 3.

Commixta liqueſcant leni igne, ad emplaſtri formam. Pharm. *Edinburg.*

VIS &

USUS e nomine patent.

OBSERV. Ph. *Pragenſis* pauperum ſuadet ſub nomine *Empl. foetidi*, e *Cerae flavae* Unc. 4. *Olei Olivar.* Unc. 1. ſimul liquefactis, & ab igne remotis addendi, *Aſae foetidae*, *Galbani* ana Unc. 2.

Ph. *Suecica* ſuadet e *Cerae flav.* Unc. 4. *Olei Olivar.* Unc. 1. ſimul liquefactis & ab igne remotis addendi *Aſae foetid. Galbani* ana Unc. 2.

Ph. *Brunſuicenſ.* compoſitionem ſuppedidat e *Galbani* Unc. 12. *Tacamahac.* tritæ, *Cerae flav.* ana Unc. 6. *Aſae foetid. Semin. Cumini triti*, *Terebinthinae venet.* ana Unc. 4. Miſcendi lege artis ad Emplaſtrum.

EMPLASTRVM ATTRAHENS

Londinenſium.

Rec. *Reſinae* --- *Cerae* ana Unc. 16.
Sevi Ovilli Unc. 8.

Liquefiant & per colum trajiciantur.

VIS *attrahens*,

USUS ad *ſuturas ſiccas*. *Spielmann.*

OBS.

OBSERV. Pharm. *Edinburg.* præſcribit compoſitionem e *Cerae flavae* Unc. 24. *Axungiae porcinae* Unc. 12. *Reſinae albae* Unc. 6. Liqueſcendi ſimul leni igne, & ab hoc remota maſſa aſſidue agitandi, donec coeat in Emplaſtrum.

EMPLASTRVM DE BELLADONNA,

Brunſuicenſium.

Rec. *Succi Belladonnae* folior. recent.
Olei Lini ana Unc. 9. coquantur ad conſumtionem humiditatis, tunc addantur
Cerae citrinae Unc. 6.
Terebinthinae venetae Drachm. 6.
Liquatis admiſceantur,
Pulver. folior. *Belladonnae* Unc. 2.

VIS *emolliens, anodyna,*

USUS ad *mammarum* vel *ſcroti tumoresduros* aut *reſolvendos*, aut ad *bonam ſuppurationem* perducendos. Ph. *Brunſuicenſis.*
Ad *vulnera* a rabie canina caute adhibitum confert. *Pfingſten.*

EMPLASTRVM AD BVBONES VENEREOS

Boerhave correctum.

Rec. Florum *Sulphuris.* Unc. 2.
Mercurii Vivi Drachm. 2. terantur pr be, usque dum omnes *globuli Mercuriales* diſparuerint, tunc addantur,
Sachari Saturni Drachm. 3. Mixta ingerantur ſub non intermiſſa agitatione,
Emplaſtrorum de *Meliloto*, - *Galbano crocato*
Emplaſtr. de *Ammoniaco*, ana Unc. dimidiæ,
Liquando commixtis & ſemirefrigeratis conficiendi ad Emplaſtrum.

VIS *reſolvens, diſcutiens.*

USUS ad *bubones venereos inveteratos tenaciſſimos diſſolvendos*, ad *ingentes teſticulos venereos* qui plane eo detumuerunt, obſervationibus *Trilleri.*

OBSERV. 1) *Empl.* de *Cumino* & *Sagapeno* qua ſuperfluum additur ad Pharm. *Würtenb.*

OBSERV. 2) Solutio *Mercurii gummoſa*, ope *Gummi Arabici* ad *Emplaſtrum mercuriale - venereis* tam proficuum, commode poteſt præparari, addita quant. ſuffic. ceræ.

EMPLASTRVM E CALAMINARI LAPIDE,

vide *Emplaſtrum Gryſeum.*

EMPLASTRVM CAMPHORATVM.

Rec. *Olei Olivarum* Unc. 12.
Minii Unc. 8. coquantur ad conſiſtentiam Emplaſtri, cui refrigerato addantur
Camphorae, paululum *Olei Olivarum* diſſolutæ. Unc. 2. *Stahl.*

VIS *refrigerans*, *reſolvens*, *anodyna.*

USUS ad *ambuſta*, *excoriationes.*

Succedaneum *Emplaſtri* de *Minio.*

OBSERVAT. *Plenck* ita præſcribit ex *Emplaſtri* de *Spermate Ceti* Unc. 6. *Camphor.* Unc. 1. Miſcendi ad Emplaſtrum: & commendat ad *fiſtularum* & *ulcerum margines calloſos emolliendos* & *ſeparandos*, ad *ulcera gangraenoſa* tegenda.

EMPLASTRVM CEPHALICVM DANORVM,

ſ. ad *Tempora*, ſ. ad *Dolores dentium.*

Rec. *Gummi Tacamahacae* - *Carannae*,
Styracis calamitae, - *Maſtyches* ana Unc. 1.
Terebinthinae venet. Drachm. 2. Leni igne liquentur, pene refrigeratis addantur
Opii pulveriſati, Scrupul. 4.
Balſami peruviani, Unc. dimid.
Olei Succini Drachm. 1.

Miſce-

Miſceantur probe.

VIS *temperans*, *refrigerans*, *anodyna.*

USUS in *capitis doloribus* parti affectæ; in *odontalgia* temporibus applicatum.

Succedaneum Emplaſtri ad *Dolores dentium*, & *Emplaſtr.* ad *tempora. Spielmann.*

OBSERV. Ph. *Argentorat.* præſcribit *Gummi Carannae*, *Elemi*, *Maſtiches*, *Tacamahacae* ana Unc. 1. *Styrac. Calamit.* Unc. dimid. *Olei Nuciſtae* expreſſ. Scrupul. 8. *Opii thebaici* Unc. 1. *Terebinthin.* Unc. dimid. Miſcendi ut fiat lege artis Emplaſtrum.

EMPLASTRVM,

ſ. *Cereum Edinburgenſe.*

Rec. *Cerae flavae* Unc. 24.
Reſin. alb. - *Sevi cervini*, ana Unc. 12.
Liqueſcant ſimul in Emplaſtrum. *Mellin.*

VIS & USUS e nomine patent.

EMPLASTRVM DE CERVSSA,

vide *Emplaſtrum album coctum.*

EMPLASTRVM CICVTÆ SIMPLEX.

Rec. Succi Herbæ *Cicutae* ſ. *Conii maculati* Unc. 12.
Pulveris Herbæ *Cicutae* Unc. 6.
In *vaſe figulino* inſpiſſantur leniter, ſub continua agitatione, ad *Pultis* conſiſtentiam; quo tum addatur, antea quidem leni igne liquatis,
Cerae flavae Unc. 10. *Terebinthin.* elect. Unc. 4.
Olei Olivarum Unc. 6.
Quo tum fiat lege artis *Emplaſtrum. Pilerit.*

VIS potenter *reſolvens*, *diſcutiens*, *anodyna.*

USUS ad *infarctus* in hypochondriis non inveteratis, & macilentis applicatum, per quoddam tempus, cum internis remediis:

ad *diſcutiendos*, *ſolvendos tumores induratos*, incipientes *ſcirrhos*, *ſcrophulas*, *carcinomata*, & interdum ipſa *ganglia:* ad *nodos mammarum* egregie *diſcutiendos* & *glandulas induratas*. Qua eximium *anodynum* ipſi quoque *cancro* applicatum jam eſt.

OBSERV. 1) Ad *dolores* vero *arthriticos*, *podagricos* leniendos minime confert, uti alia emplaſtra anodyna, quæ ſemper temere applicantur.

OBSERV. 2) Ob *acrem* hujus emplaſtri *indolem*, diu inprimis applicatum, & poros cutis, ſimul ſic uti alia obſtruens, *pruriginem* ſæpe, *veſiculas* & *eryſipelatem* in loco impoſito facile excitat, hinc caute ſemper eo mercandum eſt, inprimis, qui tenellam habent cuticulam.

Piderit & *Walter*.

OBSERV. 3) Variæ exſtant aliæ commodæ compoſitiones hujus *Emplaſtri*.

Pharm. *Auſtriaca* ſuadet ad *Olei Olivarum* Unc. 12. addendi *Cerae citrinae* Unc. 24. *Terebinthinae*, *Extracti Cicutae* ana Unc. 36. *Pulveris Cicutae* Unc. 6. Miſcendi & lege artis conficiendi Emplaſtrum.

Pharm. *Herbipolitan.* & *Plenck*, commodam hancce compoſitionem ſuadet, e *Cerae flavae* Unc. 12. *Olei Hyoſciani* Unc. 4. colliquatis, colatis, ac paulo refrigeratis addendi, *Succi Cicutae* inſpiſſati. Unc. 6. *Gumm. Ammoniaci* in *decocto Cicutae* ſoluti, & denuo inſpiſſati Unc. 8. Ad lenem ignem demum admiſcendi, Pulver. *Cicutae* Unc. 8. Mixtis conficiendi Emplaſtrum.

EMPLASTRVM DE CICVTA,

ſ. *Conio compoſitum*, cum *Gummi Ammoniaco*.

Rec. *Gummi Ammoniaci* Unc. 8. Diſſolvantur in

Aceti

Aceti Squillitici, Unc. 8. colentur & addito
Succi Cicutae e tota planta expreſſi Unc. 16.
Inſpiſſentur rurſus ad conſiſtentiam pultis, ſeu extracti liquidioris. Dein addantur.
Pulveris Cicutae Herb. recent. Unc. 8.
Cerae flavae liquatæ, Unc. 12.
Olei Olivar. Unc. 4.

Miſceantur probe leni calore, ut fiat emplaſtrum.
Pharm. *Würtenb. Auſtriaca.*

VIS potenter *reſolvens*, *diſcutiens*, *aperiens*, *emolliens*.

USUS ad *ſcirrhos*, *carcinomata*, *tumores duros*, inprimis *lienis*, *hepatis*, *mammarum*, ad *tumores ſcrophuloſos artuum*, ad *cancrum*.
In *dolore* & *obſtructione lienis*, *pancreatis*.
Ad *verrucas* & *clavos pedum*.

OBSERV. 1) *Spielmannus* ſuadet qua fortius agens *Oleum Hyoſciami*, loco *Olei Olivarum*.
Ph. *Suecica* ſub nomine *Emplaſtri e Conio* hancce habet præſcriptionem, e *Cerae flav.* Unc. 6. *Olei Olivar.* Unc. 4. *Gumm. Ammoniac.* Unc. dimid. ſimul liquatis addendi *Herbae Conii* pulverat. Unc. 6.
Pharm. *Roſſica* hancce commodam quoque habet præſcriptionem, e *Gummi Ammoniaci* Unc. 24. in *Aceti Squillitic.* qu. ſuffic. ſoluto addendi *Extr. Cicutae* Unc. 12. leniſſimo calore evaporandi, ſub finem addendi *Herbae Cicutae* pulverat. Unc. 6. *Cerae flavae* prius liquatæ Unc. 12. *Terebinthinae* Unc. 4. Miſcendi perpetua agitatione ut fiat emplaſtrum.
Pharm. *Danica* ſuadet *Cerae flavae* Unc. 12. *Olei Hyoſciami*, Unc. 4. colliquatis, colatis ac paulo refrigeratis addendi *Succi Cicutae* inſpiſſati Unc. 6. *Gummi Ammoniaci* in decocto *Cicutae* ſoluti & inſpiſſati Unc. 8. ad lenem ignem admiſcendi tum *Pulveris Cicutae* Unc. 8.

EMPLATSRVM,

ſ. *Ceratum Citrinum.* ſ. *Emolliens.* ſ. *Cera Citrina.*

Rec. *Cerae Citrinae* Unc. 8. *Reſinae Citrin.* Unc. 12.
Sevi *Cervini* Unc. 4.
Terebinthin. venet. ſ. larigen. Unc. 2.
Omnia liquando & colando fiat *Emplaſtrum*, in *Capſulas* figuræ quadratæ, *Oleo Olivarum* antea oblitas, effundendi. *Piderit.*

VIS *maturans*, *ſuppurationem promovens.*

USUS ad *ulcera vulnera maturanda*, ab aëris injuriis *defendenda*, *digerenda*, ac ea cicatrice claudenda, ad *ſuppurationem* levem *ulceris promovendam* iis locis, ubi *veſicatoria* applicata fuerint, vel ſolum, vel cum unguento quodam e. g. *Digeſtivo ſimplici.* ſ. *Balſamo Arcaei.* Imponitur quoque *vulneribus levibus* ab illapſu ſordium tuendis.

OBSERVAT. Pharm. *Herbipolitan. Suecica, Roſſica,* & *Plenck*, *Spielmannus* ſuadent Pulver. *Curcumae* Drachm. 3. addendi colliquatis & colatis antea *Reſinae* Unc. 16. *Cerae Citrinae*, *Sevi Cervini* ana Unc. 10. *Terebinthinae* Unc. 3. ad tingendum colore *flavo.* Si *Aeruginis tritae* Drachm. 6. adduntur *Emplaſtrum* l. *Ceratum* tum *Viride* dicitur.

EMPLASTRVM AD CLAVOS & *Verrucas pedum.*

Rec. *Emplaſtr. Diachyli ſimplic.* Unc. dimid.
Picis navalis Unc. 1. colliquatis addantur
Pulverum *Galbani* Unc. 2.
Viridis Aeris Scrupul. 2.
Salis Ammoniaci Scrupul. 2.
Galbano in *Aceto* diſſoluto, & ad ſpiſſitudinem evaporato, addatur *Pix* & *Emplaſtrum Diachylon*, in fine *Sal Ammoniacum* & *Viride Aeris*, pul-

pulveriſata, fiat lege artis *Emplaſtrum.*

Ph. *Argentorat. Spielmann.*

VIS &

USUS e nomine patent; *anodynum* & *impedimentum* inceſſui adfert. *Succedaneum Emplaſtri Viridis.*

OBSERVAT. Pharm. *Herbipolitan.* ſuadet e *Galbani* in *Aceto ſoluti* & *denuo inſpiſſati* Unc. 1. *Picis naval.* Unc. dimid. *Emplaſtr. Diachyl. ſimplic.* Unc. 2. colliquatis addendi *Viridis Aeris triti*, *Salis Ammoniac.* ana Scrupul. 1. Miſcendi probe ad *Emplaſtrum.*

Plenck ſuadet *Cerae flavae*, *Gumm. Ammoniac.* ana Unc. 1. *Viridis Aeris* Drachm. 6. colliquatis cera & gummi addendi *Viride Aeris.*

Plenck uſum inprimis commendat ad *Clavos* pedum bene *emolliendos* & *ſeparandos*, per aliquot ſeptimanas forma trochiſci.

EMPLASTRVM COMMVNE.

ſ. *Diachylon ſimplex Anglorum.*

Rec. *Lithargyrii* pulveris. Unc. 24.

Olei Olivarum Unc. 36. coque leni igne in lebete metallico, ſub perpetua agitatione, addendo ſenſim

Aquae fontanae qu. ſuffic. in cujus Unciis 16. *Aluminis Crudi* Unc. 1. ſolutum fuerit.

Coque ad ſufficientem ſolutionem, & ſi maſſa digitis non ulterius adhæreat, ab aqua frigida inſtillata. *Piderit.*

VIS *diſcutiens*, *repellens*, *exſiccans.*

USUS ad *affluxum humorum copioſiorem* ab *ulceribus arcendum*; ad *ulcera inflammata*, *ambuſta*, *tumores calidos* quos digerit.

Cæterum ad Emplaſtra alia paranda inſervit.

OBS.

OBSERV. Pharm. *Suecica* & *Roſſica* ſuadent ex *Olei Olivar*. Unc. 72. *Lithargyrii* Unc. 36. coquendi leni igne, addita aqua, ut fiat Emplaſtrum. Si ad ſingulas Unc. 12. *Emplaſtri communis* additur *Reſinae albae* Unc. 2. acquiritur tum *Emplaſtrum adhaeſivum*.

Pharm. *Edinburg*. hoc *Emplaſtrum commune*, ſ. *univerſale*, ſ. *Diachylon ſimplex anglorum*, eodem modo ſuadet e *Lithargyrii* Unc. 60. *Olei Olivarum* Unc. 24. cum qu. ſuffic. *Aqu. commun*. coquendi donec *Oleum* & *Lithargyrus* coeant in *Emplaſtrum*.

Pharm. *Londinenſis* præſcribit hancce compoſitionem *Emplaſtri communis adhaeſivi*, ex *Emplaſtri communis* Unc. 36. *Reſinae flavae* Unc. 6. Emplaſtro communi leniſſimo igne liquato, reſinam in pulverem redactam, ut cito liqueſcat, injiciendi & probe miſcendi.

Spielmannus vero in Pharm. univerſ. deſcribit ad hancce methodum, *Emplaſtrum adhaeſivum Edinburgenſium*, ſ. *Polychreſtum Suecorum* alias dictum, Rec. *Emplaſtr. Diachyli* ſimplic. Unc. 12. *Picis Burgundic*. Unc. 6. colliqueſiant.

Aequat hoc *Emplaſtrum viribus Emplaſtr. ſtiptici*. *Plenck*.

EMPLASTRVM CONSOLIDANS.

Rec. *Lapid. Calaminar*. --- *Lithargyrii*,
Ceruſſae ana Unc. 6.
Gumm. Olibani, Unc. dimid. *Maſtich*. Unc. 1.
Olei Olivar. qu. ſuffic.
Miſce fiat Emplaſtrum. Ph. *Herbipolitan*.

VIS *conſolidans*, *exſiccans*.

USUS ad *conſolidanda vulnera* & *ulcera* perutile. *Plenck*.

Empla-

EMPLASTRVM DE CRVSTA PANIS

Auguſtanorum ſ. *Stomachicum.*

Rec. *Cerae Citrinae* Unc. 6. *Oleorum Maſtychis*, *Cydoniorum* - *Terebinthinae* ana Unc. 1. colliquatis addantur
Cruſtae panis valde fermentatæ, mediocriter toſtæ in pulverem tritæ, & aceto forti maceratæ. Unc. 2.
Pulverum *Tacamahacae* Unc. 1.
Maſtychis, --- *Caryophyllorum*,
Nucis Moſchatae, - Herbæ *Menthae* ana Unc. dimid.

eræ cum Terebinthina colliquatæ *Oleum* & reliqua commiſcendo, fiat *Emplaſtrum*, aſſervandum veſicæ incluſum.

VIS *tonica*, *roborans*, *ſtomachica*.

USUS in mala concoctione, *debilitate ventriculi*, ad *ſtomachum roborandum*, *inprimis infantibus* & in *vomitu puerorum*, regioni epigaſtricæ imponendi: ſicuti iis, qui cibum retinere nequeunt; imponitur umbilico &. in *diarrhoea*, *dyſenteria*. Ph. *Argentorat.* & *Spielmann.*

OBSERVAT. 1) Pharm. *Argentorateus*, ſuadet præparationem e *Maſtiches*, *Menthae* ana Unc. 1. Cruſtæ *Panis*, toſtæ & maceratæ in *Aceto* per horam dimidiam, Unc. 6. *Olei Cydoniorum*, de *Maſtiche*, *Terebinthinae* ana Unc. 4. *Cerae Citrinae* Unc. 16. Farinæ *Hordei* Unc. 12. fiat *Emplaſtrum*, *Oleis Ceram*, cum *Terebinthina* liquefactam, & cætera permiſcendo.

OBSERV. 2) *Spielmannus* communicat *Emplaſtrum* peculiare de *Cumino Londinenſium*. ſ. *Emplaſtr. ſtomachicum*. ſ. *e Baccis Lauri Suecorum.*

Rec. *Cerae Citrinae*, --- *Emplaſtri Diapalmae*, *Olei Olivarum* ana Unc. 6. colliquatis & ſemirefri-

refrigeratis addantur, Pulveris *Seminis Cumini* Unc. 6. Pulveris *Baccarum Lauri* Unc. 2. *Olei deſtillati Cumini* Drachma 1. Miſceantur probe & Emplaſtrum aſſervetur veſicæ incluſum.
VIS *carminativa*, *roborans*, *reſolvens*,
USUS ad *flatus diſcutiendos*, impoſitum umbilico, ad *tumores duriores reſolvendos*, inprimis *mammarum*: *tympaniticis*, *hyſtericis*. *Spielmann.*

EMPLASTRVM DEFENSIVUM RVBRVM.

Rec. *Lithargyrii* Unc. 36. *Olei Olivarum* Unc. 48.
Ad ſpiſſitudinem Emplaſtri fere coctis, addantur,
Cerae flavae Unc. 48. colliquatis demum addantur,
Terebinthin. venet. *Olibani* triti ana Unc. 48.
Colcotharis Vitrioli Unc. 72.
Miſce fiat *Emplaſtrum*. *Pleuck. Edinburg.*
VIS *roborans*, *diſcutiens*.
USUS ad *ulcera tegenda* & ab *aëre arcenda*.
Loco emplaſtri ad *fracturas*, *ad hernias*.
Emplaſtra raro vero *fracturae* aut *herniae* exigunt.
OBSERV. Pharm. *Danica* communicat *Emplaſtrum defenſivum viride*, e *Cerae Citrinae* Unc. 16. *Reſinae Pini* Unc. dimid. *Sevi hircini* Unc. 5. *Terebinthin.* venet. Unc. 2. colliquatis admiſcendi Herb. *Rutae* in pulverem redactæ Unc. 6. Ph. *Edinburg.* communicat *Emplaſtr. defenſivum* ſ. *roborans* ex *Emplaſtri commun.* Unc. 24. *Cerae flavae*, - *Reſinae albae* ana Unc. 3. *Colcotharis Vitrioli* Unc. 4. *Olei Olivarum* Unc. 2. Tere colcothar cum oleo, & cæteris leni igne liquefactis adjice. USUS ad *inflammationes*, *arcendas* in *vulneribus*, *ulceribus*; ad *partes roborandas*.

EMPLASTRVM DIACHYLON SIMPLEX.

Rec. *Olei Olivarum* Unc. 36.

Li-

Lithargyrii ſubtiliſſ. triti Unc. 24.
Debita cum cautela, & ad lenem ignem coctis adde
Mucilagin. Sem. *Foenugraeci* -- *Lini*, Rad. *Altheae* ana Unc. 12.
Oleum & *Lithargyrium* leni igne prius coquantur, perpetua agitatione ſemper Uncia 1. aut altera *Aquae fontanae* inſtillando, ad ſolutionem *Lithargyrii*, & *Emplaſtri albi*, ſubgriſei conſiſtentiam, addantur tum mucilagines, & continuata lenta coctione, ad juſtam Emplaſtri conſiſtentiam redigantur.

Ph. *Würtenb. Herbipolitan. Plenck.*

VIS *emolliens*, *reſolvens*, *digerens*, *diſcutiens*, *repellens*, *maturans*, *nimium affluxum imminuit humorum*, *inflammationes* impedit.

USUS ad *maturationem juvandam tumorum durorum*, ad *ſuppurationem tendentium*, & ad eos *emolliendos*, uti & ad *ulcera inflammata*, ad *recentia vulnera*, ad *tumores calidos diſcutiendos*.

Inter alia quoque *Emplaſtra glutinantia*, adhibentur.

Succedaneum Emplaſtri de *Lapide Calaminari.*

OBSERVAT. *Diachylon* e mucilaginibus baſin compoſitionis conſtituentibus vocatur. Proxime ad *Emplaſtrum adhaeſivum* accedit. *Londinenſes* mucilagines omittunt, quæ utique hic parum efficaces ſunt. *Emplaſtrum commune* parant; neque male quoque ſubſtituitur *Emplaſtro* de *Lapide Calaminari*, Pomphilus dicto. *Spielmann.*

EMPLASTRVM DIACHYLON,

Compoſitum cum *Gummi*, ſ. *Vigonis correctum*, ſ. *Diachylon* cum *Gummi*, ſ. *Emplaſtrum Gummoſum Suecorum.*

Rec.

Rec. *Emplaſtri Diachyli ſimplicis* Unc. 24.
Cerae flavae Unc. 4. colliquatis addantur,
Terebinthinae venetæ, Unc. 2.
Pulverum Gummi Ammoniaci, -- *Opopanacis*,
--- --- *Galbani* --- *Sagapeni* ana Unc. 1.

Semirefrigeratis immiſceantur,
Pulveris *Croci triti*, in *Spiritu Vini* macerati & diluti, Drachmæ 2.

Miſce fiat Emplaſtrum. *Spielmann.*

VIS *emolliens*, *digerens*, *maturans*, fortior quam ſimplicis

USUS ad *tumores* varios inprimis quoque *glandularum*, ad *abſceſſus* incipientes & in jam factis & ruptis reliquam duritiem *reſolvit*, ad *ſuppuurationem promovet*, & *emollit* egregie:
Cæterum valde *irritat*, & *dolores* inde enormes excitat.

OBSERV. Ph. *Würtenb.* ſuadet tantum compoſitionem hancce ſimplicem ex *Emplaſtr. Diachyli ſimplic.* Unc. 12. *Gumm. Ammoniaci*, *Galbani*, in *Aceto* ſolutor. ana Unc. 1. *Croci* pulveriſat. Drachm. 1. & dimid. tum probe miſcendi.
Ph. *Auſtriaca Sagapeni* Unc. dimid. addit 4. ſuperioribus ingredientibus, (qua ſuperflua,) Pulris *Radicis Ireos florentinae* Unc. 1. Reſinæ *Pini*. - *Cerae* ana Unc. 2. *Terebinthinae*, *Olei Chamomillae* infuſi ana Unc. 1. Gummi ſolvantur in ſufficiente quantitate *Aceti;* colata ſolutio coquatur ad mellis ſpiſſioris conſiſtentiam, & cum terebinthina in leni calore uniatur. Deinde ſimul fundantur reſina, cera, & oleum; atque in hiſce colatis, ſolvatur *Emplaſtrum;* tandem ſub continua agitatione immiſceatur gummi cum terebinthina ſolutio, demum addatur *Ireos pulvis*, ut his omnibus unitis fiat *Emplaſtrum.*

Pharm. *Londinenſis* ſuadet præparationem ex *Emplaſtri communis* Unc. 36. *Galbani colati* Unc. 8. *Terebinthinae communis*, *Thuris*, ana Unciis 3. Galbano, leni igne cum Terebinthina liquato, inſpergendi *Thuris* in pulverem redacti, dein Emplaſtrum commune, leniſſimo igne liquatum, his paulatim immiſcendi.

EMPLASTRVM DIAPALMÆ.

Rec. *Olei Palmae* Unc. 6.
Olei Olivarum Unc. 66.
Folior. *Quercus* tenellor. Unc. 1. & dimid.
coctis & colatis addantur
Lithargyrii tenuiſſime triti Unc. 36. ab igne
remotis addantur,
Vitrioli albi Unc. 48.
Miſce fiat Emplaſtrum. *Plenck.*

VIS *roborans, adſtringens.*

USUS ad *hernias*, *fracturas*, *articulationum relaxationes*; ad *ulcera* & *vulnera cicatriſanda*. *Plenck.*

Qua polychreſtum Emplaſtrum in quibusvis fere affectibus externis, *vulneribus* & *ulceribus*, *ambuſtis*, *oſſium fracturis* & *luxationibus*; uti & ad *cicatrices exſiccandas*, commendat Pharmac. *Argentoratens.*

OBSERV. Pharm. *Argentorat.* præſcribit e *Decocti* tenuiorum ramorum *Palmae*, l. uti moris eſt, *Quercus*, *Olei communis*, *Axungiae Suillae*; *Lithargyrii Aurei* ana Unc. 72. coquendis lege artis ad *Emplaſtrum.*

Pharm. *Leidenſis* ſuadet tantum: *Olei Olivarum*, *Lithargyrii Aurei* ana Unc. 36. coquendi cum qu. ſuffic. *Aquae purae.* Interea agitando addendi *Axung. Porci* Unc. 36. commiſcendi congrue ad *Emplaſtri formam.*

EMPLASTRVM DIAPHORETICVM.

Rec. *Cerae flavae* Unc. 12. *Colophonii*, *Terebinthinae clarae*, *Gummi Bdellii* ana Unc. 4.
Gummi Ammoniaci Unc. 2.
Galbani --- *Sandaracae* ana Unc. 1.
Succini citrini Unc. 3.
Thuris electi. *Maſtichis* ana Unc. dimid.

Cera cum colophonio liquetur, & coletur, his ſemirefrigeratis adde *Terebinthinam* cum *Galbano*, & *Gummi Ammoniaco*, liquatam, ultimo pulveriſata lege artis miſce & fiat Emplaſtrum.

VIS *rubeſaciens.*

USUS ad *dolores rhevmaticos* ſedandos; ad *tumores rhevmaticos* articulorum *reſolvendos* perutile, *Plenck.*

EMPLASTRVM DIAPOMPHOLYGOS.

Rec. *Cerae flavae* Unc. 12.
Olei Olivar. Unc. 6. colliquatis leni igne, admiſcendi
Plumbi uſti Unc. 6.
Ceruſſae tritae Unc. 4.
Pompholygos Unc. 3.
Olibani Unc. 1. & dimid.

Coquendi ſub continua agitatione ad conſiſtentiam Emplaſtri. Ph. *Suecica, Roſſica.*

VIS *refrigerans*, *exſiccans*, *dolores leniens.*

USUS in *lymphaticis ſtagnationibus* mali moris; *applicatur temporibus*, & *pone aures.*

OBSERV. 1) Semper recens paratum adhibendum eſt, ob enormem ejus duritiem qua vetuſtum. Cæterum efficit qua *Emplaſtr. Saturninum.*

OBSERV. 2) Ph. *Würtenb.* præſcribit *Olei Solani* Unc. 30. *Cerae albae* Unc. 30.
Ceruſſae Plumbi uſti ana Unc. 6. *Pompholygos*, *Oliba-*

Olibani ana Unc. 4. cum *Aquae Solani* Unc. 12. leni igne *Ceruſſa* & *Oleum* coquuntur, ad *Unguenti* ſpiſſioris conſiſtentiam, quo tum additur *Cera alba*, & ſi ſub perpetuo motu fere refrixerint, reliqua ſubtiliſſime trita admiſcentur.

OBSERV. 3) *Spielmannus* peculiare communicat *Emplaſtrum diapompholigos*, *Nicolai dictum*, hocce modo præparandi, ex *Olei Solani* Unc. 34. *Ceruſſae* Unc. 10. coquantur lege artis ad ſolutionem usque *Ceruſſae*, tunc addantur *Cerae* Unc. 34. colliquatis adjiciantur, *Plumbi uſti* Unc. 6. Pulverum *Pompholygos*, *Olibani* ana Unc. 4. Miſceantur agitando: VIM attribuit *refrigerantem*, *exſiccantem*, *diſcutientem*, *cicatricem inducentem*: USUM ad *ambuſta*, *ulcera*. Ad *Emplaſtr. anodynum* adhibetur hoc *Empl. diapompholig. Succedaneum Emplaſtri Saturnini.*

EMPLASTRVM DIASVLPHVRIS *Rulandi.*

Rec. *Cerae flavae* Unc. dimid.
Colophonii Drachm. 3. Liquatis & ab igne remotis adde
Balſami Sulphuris Rulandi Unc. 3.
Myrrhae ad pondus omnium.
Miſce fiat lege artis Emplaſtrum. *Piderit.*

VIS *detergens*, *reſolvens*, *exſiccans*, *conſolidans*, *mundificans*, *putredini reſiſtens.*

USUS ſi alia minus nauſeoſe olentia non efficiunt, ad *reſolvendos tumores*; ad *ulcera mundanda*, *ſolidanda* & *ſananda*, inprimis *inveterata*; ad *ulcera ſcrophuloſa* & *antiqua ſananda*, *Plenck.*
Ad *diſcutiendos tumores*; ad *ſtrumas*; ad *fiſtulas* in ductu ſalivali *Büchneri* obſervat.

OBSERVAT. 1) Pharm. *Würtenb.* ſuadet *Balſam. Sulphur. Rulandi Cerae Citrin. Colophon.* ana Unc.

Unc. 6. Pulver. *Myrrhae* Unc. 18. Miſcendi ad Emplaſtrum.

Spielmannus præſcribit *Balſam. Sulphur. Rulandi* Unc. 6. *Cerae Citrinae* Unc. 2. *Colophonii* Unc. 6. colliquatis addendi Pulveris *Myrrhae* Unc. 9.

Plenck ſuadet *Balſam. Sulphur. ſimplic. Cerae flavae* ana Unc. 8. *Colophonii* Unc. 6. colliquatis addendi *Myrrhae* pulveriſat. Unc. 18. Mixtis conficiendi Emplaſtrum.

Pharm. *Argentorat.* ſuadet e *Cerae Citrin.* Unc. 24. *Balſami Sulphur. Rulandi* Unc. 12. ſolutis leni igne addendi Pulver. *Colophon.* Unc. 18: *Myrrhae* Unc. 12. Miſcendi ad Emplaſtrum.

EMPLASTRVM AD DOLORES DENTIVM,

vide *Emplaſtrum Cephalicum.*

EMPLASTRVM EMOLLIENS,

vide *Emplaſtrum* de *Meliloto.*

EMPLASTRVM EPISPASTICVM,

vide *Emplaſtrum Veſicatorium.*

EMPLASTRVM FOETIDVM,

vide *Emplaſtrum Antihyſtericum.*

EMPLASTRVM DE GALBANO-CROCATVM.

Rec. Reſinæ *Galbani* Drachm. 6.
Terebinthin. larigen. ſ. venet. Unc. 1.
Liquefactis & per *pannum linteum* trajectis, admiſce
Cerae Citrinae Unc. 1. & tum ſub continuo motu liquatis, & intime mixtis, adde denique
Emplaſtr. de *Meliloto.* Unc. 6.

Croci

Croci auſtriaci pulveriſat. Drachm. 6. & cum *Spiritus Vini* Guttis quibusdam irroratis. Quo tum intime denuo mixtis, fiat lege artis *Emplaſtrum*. *Piderit.*

VIS *emolliens, maturans, reſolvens* valide, *anodyna.*

USUS ad *tumores duros ſcirrhoſos*, inprimis *mammarum* a *lacte coagulato*, vel *reſolvendos*, vel *emolliendos*, vel ad *ſuppurationem promovendos.* Ad *ſedandos mitigandos dolores* in *contuſionibus* & *ſubluxationibus* confert quoque ob *vim* ejus *anodynam*, ad *dolores* quoque *vehementes* & *lethales* partium, a *crudis humoribus*, a *flatu craſſo*, l. ab *alia cauſa ortos*. *Strumas* emollit, lenit, & diſcutit; in *ſingultu* & *convulſione, in hyſtericis* affectibus, laudat Ph. *Argent.*

OBSERVAT. Pharm. *Argentorat. Auſtriac. Plenck*, & *Spielmannus* præſcribunt, *Cerae Citrinae* Unc. 2. *Terebinthinae* Unc. 1. Pulveris *Gummi Galbani* in *Aceto* ſoluti & inſpiſſati, Unc. 6. *Emplaſtror.* de *Meliloto* - *Diachyl.* ſimplic. ana Unc. 3. colliquatis agitandi donec pene refriguerint, tum addendi Pulver. *Croci* Drachm. 6. agitationem tum continuandi, ad congruam ſpiſſitudinem *Emplaſtri.*

Pharm. *Würtenb.* vero ſuadet *Gummi Galbani*, in *Aceto* ſoluti, *Emplaſtr.* de *Meliloto*, *Diachyli* ſimplic. ana Unc. 3. *Cerae*, *Terebinthin.* ana Unc. 1. *Croci Oriental.* pulveriſat. Drachm. 6. Miſcendi ad Emplaſtrum.

EMPLASTRVM GRYSEVM,

ſ. e *Calaminari Lapide.*

Rec. *Olei Olivar.* Unc. 16.
Lithargyrii triti Unc. 6.

Spathula continue movendi, & aquam ferventem ſubinde inſtillandi, coquendi leniter ad

 inti-

intimam mixtionem; tum per vices ſubido addendi

Calaminaris lapidis præparati pulveriſ. Unc. 24.
Cerae flavae Unc. 5.
Sevi Bubuli ſ, *Cervini curati*,
Terebinthinae commun. ana Unc. 1. & dimid.

Pharm. *Suecica*.

VIS *roborans*, *exſiccans*, *conſolidans*.

USUS ad *ulcera*, *vulnera explenda*, *ſiccanda*, *cicatriſanda*.

OBSERVAT. *Plenck* ſuadet compoſitionem ex *Olei Olivarum* Unc. 18. *Lapid. Calaminar.* Unc. 24. *Lithargyrii* Unc. 6. debitis cautelis ſimul concoquendi.

Pharm. *Argentorat.* compoſitio magis eſt compoſita, e *Lapid. Calaminar.* præparat. Unc. 1. *Lithargyrii*, Unc. 2. *Terebinthin.* Unc. 1. & dimid. *Cerae* Unc. 3. *Sevi Cervini* Unc. 4. *Thur.* elect. *Maſtich.* ana Unc. dimid. *Myrrh.* Drachm. 2. *Camphor.* Drachm. 1. & dimid. conficiendi lege artis *Sevo*, *Terebinthina* & *Cera* liquatis, poſt refrigerationem aliqualem, reliquorum pulverum immiſcendo, emplaſtrum.

EMPLASTRVM GVMMOSVM.

Rec. Reſinæ *Galbani* --- *Gummi Ammoniaci* ana Unc. 1.
Terebinthin. elect. Unc. 4. Lento igne liquefactis, & per linteum pannum trajectis, admiſceantur ſub perpetua agitatione,
Emplaſtri communis ſeparatim liquefacti Unc. 12. ita ut fiat lege artis *Emplaſtrum*.

VIS *emolliens*, *digerens*, *maturans*, *reſolvens*, *diſcutiens*.

VSVS

USUS ad *abſceſſus* incipientis, uti & jam præſentis & rupti *duritiem reſolvendam*, & egregie *emolliendam*; ad *glandularum tumores reſolvendos*. Cæterum *valide* quoque *irritat*, & ſenſilibus *dolores* haud exiguos *excitat*.

OBSERVAT. Pharm. *Edinburg.* ſuadet præparationem ex *Emplaſtr. commun.* Unc. 24. *Gummi Ammoniac.* colati, *Galbani* colati, *Cerae flavae* ana Unc. 3. Liqueſcant ſimul leni igne & bene miſceantur ut fiat Emplaſtrum.

Ph. *Suecica* & *Roſſica* ex *Emplaſtr. commun.* Unc. 60. *Cerae flavae* Unc. 6. ſupra lenem ignem liquatis & inde remotis ſenſim admiſcendi *Gummi Ammoniaci*, *Galbani*, *Terebinthin.* ana Unc. 6.

EMPLASTRVM DE HYOSCIAMO, *Ludovici.*

Rec. *Olei* expreſſi e Seminibus *Hyoſciami*, Unc. 6.
Succi e Herba *Hyoſciami*, Unc. 12. coquantur ad conſumtionem humiditatis, addantur
Cerae flavae Unc. 14. *Terebinthin.* Unc. 2.
Liquatis & paulo refrigeratis admiſceantur demum.
Pulveris Herbæ *Hyoſciami* Unc. 2.
Ph. *Würtenb. Argentorat. Spielmann.*

VIS inſigniter *reſolvens*, *diſcutiens*, *anodyna*, *narcotica.*

USUS ad *dolores rhevmaticos*, *tumores glandularum* & *viſcerum*, *Spielmann*; in *hydrocele Ludovici*; ad *perniones*, *clavos pedum*, *haemorrhoides coecas Trillerus*; ad *tumores induratos reſolvendos*, *dolores mitigandos haemorrhoidum*, *pernionum*, *clavorum* in *pede*, & *rhevmatismum ſanandum*. *Succedaneum Emplaſtri Cicutae.*

OBSERV. *Nocet* in *inflammat. glandularum*, uti quodvis Emplaſtrum.

A *Ludovico* præfertur *reſolventibus* & *ſpleneticis*, imo ipſi *Emplaſtro de Cicuta.*

EMPLASTRVM ISCHIADICVM DANORVM.

Rec. *Reſinae albae* Unc. 4.
Terebinthin. Drachm. 6. colliquatis addantur,
Pulveris *Euphorbii* Drachm. 1. & dimid.
Pharm. *Guy.*

VIS *diſcutiens*, *reſolvens*, *anodyna*,

USUS in *malo iſchiadico*, parti affectæ dolenti impoſitum, uti in *rhevmatiſmo.*

OBSERV. Pharm. *Würtenb.* compoſitio eſtnimis compoſita, nec magis hinc efficiens.

Plenck ſuadet *Picis* burgundic. Unc. 4. *Euphorbii* triti Drachm. 1. & dimid. *Terebinthin.* venet. Drachm. 6. colliquando miſcendi in Emplaſtrum. Qua Emplaſtro *rubefaciente*, & ſubinde *epiſpaſtico*, *rhevmatiſmum*, *lumbaginem* & *malum iſchiadicum* fortunato curavit *Plenck.*

Pharm. *Argentorat.* ſuadet e *Gummi Ammoniac.* Unc. dimid. *Gumm. Galbani* Unc. 1. & dimid. *Maſtich.* Unc. 1. *Tacamahac.* Drachm. 6. *Carannae* Unc. dimid. *Reſin. Pini* Unc. 12. miſcendi ad Emplaſtrum.

EMPLASTRVM DE LABDANO,

vide *Emplaſtrum Stomachicum.*

EMPLASTRVM AD LVPIAM,

Viennenſium.

Rec. *Reſinae* Unc. 4. *Terebinthinae* Unc. 2.
Gummi Galbani Unc. 1. colliquatis commiſceantur,
Farinae Frumenti,
Pulverum *Gallarum turcicarum*, *Viridis Aeris* ana Unc. 1.
Miſceantur probe. *Spielmann.*

VIS

VIS *reſolvens*,

USUS *craſſe illinitum linteo*, & *ſingulo octiduo renovatum*, hoc *Emplaſtrum*, *Lupias* in *Genu* eo curavit *Plenck*.

OBSERVAT. *Plenck.* præſcribit *Gallar.* turcicar. *Gummi Galbani*, *Aceto* ſoluti, *Virid. Aeris*, *Farinae frumenti* ana Unc. 1. *Reſinae* Unc. 4. *Terebinthin.* clar. Unc. 2. Miſce fiat Emplaſtrum.

EMPLASTRVM MAMMILLARE,

vide *Emplaſtrum* de *Spermate Ceti*.

EMPLASTRVM DE MELILOTO.

ſ. *Attrahens correctum*.

Rec. *Emplaſtr. Citrini* Unc. 6. leni igne liquefactis adde

Pulver. Herbæ & Flores *Meliloti* Unc. 5.
Radic. *Altheae* Unc. 2. intime mixtis, addatur perpetuo ſub motu, ſeparatim antea leni igne ſolutis & colatis
Gummi Ammoniaci Unc. 1.
Terebinthin. venet. ſ. larigen. Unc. 2.

Quibus dein formetur lege artis *Emplaſtrum* congruæ conſiſtentiæ. *Piderit.*

VIS eximie ſed leniter *reſolvens*, *emolliens*.

USUS ad *incipientes tumores glandularum obturatos*, ad *mammas induratas* in *lactatione*, & *ablactatione*; ad omnes *tumores reſolvendos*, & non reſolvendos bene *emolliendos*; ad *inflammationes* & *tumores tonſillarum* & *parotidum*, *maxillarum*, *glandularum*, ad *tumores ſeroſos*, inprimis *camphora*, *mixtum reſolvendos*,

Ad *reſolvendos inguinis tumores*, & ipſos *teſticulos* recentes *ſcirrhoſos*, cum *Emplaſtro* præcipue de *Cicuta*, & vel *Oleo Tartari*, vel *Cornu Cervi foetido* commixto.

OBSERVAT. *Spielmannus* præſcriptionem hancce ſimplicem *Pariſinam* communicat, Rec. Florum *Meliloti*, Unc. 12. *Sevi bovini* Unc. 16. coquantur ad conſumtionem humiditatis, colatis addantur, *Reſinae albae* Unc. 24. *Cerae* Unc. 12. colliquefiant.

Pharm. *Roſſica* vero e Herbæ floridæ *Meliloti*, Unc. 5. Flor. *Chamomill.* vulgar. Unc. 1. & dimid. Baccar. *Lauri* Unc. dimid. Semin. *Cumini*, Gumm. *Ammoniac.* ana Unc. 1. In pulverem redacta immiſcendi *Emplaſtri Citrini* leni calore liquati Unc. 36.

Pharm. *Argentorat.* & *Würtenb.* præſcriptio nimis compoſita eſt, ſuperfluis variis conſtat remediis.

Plenck & Pharm. *Danica* ſuadet conficiendi e *Sevi Cervini* Unc. 45. *Olei Chamomill.* cocti Unc. 24. *Reſinae albae* Unc. 72. *Cerae flavae* Unc. 36. *Gummi Ammoniaci*, *Bdellii* ana Unc. 4. Pulver. Herbæ & Florum *Meliloti* Unc. 24. *Abſynth.* Unc. 12. coquantur & commiſceantur debito ordine; commendat *Plenck* qua *reſolvens*, ſed ob reſinam ſimul *irritans*.

EMPLASTRVM MERCVRIALE.

Rec. *Emplaſtr. commun.* Unc. 12. Liquefacto, ab igne remoto & paululum refrigerato, ſub perpetuo motu admiſce
Mercurii Vivi depurat. Unc. 3. cum
Terebinthin. venet. Unc. 3. antea intime mixtis in mortario lapideo, usque dum *nulli Globuli Mercuriales* amplius *appareant*.
Quo tum fiat *Emplaſtrum*. *Piderit.*

VIS potentiſſime *reſolvens*, *diſcutiens*.

USUS ad *tumores induratos*, inprimis *ſcirrhoſos*, *venereos*, *bubones*, *tophos*, *gummata* & ipſa *ganglia*

glia reſolvenda, diſcutienda.

Ad *dolores oſteocopos*, a cauſa venerea ortos, *mitigandos;* ad *haemicranias* & *cephalaeas inveteratas.*

Plenck commendat ad *ulcera venerea, tumores* & *tophos venereos reſolvendos.*

OBSERVAT. *Diuturnus Emplaſtri* hujus uſus in *ſanguinis maſſam* valide *agens*, *ſalivationem* valde *promovet*, *interpoſitis* & *reiteratis purgantibus* facile vero *praecavendam.*

Cæterum convenit cum *Emplaſtro* de *Ranis* çum *Mercurio*, & breviori manu paratur.

OBSERV. 1) Pharm. *Edinburg.* ſuadet *Hydrargyri* Unc. 8. *Terebinthin. venet.* Unc. 2. & dimid. *Emplaſtri commun.* Unc. 6. terendi in mortario Mercurium cum Terebinthina ad plenariam evaneſcentiam, tum emplaſtro leni calore liquefacto accurate miſcendi.

Ph. *Würtenb.* vero præſcribit ex *Emplaſtr. Diachyli ſimplic.* Unc. 12. *Gummi Ammoniac.* Unc. 6. *Mercurii Vivi* Unc. 8. *Terebinthin.* Unc. 1. *Styrac. liquid.* Unc. dimid. miſcendi ad emplaſtrum.

Plenck ſuadet tantum *Emplaſtri diachyli ſimplic.* Unc. 24. *Hydrargyri* terebinthina exſtincti Unc. 1. & dimid. Miſceantur.

Cæterum *Mercurius* cum *Gummi arabico* probe commiſcendum & tum aliis emplaſtris.

OBSERV. 2) *Succedaneum* melius *Emplaſtr.* de Ranis cum *Mercurio* teſte *Spielmanno.*

EMPLATSRVM SEU CERATUM DE MINIO ſ. *Triapharmacum Meſue.*

Rec. *Minii* Unc. 24. *Olei Roſacei* Unc. 20.
Cerae Citrinae Unc. 24.
Terebinthin. clar. Unc. 2.

Miſce fiat *Emplaſtrum.* *Plenck.*

VIS

VIS *diſcutiens*, *repellens*, *exſiccans*.

USUS ad *vulnera unienda*, *tegenda*, aërem arcendum; ad *diſſipandas inflammationes*; uti & *fi acturis* & *ambuſtis* imponitur, nec non *rhevmatismis*. Ad partes *inflammatas*, *ambuſtas*, & e veſicatorio applicato *ſuppurantes* & *dolentes demulcendas*, *leniendas* & *conſolidandas*.

Ad *ambuſta* inſervit in primodie unguentum ex *Albumine ovi* cum *Alumin.* Drachm. 1. & *Olei Lini* Drachm. 2-3. intime mixto, tum ſequentibus diebus *Emplaſtr.* de *Minio*.

OBSERVAT. *Spielmannus* hancce ſuadet compoſitionem e *Minii* Unc. 12. *Olei Roſarum* Unc. 24. coquantur lege artis ad diſſolutionem *Minii*, cui addantur *Cerae* Unc. 3. colliquatis & ſemirefrigeratis commiſceantur *Camphorae*, cum pauco *Oleo* tritæ, Drachm. 2.

Ph. *Würtenb.* præſcribit *Cerae citrin. Sevi cervini*, *Olei roſarum*, ana Unc. 6. cera & Sevo liquatis & fere refrigeratis adde *Minii rubri* cum *Oleo roſato* optime triti, Unc. 6. *Camphorae* Drachm. 1. & dimid. Miſce ad *Emplaſtri* mollis conſiſtentiam.

Ph. *Londinenſ.* ſuadet ex *Olei Olivarum* Unc. 48. *Minii* ſubtiliter triti Unc. 30. Miſcendum probe, & parandum uti *Emplaſtr.* commune, quod plus vero Aquæ requiritur, & majori cautione opus eſt, ne aduſtione *nigreſcat*.

OBSERV. *Succedaneum Emplaſtri Norici commun.*

EMPLASTRVM MIRACVLOSVM,

vide *Emplaſtrum Saponatum Barbette*.

EMPLASTRVM NORICVM.

Rec. *Olei Olivarum* Unc. 36. *Minii* Unc. 18. *Aceti* Unc. 9.

Coquan-

Coquantur ad juſtam Emplaſtri fuſceſcentis conſiſtentiam, in quo ſolve.

Cerae Citrinae Unc. 3. Semirefrigerato admiſce

Camphorae cum *Oleo Amygdalino* liquatæ Unc. 1. & dimid.

& ſerva uſui. Ph. *Auſtriaca.*

VIS *exſiccans*, *conſolidans*, *roborans*, fortiter *repellens*, *adſtringens*, *reſolvens*; ad *cicatricem* perducit.

USUS ad *ulcera exſiccanda*, *nervoſas* partes *roborandas*; *inflammationes repellendas*, *mitigandas.*

OBSERV. Pharm. *Würtenb.* hancce ſuppeditat, compoſitionem ex *Olei Roſati* Unc. 12. *Minii rubri* Unc. 8. *Aceti Vini* Unc. 4. coquendi ad Emplaſtri, brunei coloris & mollioris conſiſtentiam, addendi tum *Cerae Citrinae* Unc. 1. & dimid. *Camphorae* Drachm. 2. Miſcendi probe & effundendi in ſcatulas.

EMPLASTRVM NIGRVM BECHOLZI.

Rec. *Cinerum Clavellatorum* Unc. 12.
Salis Ammoniaci depur. Unc. 3.
Spiritus Terebinthinae Unc. 24.

Mixta digere per 4. ſeptimanas, liquori digeſto adde

Flores Sulphur. Unc. 2.

Digere de novo per menſem, cui dein adde

Gummi Ammoniac. in *Aceto Squillit. depurati,*
--- *Galbani*, --- --- --- ---
Bdellii, --- --- --- ---
Sagapeni, --- --- --- ---
ana Unc. 2. & dimid.

Colophonii Unc. 12. *Myrrhae optim. pur.*
Terebinthin. ana Unc. 2.

Coque ad conſiſtent. Emplaſtr., cui ſub *finem* addè,

Cam-

Camphorae in *Spiritu Vini* rectific. ſolut. Unc. 1. & dimid. *Spielmann.*

VIS *diſcutiens*, *reſolvens*, *antiſeptica.*

USUS partibus *gangraenoſis*, in *ſphacelum properantibus* imponitur. *Mortuae* ſeparationem a viva parte feliciſſime inde ſecundari aſſeverant. Ad *carcinomata ſpuria mammarum* curanda a *Schmuckero* laudatur.

OBSERV. 1) *Mumiae* Unc. 2. in *Plenckiana* præſcriptione qua ſuperfluæ omiſimus.

OBSERV. 2) *Spielmannus* hancce (magis quidem compoſitam,) compoſitionem, communicat, *Ciner. Clavellat.* Unc. 4. *Sal. Ammoniac.* Unc. 1. *Olei Terebinthin.* Unc. 8. Digerantur per menſem in cucurbita, dein addantur, *Cerae flavae* Unc. 12. tunc addantur *Flor Sulphuris* Drachm. 6. digerantur denuo per menſem, *Colophonii* Unc. 4. *Terebinthin.* Drachm. 6. Pulverum Gummi *Ammoniac. Bdellii*, *Galbani*, *Sagapeni*, ana Drachm. 7. *Myrrhae, Olibani,* ana Drachm. 6. colliquatis & ſemirefrigeretis addantur tandem. *Camphorae*, parum *Olei* ſolutæ Unc. dimid.

EMPLASTRVM ODONTALGICVM.

Rec. Gummi *Tacamahac.* --- *Elemi*,
Maſtiches elect. ana Unc. 1.
Opii Drachm. 2. omnia probe trita excipiantur
Terebinthinae claræ venetæ Drachm. 2.
Miſce probe ad Emplaſtri ritam conſiſtentiam.

VIS *repellens.*

USUS ad *dolores dentium*, *cephalalgiam*, *defluxiones catarrhales.*

Spatula calefacta ſuper ſericum extenditur, & *temporibus* applicatur.

OBSERV. *Maſtiches Gummi* in aqua calida ſolutum idem efficit ac *Emplaſtr. odontalgicum*, puſtulas effici-

efficiens, & cruſtam, & revulſionem quo dolor dentium ceſſat & cephalalgia.
Sic inſerviunt *Citri fructus* ad radios ſciſſi, ad tempora impoſiti.

EMPLASTRVM OPIATVM.

Rec. *Emplaſtr.* de *Hyoſciamo* Unc. 3.
Opii Scrupul. 2.
Miſce fiat Emplaſtrum.

VIS & USUS idem uti *Empl.* de *Labdano* teſte *Plenck.*

EMPLASTRVM OXYCROCEVM.

Rec. *Cerae flavae. Reſinae pini.*
Colophoniae ana Unc. 12. colliquatis & colatis addantur
Terebinthinae ana Unc. 4-6.
Gummi Galbani, *Gummi Ammoniaci*,
Myrrhae, *Olibani*, *Maſtiches* ana Unc. 4.
Pulveris *Croci* Unc. 1.

Cera, *Pix* & *Colophonium* invicem liquatis & colatis, hisque ab igne remotis & ſemirefrigeratis *Terebinthina* immiſcetur, tum reliqua pulveriſata commiſcentur ad Emplaſtri formam.

VIS *reſolvens*, *paregorica.*

USUS ad *fracturas*, *luxationes*, *contuſiones*, ad *dolores nervorum* & *abſceſſuum inveteratorum duritiem emolliendam*, ad *fiſſuras oſſium* commendatur, ſed raro hi morbi *Emplaſtra*, melius *Spiritus* exigunt; etſi contuſionibus & contorſionibus chirurgorum aſylum. *Plenck.*

OBSERV. *Plenck.* ſuadet compoſitionem e *Colophon. Cer. flav.* ana Unc. 12. *Gumm. Galban.* Unc. 6. *Pic.* liquid. Unc. 3. *Croci* triti Unc. 2. debito ordine colliqueſcendi & commiſcendi.

Empla-

EMPLASTRVM DE RANIS CVM MERCVRIO.

vide *Emplaſtrum mercuriale.*

EMPLASTRVM PICEVM.

Rec. *Reſin. albae* Unc. 6. *Picis navalis* Unc. 7.
Cerae flav. Vnc. 5.
Miſcendi ad Emplaſtri conſiſtentiam.
VIS *maturans*, fortiter *ſuppurans*.
USUS ad *tumores* in *exulcerationes vergentes.*

EMPLASTRVM RESOLVENS
Schmuckeri.

Rec. *Gummi Ammoniac.* Unc. 36.
Aſae foetid. Unc. 12.
Sapon. venet. Unc. 6. Solve in
Spiritus Vini qu. ſuffic.
Inſpiſſetur leniter ad conſiſtentiam Emplaſtri.
VIS *reſolvens*, *diſcutiens.*
VSVS in *obſtructionibus*, *tumoribus* a *ſpasmis*: in *anchyloſi* ab externa cauſa.
Si nulla *inflammatio* loco *ſaponis*, mel confert ad *eximiam reſolutionem. Selle.*
In *tumoribus*, *infarctibus viſcerum*, *ad ſcirrhum inclinantibus*, *Schmucker.*

EMPLASTRVM RVBEFACIENS,
ſtimulans, *derivans.*

Rec. Succi *Ceparum*, *Fermenti panis acerrimi* ana quant. plac.
fiat in Mortario lapideo Paſta: extendatur ſuper alutam. *Mellin.*
VIS & USUS e nomine patent.
OBSERVAT. Ph. *Herbipolitan.* ſuadent e *Pic. Burgundic.* Unc. 4. *Euphorbii* triti Drachm. 1. & dimid. *Terebinthin.* venet. Drachm. 6. colliquando miſcendi in Emplaſtrum.

EMPLASTRVM SAPONIS,

ſ. *Saponatum Barbette*, ſ. *Tachenii*, ſ. *Saturninum Digby*. ſ. *Miraculoſum, polychreſtum Hoffmanni.*

Rec. *Emplaſtr. commun.* Unc. 6. Liquefacto leni igne, ſub perpetuo motu ſenſim admiſce *Saponis veneti exſiccati & pulverati* Unc. 4. *Camphorae*, Unc. dimid. in *Oleo Olivar.* ſolut. Quo dein maſſa hæc effundenda eſt in capſulas chartaceas formæ quadratæ. *Piderit.*

VIS *reſolvens*, *emolliens.*

USUS ad *ulcera* l. *vulnera tegenda*; ad *tumores frigidos induratos reſolvendos*; & *ictericis*, ubi *durities* ſub *hypochondriis* ſentitur; ad *mammarum tumores lacteos*, & *contuſiones reſolvendas*: ad *materiam inſpiſſatam emolliendam*, ad *dolores leniendos rhevmaticos*, *arthriticos*, *podagricos*, *ſpaſticos*, ſed caute, ad *ſcirrhos.*

Infantum abdomini impoſitum, alternatim omnibus 8. horis *alvum* e fecibus duris obſtinatam *ſolvit & reſerat.*

Pharm. *Argentoratenſis* ſuadet umbilico impoſitum, ad *uterum roborandum*, & *menſes ciendos*; ad *ambuſta* & *perniones.*

OBSERV. 1) Ob tam facilem *materiae morboſae* retropulſionem & inde metuendas noxas, cum non tam exoptato effectu *arthriticis*, *podagricis* & *rhevmaticis* ſemper ad *dolores* eorum *ſopiendos* & *leniendos* poteſt imponi.

OBSERV. 2) Cæterum *non* ultra 12. horas, *in uno eodemque loco* relinquendum eſt hoc *Emplaſtrum*, ſed ab eo *removendum*, *inſenſibilibus inprimis* & *tenerioribus*, ne cuticulam dolore cum multo elevet.

OBSERV. 3) Ratione *virium* convenit hoc *Emplaſtrum Saponatum* cum *Emplaſtr. Miraculoſo*, e *Ceruſſae* Unc. 24. *Lithargyrii*, *Minii* ana Unc. 6. ſubtiliſſime tritis, addendi, *Olei Olivarum* Unc. 36. coquendi leniſſimo igne, addendi tum *Saponis veneti* raſi Unc. 4. Solutis, & ad Emplaſtri paulo durioris conſiſtentiam coctis, admiſcendi *Camphorae* Unc. 1. *Baccarum Lauri*, ſubtiliſſime tritarum Unc. dimid. quod cæterum commendatur ad *ulcera antiqua*, & *vulnera* noviter inflicta.

OBSERV. 4) Pharm. *Auſtriaca* hancce ſuadet compoſitionem, ex *Olei Olivar.* Unc. 24. *Minii* Unc. 16. coquendis, per vices inſtillando paucam *Aceti* portionem, ad juſtam *Emplaſtri albidi* conſiſtentiam, cui adhuc calenti admiſcendi ſunt *Saponis albi* raſi Unc. 8. Agitandis ſtrenue calore leni ad ſaponis perfectam cum emplaſtro unionem, tandem ſemirefrigeratis admiſcendi *Camphorae* Unc. 1. & ſervandi uſui.

Spielmannus hancce commodam ſuadet compoſitionem, ex *Olei Roſarum* Unc. 12. *Minii*, *Ceruſſae* ana Unc. 6. coquendis, ſub perpetuo motu addendi aliquot Unciarum *Aquae fontanae*, ad ſolutionem *Ceruſſae* & *Minii promovendam*, & *aduſtionem Emplaſtri praecavendam*, in *emplaſtri mollioris* conſiſtentiam, quibus addantur *Saponis veneti* raſi Unc. 4. quibus ſolutis ab igne removeantur, & agitandis usque dum pene refriguerint, & addendis tum *Camphorae*, paululo *Olei* diſſolutæ ſ. *Spiritu Vini* Unc. dimid.

Ph. *Suecica* ſuadet tantum *Emplaſtr. commun.* Unc. 6. *Saponis veneti* Unc. 2. ſimul liqueſcendi.

Plenck vero hancce compoſitionem ſuppeditat

ex

ex *Olei Olivarum* Unc. 36. *Minii* Unc. 18. *Succi Raparum* Unc. 24. coquendi ad juſtam conſiſtentiam, dein addendi *Saponis veneti* Vnc. 6. *Camphor.* Vnc. 1. & dimid. Miſcendi ad Emplaſtrum.

EMPLASTRVM SATVRNINVM.

Goulardi.

Rec. *Olei Olivarum* Unc. 6.
Sevi Ovilli --- *Cerae citrinae* ana Unc. 12.
Leni igne liquatis, & paululum refrigeratis, continua ſub agitatione adde
Extracti Saturni Vnc. 6.

Quo fiat *Emplaſtrum molle.*

VIS *diſcutiens.*

USUS ad *inflammationes diſcutiendas*, *defendendas ab ulceratione* & *gangraena*; ad *affluxum humorum* ab *ulceribus arcendum*; ad *ulcera exſiccanda* & *roboranda.* *Piderit.*
Inungitur alutæ, qua *membra rhevmatica involvuntur.* *Spielmann.*

OBSERV. *Spielmannus* ita præſcribit, *Cerae Citrinae* Unc. 9. *Olei Olivarum* Unc. 8. liquatis imiſcendi Extract. *Saturni* Unc. dimid. *Camphorae* Grana 10.

OBSERV. Ob *vim Saturninorum* remediorum *potenter repellentem*, in uſu eorum probe obſervandum eſt, & tum quoque, ubi *retrogreſſio materiae peccantis* ad *interiora metuenda* eſt, *caute* adhibenda eſſe *ſaturnina*, vel multo magis iſta tum plane fugienda ſunt.

EMPLASTR. SATVRNINVM ORDINARIVM,

ſeu ad *Rupturas*, vide *Emplaſtrum Diapalmae.*

EMPLASTRVM DE SPERMATE CETI,

Mynſichti, ſ. *Mammillare.* ſ. *Emplaſtrum filii Zachariae.*

Rec. *Spermatis Ceti* recentis Unc. 1.
Cerae albae Unc. 2.
Olei Olivarum Unc. 5.
Leni igne liquatis fiat Emplaſtrum.

VIS *emolliens*, *reſolvens*, *diſcutiens*.

USUS ad *mammarum tumores*, *contuſiones*, *ſugillationes*, *indurationes*; ad *Mynſichtum* præcipue, *mammis puerperarum* poſt partum non lactantium, l. etiam ablactantium, impoſitum, per dies aliquot, optime *lac coagulatum*. ſ. *concretum* ſolvit, reſolvit, ejusque copiam abſumit. ſi caute & non diu per 6 - 8. tantum dies applicatum, omni die recenter impoſitum, omnibus e *lacte doloribus* & *tumoribus glandularum* optato cum effectu opponitur: ubi dein Empl. *Cicutae* imponendum eſt, magis tum efficiens. Confert eximie quoque ad *ſugillata*, *contuſa*, & *oedemata*, ubi utili quoque modo *Sale volatili Cornu Cervi*, *Croco* vel *Camphora* maritatur. *Piderit.*

OBSERV. 1) Ad *duriores mammarum tumores* præferenda ſemper ſunt remedia *reſolventia*, in *cataplaſmatis* formam redacta, inprimis in combinato eorum ſtatu inflammatorio.

In *affectibus mammarum* ſæpe multum nocent *Emplaſtra* incaute applicata; inprimis in *mammis laxis*, & *debilibus*, magis *cachecticis* conferunt; in *coagulato lacte* conferunt magis *Epithemata ſaponacea*.

OBSERVAT. 2) Pharm. *Herbipolitan.* & *Leidenſis* hancce compoſit. communicat, e *Cerae albae* Unc. 4. *Spermatis Ceti* Unc. 2. *Galban.* depur. *Terebinthin.* ana Unc. 1. colliquando miſcendi; ſi

Empla-

Emplaſtri hujus Unc. 6. adduntur *Camphor.* Drachm. 6. acquiritur tum *Emplaſtrum Camphoratum.*

Pharm. *Auſtriaca* qua ſuperfluum addendum ſuadet Sebum *Cervinum* & *Adipem anſerinam.*

Pharm. *Würtenb.* præparationem exhibet, e *Cerae albae* Unc. 4. *Spermatis ceti* Unc. 2. *Olei Amygdalarum dulcium*, *Gummi Galbani* ana Unc. dimid. *Terebinthinae clarae* Unc. dimid. cum *Cera* liquata commiſcendi *Oleum*, tum *Terebinthinam*, *Spermaceti*, & Gummi *Galbanum* tritum, ad Emplaſtri conſiſtentiam congruam.

OBSERV. 3) Ph. *Würt.* peculiarem quoque compoſitionem ſuppeditat *Emplaſtri Mammillaris* dicti, aliquid *fortius* quam ordinar. *Emplaſtr. Spermatis Ceti*, e *Spermatis Ceti* Unc. 2. *Emplaſtri* de *Spermate Ranarum* Unc. 1. & dimid. *Olei Chamomillae cocti* Drachm. 6. fundendi leni igne, addendi Pulver. *Semin. Carvi* Unc. 1. *Olei deſtillati Carvi*, Drachm. 2. *Camphor.* Drachm. 1. Miſcendi ad Emplaſtrum. Quod commendatur ad *tenſiones mammarum doloroſas*, a *lactis abundantia*, *mitigandas*; *coagulationem lactis impediendam*, & *coagulatum reſolvendum.*

EMPLASTR. DE SPERMATE RANARVM, *Noricum* correctum.

Rec. *Olei Spermatis Ranarum* Unc. 60.
Ceruſſae Unc. 80. coquantur perpetuo motu, lege artis, aquam ipſis affundendo, in qua diſſoluta ſint,
Aluminis Unc. 6. ubi ad conſiſtentiam Emplaſtri coagulaverint, removeantur ab igne & ſemirefrigeratis commiſceantur
Camphorae, paulo *Olei ſolutae*, Unc. 2.

VIS *diſcutiens*, *refrigerans*, *exſiccans*, *leniter adſtringens*, *moderans ſuppurationes*, ſine *dolore*. Cæterum convenit cum *Emplaſtro albo cocto*. ſ. de *Ceruſſa*.

USUS *ad diſcutiendas inflammationes*, ſine metuenda ſuppuratione, ſi laxe tantum applicatur; ad *ulcera ſordida antiqua mundificanda*, & *curanda*, ad *inflammationes* & *dolores* arcendos: ad *loca inflammata* a *veſicatoriis orta exſiccanda*, *mitiganda*.

OBSERVAT. 1) *Succedaneum Emplaſtri albi cocti*, ſ. *Ceruſſae* in quo, uti in hoc, *Ceruſſa* maximum, eſt efficiens, *Oleum* enim *Spermatis* eſt ſuperfluum. *Convenit* multum quoque cum *Empl. Norico* & de *Minio*.

OBSERV. 1) Pharm. *Würtenb.* præſcriptionem communicat, ex *Olei Spermatis Ranarum*, *Ceruſſae* tritæ ana Unc. 60. coquendi perpetuo motu, leni igne, ſemper aliquid *Aquae fontanae* & *Aceti deſtillati* addendi, tam ob aduſtionem præcavendam, quam ſolutionem ceruſſæ promovendam, ad Emplaſtri albi conſiſtentiam; Cui ab igne remoto & piſtillo ligneo probe agitato addenda ſunt *Aluminis Crudi* Unc. 5. *Camphor.* Unc. 1. in *Spiritu Vini* ſolutæ. Præſtat ſimul *Alumen* in *Aquae fontanae* Unc. 18. vel 24. diſſolvere, & inter coquendum ſemper parum hujus ſolutionis addendi, quo perfectior ſit unio, & citius ceruſſa diſſolvitur.

EMPLASTRVM STICTICVM,

ſ. *Stipticum*.

Rec. *Cerae Citrin.* --- *Colophon.*
Pic. liquid. ana Unc. 12.
Sev. hircin. Unc. 1. & dimid.

Liqua-

Liquato colentur, & fiat Emplaſtr.
Pharm. *Herbipolitan. Plenck.*

VIS cuti probe *adhaerens*, qua Emplaſtrum valde tenax confert

USUS ad *unienda vulnera ſciſſa.*

EMPLASTRVM STOMACHICVM

de *Tacamahaca*, *Schoederi* correctum, ad *Scutum ſtomachicum.*

Rec. *Cerae* Unc. 8. *Terebinthinae* Unc. 1. colliquatis & ſemirefrigeratis commiſceantur,
Pulveris *Tacamahacae* Unc. 4.
Balſami Peruviani
Oleorum deſtillator. Menthae ana Drachm. 2.
--- --- *Caryophyllor.* Drachm. 1.
Spielmann.

VIS *roborans*, *nervina*, *ſtomachica*, *carminativa.*

USUS in *vomitu*, *diarrhoea*, *ventriculi morbis*, ex imbecillitate ortis, *flatibus*, *regioni epigaſtricae* impoſitum, ad *ventriculum roborandum*, *flatus diſſipandos.*

Applicatio fit, ſi ſuper corium prius extenſum eſt hoc emplaſtrum, ne olea deſtillata tam ſubito avolent, applicatur qua *Scutum ſtomachicum.*

OBSERV. 1) *Scutum ſtomachicum* commode quoque præſcribitur ex *Empl.* de *Tacamahac.* cum *Gummi Galbano* in ſuffic. quant. *Eſſent. Caſtorei* ſoluto ana Unc. 1. exacte mixto.

OBSERV. 2) Pharm. *Würtenb.* hancce ſuppeditat compoſitionem, e *Cerae Citrinae* Unc. 8. *Tacamahac.* Unc. 4. *Terebinthin.* Unc. 1. *Balſami Peruviani*, *Olei deſtillati Menthae* ana Drachm. 2. *Caryophyllor.* Drachm. 1. *Cerae* cum *Terebinthina* liquefactæ & ſemirefrigeratæ admiſcendi *Tacamahacam* tritam, & tum *Balſamum* cum *Oleis.*

EMPLASTRVM STOMACHICVM,
ſ. de *Labdano.*

Rec. *Thuris* Unc. 1. Liquato admiſceantur
Labdani calore emolliti Unc. 3.
Pulver. *Cinnamomi*,
Olei Macis expreſſi, ana Unc. dimid.
Olei Menthae ſtillatitii Drachm. 1.
In mortario tepido ad Emplaſtri conſiſtentiam redacta, in vaſe bene clauſo ſerventur.
Plenck. Pharm. *Danica.*

VIS *diſcutiens* - *roborans* - *antiſpasmodica.*

USUS in *tetano maxillae*, a vulnere l. alia cauſa externa orta, ad *collum*, *nucham* & *ſcrobiculum* cordis applicatum *Plenck* ſuadet.

EMPLASTRVM E STYRACE,
vide *Emplaſtrum anglicum adhaeſivum.*

EMPLASTRVM AD TEMPORA,
ſ. *Odontalgicum.*

Rec. *Tacamahacae carannae*,
Styracis calamitae, - *Maſtichis* ana Unc. 1.
Opii Scrupul. 4. contritis & leni igne liquatis admiſceantur,
Terebinthin. venet. *Balſam. Peruvian.* ana Unc. dimid.
Olei Succini Drachm. 1.
Miſce fiat Emplaſtrum.

VIS *diſcutiens*, *repellens*, *anodyna.*

USUS *nuchae*, l. *temporibus*, l. pone *aures* adhibitum, in morbis *rhevmaticis*, in *odontalgia rhevmatica* & morbis *ocularibus* conducit, teſte *Plenck.*

OBSERV. Vide plura *Emplaſtr. cephalicum danorum.*

Empla-

EMPLASTR. TRIAPHARMACVM MESVE, vide *Emplaſtrum* de *Minio*.

EMPLASTRVM AD VERRVCAS.

Rec. *Emplaſtr. Diachyl.* Unc. 3.
Virid. Aeris Unc. dimid.
Salis Ammoniaci Drachm. 3.
Mercurii praecipitat. rubr. Drachm. 2.
Olei Euphorbii qu. ſuffic.
Miſceantur in Emplaſtrum.

VIS *diſcutiens*, *reſolvens*, *corrodens*.

USUS ad *tollendas verrucas*.

Loco hujus Emplaſtri, quod *valde acre* & in *verrucis faciei* periculoſum eſt, poſſunt verrucæ per 15. dies quotidie bis ſapone nigro madefacto fricari, quo remedio verrucæ ſæpe evaneſcunt. *Plenck.*

EMPLASTRVM VESICATORIVM, ſ. *Epiſpaſticum*.

Rec. *Terebinthin. larigen.* l. *venet.* Unc. 3. & dimid.
Cerae flavae Unc. 9. Liquefiant leni igne, & tum adde
Pulver. *Cantharid.* groſſo modo tritarum, Unc. 4.
Camphor. Unc. dimid. in
Olei Olivar. ſ. *Roſarum*, Unc. 3. ſolutæ.
Refrigerata efforma ad typum craſſioris *cylindri*, & involve in *chartam Oleo Olivarum* oblitam. *Piderit.*

OBSERV. 1) *Emplaſtri* hujus Unc. 1. complectitur *Cantharid.* Drachm. 2. ſi majores deſiderentur vires, ſingulis *Emplaſtri* unciis, *Cantharidum* Scrupuli 2. aut ſi lenius id agere maluerimus, ſingulis Unciis cujuslibet alius ſatis idonei Emplaſtri, duæ hujus noſtri Unciæ adduntur.

In priori caſu, *Cantharid.* Scrupulis 8. in poſteriori autem, ad quamlibet *Emplaſtri Unciam*, *Cantharidum* Scrupul. 4. miſceri, manifeſtum eſt: quorum mixtorum ratio itaque, ita ad ſe mutuo habet, ut ſi *Emplaſtri Cantharidum*, & alius *Emplaſtri* partes æquales præſcribantur, in Uncia 1. tantum, *Cantharidum* Drachma 1. reperiatur, quo modo ſatis mite agit.

OBSERV. 2) Supra *corium* l. *linteum* forte extenditur, variisque locis corporis humani, *Aceto* antea fricatis, ad *veſicas* excitandas, utplurimum per 12. horas imponitur.

VIS *ſtimulans*, *irritans*, *rubefaciens*, *veſicans*, *veſicas excitat* ſupra *corium* l. *linteum* extenſum, *brachio* l. *ſuris*, l. *nuchae* applicatum.

USUS 1) *Cantharides*, hoc modo externe applicatæ, *partibus* ſuis *acribus ſtimulando* in ſanguinem agunt, ejusque circulum augendo conducunt hinc eximie, ubi generali *ſtimulo* ad augendam ſanguinis circulationem *opus eſt*, e.g. in *febribus* acutis cum languido circulo, & deficientibus viribus; in *paralyſi*, *apoplexia ſeroſa* cum pulſu parvo; in *promovendis ſanguinis profluviis* e ſtimuli defectu ſuppreſſis.

2) *Cantharidum partes acres* in ſanguinem reſorptæ, in *Nervos* agentes, eosque vellicantes, proſunt hinc *Veſicatoria* in illis *nervorum morbis*, quibus *ſtimulus* deeſt, uti in variis *ſpasmorum* ſpeciebus, in *catalepſia*, *epilepſia*, inordinatum ſpirituum motum irritando tollentes.

3) Etſi ad *Tralleſium* in *febribus putridis* & *bilioſis cantharides diatheſin* iſtam *alcalinam* & *putridam* facile augent, earum uſus ad *Piderit* reſtringendus potius eſt & moderandus, quam plane eliminandus, inprimis ſi *languor* in *circu-*

culo ſanguinis in iis obſervatur, ſi *vires* ſunt *depreſſae*, vel *materia morbi* ad *viſcus nobile* transpoſita, *revellenda* eſt. Si loca iſta ubi *veſicantia* impoſita fuerunt, *ſphaceloſa* evaderent, ſphacelus iſte tum diligenter abradendus eſt; *ſuppurationem promoventibus* remediis deligandus, cum *connubio congruo antiſepticorum remediorum internorum;* viribus enim corporis non plane ſufflaminatis, ſuppuratio etiam magna exoptato cum eventu ſemper ſuccedit.

4) *Irritationem* in loco affecto Emplaſtrum hoc leviter excitans, & ob ſubſequentem *ſuppurationem majorem*, ad loca adplicata, adfluxum humorum concilians, convenit hinc quoque *revellendi ſcopo*, venæ ſectione præmiſſa, l. aliis debitis remediis, in *deliriis* febrium, in *phrenitide, pleuritide*, inprimis in ſimul *ſuppreſſa reſpiratione*, & excretione per pulmones interrupta, in *lethargo, cephalalgia* a cauſa pituitoſa, in *hemicrania, angina, ophthalmiis* ſeroſis, *aurium* & *dentium doloribus* a pituita ortis. *Revellendi* ſcopo *Locus applicationis* hujus *Emplaſtri veſicantis congruus* eſt, in *ſuris;* in *morbis capitis, oculorum*, in *dorſo;* in *dentium affectibus* prope *aurem*, proceſſui maſtoideo; in *morbis* vero variis *inflammatoriis*, ad *ducendam inflammationem* verſus cutem, in *locis* ſæpe *affectis*, e. g. in *angina* ad *collum*, in *pleuritide* & *peripnevmonia pectori*, & in *abdominalium* viſcerum *inflammationibus abdomini* optime applicatur. Cæterum in quovis non magno *inflammationis* gradu, in *inflammationibus ſpuriis magis* quam in *veris* convenit hoc emplaſtrum; exceptis *ſubjectis* ſenſibilibus, teneriori cuticula gaudentibus, quibus mitius ſ. temperatum veſicatorium ſemper eſt eligendum.

5)

5) Materiam morboſam ab *interioribus* verſus exteriora *dirigentibus* veſicantibus, motibus iſtis in *ſanguine* excitantibus, & *irritatione* illa in toto *nervorum ſyſtemate*, uti & in loco impoſito, creante, convenit quoque hocce *Emplaſtr. Veſicatorium*, ad *diverſorum exanthematum eruptionem promovendam*, ad *variorum morborum materiam noxiam venenatam*, ad *interiora retrogreſſam*, ad *exteriora provocandam.* Cui ſcopo applicatur itaque vel *ſuris* l. *brachiis*. l. utrisque ſimul, ubi periculum in mora eſt, ad *promovendam variolarum*, *morbillorum* & aliorum *exanthematum eruptionem*, ubi *ſtimulus* requiritur, & iterum *revocandis* iis, ſi *retrogreſſa* fuerint iſta *exanthemata:* uti & in *retrogreſſa ſcabie*, *rhevmatismo*, *arthritide*, *podagra;* in *metuendo* vel jam facto *humorum decubitu* in partem *nobiliorem;* in *anxietatibus*, *orthopnoea*, *colica*, *delirio*, *apoplexia.*

In *arthritide*, *podagra*, *rhevmatismo*, malo *iſchiadico*, cum *nulla* conjuncta *inflammatione* bono cum fructu ſemper applicatur per totum morbi decurſum.

USUM *Emplaſtri Cantharidum* peculiariter quoque ſuadet *Pleuck* ad *morbos rhevmaticos* & *tumores albos articulorum:* ad *ſeparandos clavos pedum*, *verrucas manuum*, ad *callos fiſtularum.*

Vulnera a cane rabido inflicta, *pulvere cantharidum inſperſa*, *Emplaſtro veſicatorio* in *longa ſuppuratione ſervato*, tuto quoque curavit *Pleuck.*

Pulvis cantharidum inſpergitur utiliter *vulneribus a morſu canis rabidi* ortis. *Piderit.*

Globuli quoque pro *fonticulis*, ſi *difficulter ſuppurant*, parantur ex *Emplaſtro veſicatorio*, ad *fluxum promovendum.*

In

In *variolis*, *affectibus glandularum*, etiam in incipiente *cancro*, in *pleuritide*, ad locum *dolentem*, confert quoque.

OBSERV. 1) *Nocent veſicatoria* in *morbis putridis, majorem reſolutionem producentia humorum.*

Emplaſtr. hoc *veſicatorium* e *cantharidibus* in vias urinarias agens, interdum ardorem, *ſtranguriam* & ipſum quoque *mictum cruentum excitat*, vel ſi loca *epidermide* jam privata pulvere *Cantharidum* de novo *conſperguntur*, vel ſi de novo *Emplaſtrum veſicans* imponitur: *incommoda* hæc *avertuntur* optime *Decoctis demulcentibus* & *Emulſionibus* inprimis *camphoratis*.

OBSERV. 2) Ad *febrem* illam *artificialem*, facile excitandam, reſpiciendum probe eſt in *determinandis veſicatoriorum viribus*.

OBSERV. *Effectus veſicatorii* etiam non recenter parati, ſit *major*, ſi pulvis *cantharidum* inſpergitur. In *magna* vero *irritabilitate* confert, ſi *Emplaſtrum* ante applicationem cum *camphora malaxatur*, ad *avertendam* facile *metuendam ſtranguriam*; uti *ſuppurationem* cæterum *aſſervat*, in *ulceribus vulneribus Selle* obſerv.

OBSERV. 3) *Nocet uſus cantharidum* in forma *Emplaſtri veſicatorii*, in *febris immenſo calore*, *turgeſcentia vaſorum* & hinc orto *ſopore febrili*, in quovis *vehementi febris ſuppuratoriae* & *varioloſae gradu*: uti & in *omni circulo nimis aucto*. Caute hinc *mercandum* eſt in *omni plethora*, & *nonniſi praevia venae ſectione* adhibendum eſt.

In *ſubjectis* valde *irritabilibus* nocet *Emplaſtrum cantharidum* ob *cantharidum acrem indolem*, *ſanguini* facile ſe communicantem, *veſicatoria cacochymicis*, *ſcorbuticis* & *hydropicis* quoque nocent.

Ita in *malo iſchiadico* cum *dolore fixo vehementi* continuo, magna *inflammatione* & *tumore* ingen-

ti junƈto, cum qua ſuppuratio in *muſculis* ſimul *metuenda*, *veſicatoria* uti & alia *irritantia ſollicite fugienda* ſunt: uti in iis ſubjectis qui *inflammatione renum* l. *miƈtu cruento laborant*.

OBSERV. 1) Variæ exſtant compoſitiones *Emplaſtri veſicatorii* non inconcinnæ.

Ph. *Auſtriac.* præſcribit. *Cerae* Unc. 6. *Olei Olivarum* ſ. *Roſar. Terebinthinae* ana Unc. 2. Liquatis ac paululum refrigeratis admiſcendi, Pulveris *Cantharidum* Unc. 3 - 4. *Maſtiches* Unc. 1. & dimid. Tandem *Camphorae* cum aliquot guttis *Spiritus Vini* in pulverem tritæ Unc. dimid. ut fiat Emplaſtrum.

Pharm. *Edinburg.* ſuadet *Cerae flavae* Unc. 24. *Reſinae albae*, *Axungiae porcinae* ana Unc. 12. *Olei Olivarum* Unc. 8. *Cantharidum* Unc. 6. *Cantharides* prius pulveriſatæ & dein cum *Oleo* tritæ, cæteris leni igne liqueſaƈtis, & ab igne remotis, addantur.

Pharm. *Roſſica* ſuadet tantum ex *Emplaſtr. Citrini* Unc. 12. Pulver. *Cantharidum* Unc. 2. addendi emplaſtro antea liquato, ſpathulaque ſubigendi probe ad conſiſtentiam emplaſtri.

Plenck ſuadet e *Cerae Citrin.* Unc. 8. *Terebinthin.* Unc. 1. & dimid. *Olei Roſarum* Unc. 2. & dimid. Pulver. *Cantharid.* Unc. 6. *Maſtiches* Unc. dimid. colliquatis commiſcendi intime.

Pharm. *Danica* ſuadet *Cerae Citrinae* Unc. 8. Pulver. *Gummi Euphorbii* Unc. 1. *Terebinthin.* Unc. dimid. *Olei Roſarum* Unc. 3. cum dimid. Pulv. *Cantharid.* Unc. 6. colliquatis commiſcendi.

OBSERV. 2) Pharm. *Leidenſis* compoſitio *Emplaſtri veſicatorii* eſt nimis compoſita, ſuadet vero valde ſimplicem *Paſtam veſicatoriam*, e *Cantharidibus* cum alis & pedibus qu. plac. & *fermenti panis ſecalini* recent. qu. ſuffic. ad for-

mam

mam paſtæ. VIS & USUS mitior, quam *Emplaſtri veſicator ordinar.*, *rubefaciens* tantum.

OBSERVAT. 3) *Emplaſtr. veſicatorium Hofmanni*, conſtat tantum ex *Emplaſtro* de *Meliloto* Unc. 3. Liquatis commiſcendi accurate. Pulveris *Cantharidum* Unc. 1. & dimid. *Camphorae*, paulo *Olei* ſolutæ Drachm. 2. Ex innumeris, quæ proſtant, hujus *Emplaſtri* præſcriptionibus, ſimpliciorem reliquis præfert; inprimis ſi *delicatioribus* & *ſenſibilioribus* res eſt, *ratio Emplaſtri de Meliloto* hinc *augetur*.

Mellin ſuadet compoſitionem. *Emplaſtr. veſicator.* ex *Emplaſtr. commun.* Unc. dimid. *Cantharid. pulver.* Drachm. 1-2. *Camphor.* Gran. 10. Miſcendi exacte.

Selle vero e *Cerae flav.* Unc. 10. *Terebinth. venet. Olei Olivar.* ana Unc. 3 Pulver. *Cantharid.* Unc. 8. immiſcendi exacte.

OBSERVAT. 4) *Emplaſtrum veſicatorium perpetuum Janini*, ita præparatur, e Pulver. *Cantharid.* Unc. 1. & dimid. Pulver. Gummi *Euphorbii* Unc. 1. Pulver. Gummi *Maſtich.* --- *Terebinth.* ana Unc. 4. Miſcendi lege artis ad Emplaſtrum. Pharm. *pauper.* & *Hamburg.* *Selle.*

EMPLASTRVM VIRIDE
vide *Cera Viridis.*

EMPLASTR. ſ. EPITHEMA VOLATILE
Edinburgenſium.

Rec. *Terebinth. venet.* Unc. 1. ſenſim affunde *Spiritus Sal. Ammoniac.* Unc. 1.
Agitando diligenter in mortario fiat Emplaſtrum vel craſſamentum album. *Mellin.*

VIS *diſcutiens*, *reſolvens potenter*, *excitans.*

EMVLSIO COMMVNIS.

Rec. *Amygdalarum dulcium* Unc. 1.

Amygda-

Amygdalarum armararum Drachm. 1.
Aquae communis Unc. 24.

Decorticatas Amygdalas in mortario lapideo contunde, Aquam ſimul paulatim affundens, dein cola. Ph. *Londinenſis.*

VIS *temperans*, *refrigerans*, *reficiens*, *demulcens*, *ſopiens*, *nutriens leniter*, *lac generans.*

USUS in *aeſtu febrili*, *debilitate corporis.*

OBSERV. 1) *Emulſionis commun.* Unc. 6. ſi addideris *Camphorae* Grana 2. ſurgit *Emulſio camphorata*, hujus loco, *Nitri depurati* Grana 6. additis *Emulſio nitrata.*

OBSERV. 2) *Spielmannus* præſcribit quoque in ſua pharmacia *Emulſionem arabicam Fulleri correctam*, ex *Amygdal. dulcib.* Unc. 1. *Amar.* Drachm. 1. *Pulver. Gummi Arabici* Unc. dimid. redigendi in *Emulſionem* cum *Aquae commun.* Unc. 24. colatur. addendi *Syrupi Altheae* Unc. 3.

Pharm. *Edinburgenſis* præſcribit tantum inter *Amygdalas* contundendas *Mucilaginis Gummi Arabici* Unc. 2. & dimid. Qua magis *involvens acrimoniam* laudatur in *diarrhoea*, *dyſenteria*, in *ardore urinae.*

Pharm. *Auſtriaca laxativam* præſcribit hocce modo, ex *Amygdal. dulcib.* recenter excorticat. *Semin. Melonum* ana Drachm. 3. cum *Aqu. deſtillat. ſimplic.* Unc. 6. conficiendi *Emulſionem*, in qua frigide diſſolvantur in mortario marmoreo *Mannae calabrinae electae* Unc. 2. dein filtrandi & addendi *Aquae cinnamom. ſimplic.* Drachm. 1. Miſcendi & exhibendi pro una doſi. Cujus VIS & USUS e nomine patent.

Pharm. *Suecica Emulſionem ſalinam - laxantem* ex *Alkali vegetabilis tartariſati*, ſeu *Tartaro tartariſato*, Drachm. 2. *Mellis depur.* Unc. 1. & dimid. *Aqu. fluviatil.* Unc. 12. dilutis, tritu-

ran-

randi, in mortario marmoreo cum *Amygdal. dulcibus contuſ.* Unc. 1. tum colandi, ſuadet.

OBSERV. 3) *Emulſiones* cæterum *variae* exſtant, uti *diaphoreticae*, *laxativae*, *ſalinae*, *camphoratae*, *nitratae*, *balſamicae*, *violatae*, *kinkinae*, quæ partim e tempore melius pro indicationibus variis præſcribuntur, partim jam exoletæ ſunt.

ENS VENERIS, vide *Flores Martiales.*

EPITHEMA VESICATORIVM,

ſ. *Paſta Epiſpaſtica Londinenſium.*

Rec. *Cantharidum* in pulverem tenuiſſimum redactarum,

Farinae Tritici ana quant. libet.

Miſce fiat *Aceto Paſta.*

VIS & USUS e nomine patent.

OBSERVAT. Vide plura *Emplaſtr. veſicator.* ordin. Obſerv. 2.

ESSENTIAS *diverſae* Compoſitionis vide TINCTVRÆ *variae medicae.*

ad normam Pharmacopœarum recentiſſimarum.

ESPRIT DE SAVON,

vide *Aqua vitae ſaponacea Richarti.*

EXTRACTVM ABSYNTHII SIMPLEX.

Rec. Herbæ *Abſynthii* Unc. 12. coque cum

Aquae commun. Unc. 72. l. ſaltem Unc. 48.

Per horæ unius ſpatium; *ſacculo* tum *linteo* immittantur, & *prelo ſuccus* exprimatur, affuſo parum *Aquae frigidae;* nec ab hoc *ſucco* exprimendo prius abſtineatur, usque dum *latex expreſſus* nullum amplius habeat colorem & ſaporem. Per nychthemeron ſtent

omnia expreſſa & mixta, ad ſpiſſum a claro ſeparandum & tunc filtrandum per *Manicam Hippocratis*, ut liquor clarus & pellucidus evadat. Leniori tum igne *Liquor* evaporetur, & ſi jam conſiſtentiam *Syrupi* acquiſiverit, ignis tum gradus minuatur, ad leniſſimum, ne liquor empyrevma acquirat.

Ad *Mellis* tum *ſpiſſioris* conſiſtentiam *Succus* inſpiſſetur, continuo motu cum ſpathula lignea. *Piderit.* Pharm. *Suecica.*

VIS *ſtomachica*, *tonica*, *acidum* in primis viis *involvens*, *ſtimulans*, *anthelmintica*, *reſolvens*, *humores incidens glutinoſos*, *languidos fibrarum motus excitans.*

USUS in *debilitate ventriculi*, *primarum viarum*; in ſtatu *cachectico*, *hydropico*, *verminoſo*, *obſtructionibus viſcerum*, in malo *hypochondriaco*; in *defectu bilis*; in *copia muci primarum viarum*, a Drachma dimidia ad 1. quotidie in *Aqua Chamomillae.* *Selle.*

Externe ad *vermium ſymptomata graviora mitiganda* applicatur.

DOSIS a Granis 10-20. vel in forma pilulari, l. cum liquore quodam, e. g. *Tartari ſolubilis*, l. *Terrae foliatae Tartari*, l. *Aqua* quadam *deſtillata* ſolutum.

OBSERV. 1) *Nervis* jam valde *inimicum* obſervatum eſt hoc *Extractum Abſynthii*, quam ob cauſam multis, abſque capitis dolore, dum hoc gravat, adhiberi nequit, quo tum *gratiora amara* magis proſunt.

Pari modo ex uſu nimis diuturno & longinguo hujus Extracti, *Lac puerperarum* inſtar fellis amarum evaſit, & *infantibus noxium*, *Borrichii* & *Linnaei* obſervat.

OBSERV. 2) *Extracta amara*, quæ parum in *virtute* ab invicem differunt, *omnes vires reſolventes*, ſimulque *roborantes* & *ſtomachicas* poſſident. E morbo longo reconvaleſcentibus, *virium jacturam* optime reſtituunt, appetitum excitant amiſſum, tonum *ventriculi* & *tractum alimentarim* conſervant, emendant. --- In *variis morbis chronicis*, ubi *roborantia* & *reſolventia* primaria ſiſtunt remedia, inprimis juvant *Extracta amara*, ad quæ ſpectant, potius *arthritis*, *podagra*, *rhevmatismus*, *icterus*, obſtructio *menſtruorum* & *haemorrhoidum* a laxitate & vitiis primarum viarum, *fluore albo* benigno; morbo *hypochondriaco*, & *hyſterico*. *Bicker.* obſerv. *Pilulis* hoc & alia Extracta ſunt deſtinata, quibus pro neceſſitate pulveres adduntur.

DOSIS a Scrupulo dimidio ad 1.

Probe ſimul notandum eſt, quod e vegetabilibus, e non gummoſis tantum, ſed & reſinoſis ſimul conſtantibus partibus, uti *Abſynthium*, *Centaurium minus*, *Carduus benedictus*, &c. *Extracta* longe *nobiliora* obtineantur, ſi aquæ, in qua macerantur, portio quædam *Spiritus Vini*, e. g. Libris ſingulis. ſ. Unciis 12. Unciæ 2. addantur. Menſtruum iſtud aquoſo-ſpirituoſum, ad paranda extracta gummoſo reſinoſa præſtat vino, cujus reſiduum poſt evaporationem Extractum herbæ deſideratum conſtituit.

OBSERV. 3) *Extracta* iſto modo parata, nullum, uti in *menſtruo aquoſo* ſoluta, *ſedimentum* ſubſidere patiuntur.

Extracta, *Pilulas* vel per ſe, vel cum Gummatibus formandas ex iis, *humiditatem* ex aëre valde attrahunt, pro diverſa plantarum unde hæc petuntur ratione; ab *empyrevmate* partim orto, a quo, non obſtante quoque accuratiſſima

 ignis

ignis directione, in inſpiſſatione, extracta facillime aliquid acquirunt; partim quoque a *ſale alcalino*, plantis inhærente. Sicuti enim corpora iſto modo, uti in *empyrevmate* fit, deſtructa, humiditatem ex *aïre* attrahunt, ita *ſalia* iſta *alcalina*, nunc in *Extractis* magis coanguſtata, humiditatem facile quoque ſibi conciliare, omnibus notum eſt.

E ſolis Extractisconficere hinc nequeunt. Pharmacopolæ, *Pilularum Maſſas*, niſi addito pulvere quodam, ut Pilularum maſſam referant. Sic, ſi medicus Drachmas 2. Extracti alicujus præſcripſerit, æger tantum unam fortaſſis accipiet, alteram autem in illo, qui ad formandam maſſam additur pulvere. *Piderit.*

OBSERV. 4) Pharm. *Herbipolitan.* præſcribit fortiori modo *Extr. Abſynth. vulg.* e *Herb. Abſynth.* recent. una cum *Floribus ſiccat.* Unc. 12. contuſis, *Aqu. ſimplic.* Unc. 96. *Spiritus Vini* rectificati Unc. 12. Digerendi in loco temperato, per triduum, liquorem exprimendi, colandi, & ſi fæces ſubſederint abſtracto ſpiritu, in *Baln. Mar.* inſpiſſandi ad *Mellis* ſpiſſioris conſiſtentiam.

Pharm. *Roſſica* præſcribit comas *Abſynthii* recenter ſiccatas, macerandi per nychthemerum in 8plo Aquæ, filtrandi, & balneo maris, lato vaſe, ad craſſitudinem debitam evaporandi.

Pharm. *Danica* ad ſummitat. *Abſynth. vulgar.* Unc. 12. *Aquae ſimplic.* Unc. 96. addendas ſuadet *Spiritus Vini gallici* Unc. 12. digerendi per 24. horas, exprimendi & abſtracto ſpiritu evaporandi in *Balneo Mariae*, ad iſtam conſiſtentiam ut manui impoſita maſſa calida eidem non adhæreat.

Pharm. *Würtenb.* ſuadet *Sumitat Abſynth.* in umbra ſiccat. l. potius recent. Unc. 12. conciſ.

ma-

maceranda in *Aquae fontan.* Unc. 72. per quatriduum, in loco calido, tum leniter ebulliendi, exprimendi, liquorem inde expreſſum & colatum coquendi igne lento ad juſtam extracti conſiſtentiam.

EXTRACTVM ACETOSELLÆ.

Rec. Herb. recent. *Acetoſell.* Unc. 12. In mortario ferreo contundantur, ſuccus exprimetur, & tunc adde

Aquae commun. Unc. 36. Per horæ 1. ſpatium coque, immitte ſacculo linteo, & uti in *Abſynthii Extracto* cætera fiunt, niſi quod, ſi diverſæ expreſſiones miſceantur, & ad Extracti conſiſtentiam evaporentur, etiam his ſuccus e planta antea expreſſus addatur, atque in hoc præparando ignis, ne gradu excedat, probe regatur *Piderit.*

VIS *antiſcorbutica, haemocatarctica, ſtomachica.*

USUS Ob *gratam amaritudinem* cum *acido eſſentiali* junctam, confert eximie hoc *Extractum* in *febribus putridis*, in *ſcorbuto alcalino*, & in genere, ubi cum *obſtructionibus viſcerum alcalina acrimonia* juncta eſt.

Ventriculum eximie *roborat*, hinc commode ſub uſu *Aquarum ſoteriarum* datur; nullum calorem excitando.

DOSIS a Scrupulo 1. ad Drachm. 1.

EXTRACTVM ACONITI.

ſ. *Succus inſpiſſatus Aconiti.*

e Herbæ recentis *Aconiti Napelli* ſucco præparatur uti Extractum *Acetoſellae.* *Piderit.*

VIS potenter *reſolvens*, *ſerum acre* per *ſudorem*, *urinam*, l. *alvum* eliminandi, *antiſpasmodica.*

USUS in *arthriticis - lymphaticis* morbis præcipuum remedium: in *cephalalgia* chronica, pertinaci; in *cephalea*.

In *doloribus* oſſium *venereis*, in *tumoribus ſcirrhoſis* ipſas *Cicutae* vires ſuperat, ipſumque *cancrum* ſanat, *ulcera refractaria* conſolidat. *Stoerckii* obſervat.

Qui Extracti hujus Grana 4. cum *Sachari* Unc. dimidia mixta, ad bis - terve in die de iſto pulvere Grana 4 - 6. ad Scrupul. 1. & plus ſumendi effectum actuoſiorem invenit; uti ſæpius quoque *Extr. Cicutae* mixto, interdum quoque *Mercurialibus*. Uſus ejus *diuturnus* vero per *plures hebdomades* requiritur.

In *cephalalgia ſeroſa Extract.* hoc inprimis confert *Kaempfii* obſervat.

Störckii obſervat. pulvis e Granis 4. *Extracti Aconiti* cum *Sachari* Unc. dimid. confert eximie in morbis, *arthriticis, lymphaticis*; in *cephalaea chronica*, ſerum acre vitioſum per *ſudorem*, *urinam*, l. *alvum* eliminando; ad *tumores glandularum ſcirrhoſos*, vires cicutæ eludentes, reſolvendos, *ad ulcera* refractaria conſolidanda, a Granis 4 ad Scrupulum 1. ſemel, bis, terve, quotidie per aliquot dies, l. plures hebdomades continuandi. Qua ſuſpecta - venenata planta cautus ejus uſus a minori doſi, in initio inprimis, ad majorem ſurgendo, probe eſt obſervandus.

OBSERV. Pharm. *Herbipolitan.* ſimplicem præſcribit præparat: e Herb. *Aconit.* recent. qu. ſuffic. contund. in mortario lapideo, exprimendi ſuccum, qui ſine depuratione, leni calore, & usque dum ſyrupi conſiſtentiam nactus eſt, in balneo mariæ ad *Roob* ſpiſſior. conſiſtentiae deducatur.

Pharm

Pharm. *Suecica* & *Roſſica* Extract. *Aconiti* præparat. præſcribunt e Foliis *Aconiti* recent. minutim conciſis paulo Aquæ irroratis. Succum inde expreſſum ſine prævia defæcatione evaporandi, balnei maris calore ad mellis craſſitudinem; admiſcendi tum foliorum *Aconiti* ſubtiliter pulveriſatorum partem.

Pharm. *Danica* & *Brunſuicenſis* ſuadent Herbam *Aconiti Napelli* viridis, nondum florentis, quantum placet, in mortario marmoreo conquaſſandi, ſuccum inde exprimendi. Recens hic leniſſimo igne in vaſe terreo probe vitreato, ſæpius ſpatula lignea agitando, maxima cum circumſpectione & patientia, ne amburatur, nec particulæ volatiles nimis in auras ſecedant, ſed ad *Extractum* ſpiſſioris conſiſtentiæ redigatur.

EXTRACTVM ALOES AQVOSVM,

ſ. *Gummoſum.* vide *Aloe depurata.* ſ. *lota.*

VIS *aperiens*, *alvum purgans.*

USUS ad *diverſas pilularum* maſſas ingreditur, ſcopo *aperiente*, *incidente*, a Granis 4-6. in *obſtructionibus*, *ictero*, *fluxibus ſanguinis ſuppreſſis*; a Granis 15 ad Drachm. dimid. *alvum purgat.*

OBSERV. 1) In *plethoricis* uſus *Extr. Aloes aquoſi* vel plane evitandus, vel tamen moderandus eſt. Quum *menſes* & *haemorrhoides* eo revocari poſſint, notandum crebriorem *Aloeticorum* uſum adhunc fluxum diſponere.

Extractum hoc a ſubſtantia *reſinoſa*, *torminum* & *tenesmi haemorrhoidalis* auctore, libera-

ratum, *Extracto* reſinoſo merito præfertur, ſcopo *laxandi*, datur hinc per ſe a Granis aliquot ad Scrupulum 1. vel pro baſi *pilularum laxantium* & *purgantium* inſervit.

OBSERV. 2) *Piderit* commendat ſolutionem *Aloes hepaticae pulveratae* Unc. 1. in *Aquae fontanae ferviдae* Unc. 5. Stent per biduum in vaſe vitreo, ut partes reſinoſæ a gummoſis ſeparentur, tunc filtretur & liquor ad *Extracti* conſiſtentiam inſpiſſetur.

Pharm. *Suecica* præſcribit *Aloes hepatic.* Unc. 12. *Aquae fluviatil.* frigid. Unc. 48. *Succi Citri* Unc. 12. In vaſculo vitreo macera per unum alterumve diem vaſculum ſubinde concutiendo. Reſina & fæces ſi ſubſederint, diffunde liquorem, & reſiduo *aquam frigidam* reaffunde, donec parum in eam recipiatur. Liquores colati calore balnei maris vaporent ad mellis craſſitudinem.

Ph *Roſſica* præſcrib. ut *Aloe* pulveriſata ſolvetur *Aqua* ferventi, ſolutio colata inſpiſſetur.

EXTRACT. ALOES POENERI ACETOSVM.

Rec. *Aloes ſuccotrinae pulveratae* Unc. 1.
Aceti Vini boni Unc. 6.

Digere per aliquot dies, *liquorem* tum filtra, & evapora ad *Mellis* ſpiſſioris conſiſtentiam. *Piderit.*

VIS *reſolvens*, *laxans.*

USUS *Extractum* hoc non tam *calidum* & *ſtimulans* eſt quam aquoſum, & cum leniter *purgantibus* ſimul *vires* ad *putredinem* poſſidet.

In *hypochondriacis haemorrhoidum fluxus* ſi *excitandus*, uti in *menſium ataxia* & ad *obſtructiones* reſerandas tutius datur *aquoſo.*

In *morbis lentis* confert, ſi *putridum* in *viſcido pituitoſo lente evolvitur.*

DOSIS a Scrupulo dimidio ad 1. in *Pilularum* l. *Elixirii* forma. A Granis 3-4. *aperiens* tantum eſt, *alvum non purgans.*

OBSERVAT. 1) Pharm. *Herbipolit.* ſuadet *Aloes ſuccotr. pulveriſat.* Unc. 2. *Aceti Vini* concentr. Unc. 12. Digerendi per aliquot dies, liquorem filtratum evaporandi ad mellis conſiſtentiam.

Pharm. *Suecica* ſuadet *Aloes Hepatic.* Unc. 12. *Aquae fluviatil.* frigidæ Unc. 48. *Succi Citri* Unc. 12. In vaſeo vitreo macerandi per unum alterumve diem, vas ſubinde concutiendo; reſina & fœces ſi ſubſederint, diffundendi liquorem & reſiduo aquam frigidam reaffundendi, donec parum admodum in eam recipiatur. Liquores colati calore balnei maris evaporandi ad mellis craſſitiem.

OBSERVAT. 2) Nocet in *Haemorrhagiis*, augentur nimium uſu *Aloeticorum.*

EXTRACTVM ARNICÆ,

e Herba cum Floribus *Arnicae*, præparatur, uti *Extr. Abſynthii* tam cum Aqua, quam *Spiritu Vini.*

VIS potenter *reſolvens*, *diſcutiens*, *antiſeptica.*

USUS in *partibus ſugillatis*, in *ſanguine* congrumato, hinc qua *Panacea lapſorum* olim habebatur. Cui ſcopo exhibentur flores cum herba in infuſo, l. in pulvere l. in *Extracto* a Gran. 4-6. Ad *menſes* - *haemorrhoides promovendas*, in *dolore pectoris* cum *difficili reſpiratione* a *ſanguine ſtagnato.*

In *partium debilitate*, *paralyſi*, *contractura*, *ſpasmo*, *cataracta*; *Collin* & alii.

OBSERVAT. 1) *Extractum* hoc qua valde efficax ſemper abſente febre abhibendum eſt, nulla præ-

ſente inflammatione, & prægreſſa ſimul Venæ ſectione.

Sæpe excitat *Extract.* hoc, *vehementia* quadam *efficiens*, *anxietatem intolerabilem*, & *vomitum*, ſi e *vaſculis extravaſatum*, in primis hæret viis. *Dolorem* in partibus læſis valde in initio auget, mox tum vero ſe diſſipat. Sentiunt *interdum dolorem vellicantem - pungentem - urentem* aegri. Niſum quibusdam excitat ad *urinam*, *ſudorem* &c.

EXTRACTVM BELLADONNÆ.

e Herbæ cum Flor. *Belladonnae* recent. Succo præparatur uti *Extractum Aconiti.*

VIS *diſcutiens*, *reſolvens*, *anodyna*, *ſopiens*.

USUS in *rabie canina*, *diarrhoea*, *ſcirrho*, *cancro*, *melancholia*, *epilepſia*, *mania*.

DOSIS Gran. 3 - 4 - 10.

EXTRACTVM LIGNI CAMPECHENSIS.

Aquoſum.

Rec. *Ligni tinctilis Campechenſis* in pulverem redacti Unc. 12.

Coque quater vel ſæpius, in *Aquae* Unc. 84. ad dimidium; liquores dein ſimul mixti & colati in juſtam craſſitudinem decoquantur. Ph. *Londinenſ.*

VIS *adſtringens*, & ſimul *demulcens*.

USUS in *diuturnis diarrhoeis* non ſubito ſiſtendis, a Granis 10. ad 40. quotidie.

OBSERV. 1) Raro *Extractum* hoc bene præparatum reperitur; & vis *adſtringens* difficulter ex hoc ligno elicitur. *Selle.*

OBSERV. 2) Ad Ph. *Herbipolitan.* præparatur uti *Extract. Jalappae.*

EXTRACTVM CARDVI BENEDICTI,

e Foliis *Cardui benedicti*, uti *Extract. Abſynthii* præparatur.

VIS

VIS *carminativa*, *ſtomachica*, *roborans*, *diſcutiens*, *aperiens*.

USUS in *ventriculi morbis*, *febrib. intermittent: acutis*, *malignis*, in viſcerum *obſtruction. ictero*, in morbis *mucoſis chronicis*, *verminoſis*.

EXTRACTVM CASCARILLÆ CORTICIS *Aquoſum*.

Rec. Cortic. *Caſcarillae* Unc. 12. inciſis ſuperfunde. *Aquae commun.* fervent Unc. 96. coque ad dimidiam partem, exprime & inſpiſſa ad Extracti conſiſtent. uti Extract. *Abſynthii*.

VIS *roborans*, *tonica*, *reſolvens*, *diſcutiens*, *calefaciens*, *diapnoica*, *ſedativa*, *balſamica*.

USUS *Apini* obſervat. in *morbis frigidis ventriculi*, *inteſtinorum*, *pectoris* & *uteri*: In *diarrhoeis*, *dyſenteriis* nimiis, *lienteriis*, *fluxu coeliaco*, *fluore albo*, *gonorrhoea benigna*, & poſt *varias haemorrhagias*.

In *febribus ae- & in- termittentibus*, loco Cortic. *Peruviani*, quem vero virtute, uti multi putant, non ſuperat, etſi ſæpe ægri *Caſcarillam* admittunt, qui corticis *Peruviani* uſum ferre nequeunt. *Piderit*.

In *febr. continuis*, *catarrhalibus*, *variolis*, *morbillis*, in *alvi fluxibus*, ad Diſpenſat. *Argentorat.*

DOSIS a Granis 15. ad Drachm. dimid. aut in forma Pilularum, aut in potiuncula ſoluta.

USUS ſcopo *roborante* ſine ſpeciali adſtrictione, cum aliis remediis, omni bihorio grana quædam ad drachmam dimidiam quotidie gradatim.

OBSERV. Diſpenſat. *Argentorat.* præſcribit Extr. *Cortic. Caſcarillae* cum *Aqua* & *Vino* factum, e Cortic. *Caſcarillae* qu. plac. infundendi in *Aqua* fervente, digerendi per 24. horas, fortiter dein exprimendi, & expreſſum liquorem evaporandi in Extract. conſiſtentiam redigendi. Remane-

manens a priori infuſo infundetur, in *Vino* vero, uti antea, Extractum præparetur, cum priori Extract. tum conjungetur.

Pharm. *Roſſica* Extract. *Caſcarillae* cum *Spiritu Vini* uti Extract. Cortic. *Peruv.* ſpirituoſum præparandum ſuadet, Cortic. nempe *Caſcarill.* Unc. 12. ad *Spiritus Vini* Unc. 72.

Pharm. *Suecica* ſuadet præparationem uti *Extractum Cortic. Peruvian. Aquoſum*, ita ut ad primam coctionem addentur *Aquae fervent.* Unc. 24. & tum ad 2dam iterum Unc. 24.

EXTRACTVM CATHARTICVM.

ſ. *Pilulae Rhudii.*

Rec. *Aloes Succotrinae* Unc. 1. & dimid.
Medullae Colocynthidis Drachm. 6.
Scammonii elect. --- *Seminum Cardamomi minoris* decorticatorum, ana Unc. dimid.
Spiritus Vini tenuior. Unc. 12.

Colocynthidem minutim inciſam, Seminaque contuſa affuſo *Spiritu* vinoſo, leni calore per quatriduum macera; tincturæ expreſſæ adde *Aloen* & *Scammonium* ſeparatim in pulverem redacta; his ſolutis, ſpiritum abſtrahe, & maſſam redige in *Pilularum* craſſitudinem. Ph. *Londinenſ. Roſſica.*

VIS potenter *draſtica*, *purgans*, *Cardamomo* correcta.

USUS non ubivis frequens, robuſtis inprimis, inpertinacibus *alvi obſtructionibus*.

DOSIS Grana 10 - 15. in forma *pilulari.*

EXTRACTVM CATHOLICVM.

ſ. *Panchymagogum.*

Rec. *Extract. Rhabarb.* Unc. 2.
--- *Aloes* aquoſi Unc. dimid.

Ex-

Extract. Hellebori nigri Drachm. 1. & cum Granis 36.

Miſceantur in mortario caleſacto cum *Reſinae Jalappae* tritæ Drachm. 2. & Granis 24. Serventur uſui. *Piderit.*

VIS *laxans*, *purgans*; ſæpius *draſtica*.

USUS ad *alvum purgandam* ſatis valide, & inprimis ad humores educendos, ad Drachm. dimid. imo robuſtioribus ad Drachm. 1. confert.

In minori doſi e. g. ad Scrupul. dimid. In infantibus *ſeminium verminoſum* deſtruit.

Cæterum proprie dicatum eſt hoc Extractum pro baſi *Pilularum purgantium* & *mercurialium.*

DOSIS Scrupul. dimid. ad Grana 15.

OBSERV. 1) *Extracti* hujus *compoſiti*, in quo antiquum nomen, ob *crebriorem Medicorum praeſcriptionem* retinuimus, Drachma dimidia conſtat e Scrupulo 1. *Extracti Rhei*, Granis. 5. *Extract. Aloes*, Granis 2. *Extract. Hellebori* & Granis 3. *Reſinae Jalappae.* *Piderit.*

OBSERV. 2) Ph. *Würtenb.* præſcribit *Extracti Aloes ſuccotrin. Aqua fontana* parati Unc. 1. *Hellebori nigri* Drachm. 2. *Colocynthid.* Scrupul. 3. *Reſin. Jalapp. Scammon.* ana Drachm. 1. & dimid. Miſce.

OBSERV. 3) Ph. *Brunſuicenſ.* præſcribit fortiorem compoſitionem ex *Aloes depur.* Unc. 1. *Extract. Hellebori* nigri Drachm. 2. *Colocynthid.* Drachm. 1. *Reſin. Jalapp. Scammonei* ana Drachm. 1. & dimid.

EXTRACTVM CENTAVRII MINORIS.

Aquoſum.

e Herba cum Summitatib. *Centaurii minoris* uti *Extract. Abſynthii* præparatur.

VIS *reſolvens*, leniter ſimul *roborans*, *diaphoretica*.

USUS

USUS *bilioſis* humores educit, in *debilitate ventriculi, viſcerum obſtruct. febr. intermitt. arthritide.*

EXTRACTVM CHAMOMILLÆ.

e Herba cum Floribus *Chamomillae* præparatur uti *Extractum Abſynthii.*

VIS *antiſpasmodica*, inſignis *antiſeptica: anodyna roborans, carminativa, diſcutiens, emolliens.*

USUS in *febribus intermittentibus, putridis, colica flatulenta, torminibus puerperarum*, menſium *ataxia, variis diarrhoeis, dyſenteria, cardialgia. Piderit.* Ph. *Roſſica. Danica. Herbipolitan.*

DOSIS conſueta Scrupul. 1. ad Drachmam dimidiam. In *febribus* major. deſideratur quantitas & continuatus uſus.

Commodum exhibet connubium *Extract. Cortic. Peruv.* & *Chamomillae* qua æquæ proficuum antiputredinoſum uti *Cort. Peruv. Pringle* obſervat.

EXTRACTVM CHELIDONII MAJORIS.

e Herbæ cum Floribus *Chelidonii Majoris* ſucco uti *Extractum Aconiti* præparatur.

VIS *diſcutiens, reſolvens* potenter humores *mucoſos, incraſſatos.*

USUS in chronicis *obſtructionibus viſcerum* uti *Aconiti* Extractum: ſed qua acre valde caute.

EXTRACTVM CICHOREI.

Rec. Herbæ *Cichorei ſylveſtris* quant. plac.

Coque cum quant. ſuffic. *Aquae commun.* per horam, decoctum exprimendo cola, poſtquam fæces ſubſederunt, ad præſcriptam normam in debito vaſculo redigatur in conſiſtentiam mellis ſpiſſioris.

VIS *reſolvens, diſcutiens, diaphoretica, diuretica.*

USUS ad humores tenaces *reſolvendos;* in *obſtruct. viſcerum, ictero, mania, hypochondr. malo*, in *febrib. intermittent.* acut: *inflammator. ſcorbuto, hydrope.* Ex-

EXTRACTVM,

ſ. *Succus inſpiſſatus Cicutae.* ſ. *Conii.*

E recens preſſo & colato Herbæ *Cicutae* l. *Conii maculati* ſucco præparatur, uti *Extr. Acetoſellae.*

VIS *reſolvens* potenter. *Herbip. olitan.*

USUS in *cancroſis* & *malis glanduloſis*: ad *obſtructa* reſeranda, indurationes firmiſſimas & *ſcirrhos* ſolvendos, & quæ non reſolvit, ad benignam redigenda *ſuppurationem*; *cancro mammarum* l. aliis partibus limites ponendas, ejusque *acre* emendandum, *foetorem diſpellendum* & *ichorem* in *bonum pus* vertendum l. *cancrum* vere quoque ſanandum.

Fiſtulas & *ſinus* claudit & conſolidat, *ulceribus* medetur, viſum *cataracta* nondum inveterata obnubilatum reſtituit, & incipientem *cataractam* l. ſolvit, l. progreſſum ejus prohibet.

Confert hinc in *arthritide*, *ſpina ventoſa*, *ulceribus ſerpentibus*, in *tumoribus hypochondriacorum*, *fluore albo*, *uteri ulceribus*; In *infantibus* ad reſerandas *indurationes glandularum meſenterii*, in *ictero*, *anaſarca*, *rachitide*, *amauroſi*; *tineæ capitis*, *tuſſi convulſiva*, a retrogreſſa *ſcabi* orto; ad *tumores cyſticos* minores diſſipandos, majores emolliendos, & liquandos. In *ſcrophulis* & *teſticulis induratis*: ad *Störckii* variorumque medicorum celeberrimorum *Viennenſium* obſervata.

Etiamſi alii adſunt contradictores uti celeberr. *Haenius*, qui damna ex ejus uſu credidit oriri. --- uti & *Whytius*, *Schmuckerus* &c. *debilitatem* nervoſam, *cardialgiam*, *ſyncopen*, *vertiginem*, *nauſam*, *ructus*, abdominis *inflammationes*, *membrorum tremorem* & *totius corporis debilitatem* ex ejus uſu inprimis nimio, ægris ſuis obſervarunt.

Vien-

Viennenſes medici nimium quidem laudarunt hoc remedium, etſi egregia ejus virtus *reſolvens*, inprimis ſi ad ſebrem iſtam artificialem reſpiciamus negari nequeat; non tam confidenter nec iſto ſemper eventu tolluntur eo morbi nominati. --- In omnibus Morbis, ubi *reſolventia* deſiderantur, juſtæ ſunt laudes *Cicutae*; præſtat certe, quæ alia poſſunt, & non raro majora, ſed ſæpe quoque intacta reliquis, quæ tamen aliis cedit remediis e. g. *mercurialibus*, *Perilluſtr Störckii*. quoque teſtimonio.

Piderit potius credit, quoniam omnino *acrem*, Extractum *Cicutae*, naturam habet, nec ubivis motus illi febriles, quos excitat, ſalutares evadunt, ſequi videtur, ut in ipſo e. g. *carcinomate aperto* vincendo omnino ſit rejiciendum, eo magis, quoniam nullæ veræ obſervationes perſuadent, in *vero cancro aperto* auxilium tantum attuliſſe.

DOSIS. Extractum hoc optime propinatur addito *Pulvere Cicutae*, in *pilularum* formam mutatum a Granis 2. bis in die, poſt octiduum ter de die, ad Drachm. 1 - 2 - 6. usque per diem conſumantur. Bibitur tum, ſumto medicamento, quavis vice vaſculum Infuſi *Theae* vel ſimile. Quidam jam utiliter combinarunt Extract. hoc *Cicutae* cum Extract. *Aconiti*, vel *Mercurialibus*, vel ipſo quoque *Cortice Peruviano*; vel Extractum aqua ſtillatitia dilutum forma mixturæ propinari poteſt.

In *ulcere cancroſo* efficax exhibet medicamentum *Extractum* hoc *Aqua Calcis dilutum*, *Plenckii* obſervat.

OBSERVAT. Ph. *Edinburgenſis* ſuadet e *Cicutae* floreſcentis *Foliorum* & *Caulium* ſucco, uti *Aconiti* expreſſo, & ad mellis liquidioris ſpiſſitudinem man-

exhalato, jamque refrigerato, addendi *Foliorum Cicutae* exſiccatorum, & in pulverem tritorum, quantum ſufficit, ut fiat maſſa pilulis formandis idonea. Curandum vero ſimul eſt, ut exhalatio eo tantum procedat, ut pulveris quinta circiter pars poſſit admiſceri.

E *Seminibus Cicutae* vix dum maturis Extractum ſuadet Ph. *Edinburg.* præparandi, & quidem conciſis & contuſis affundendi *Aquae* quadruplum; qui decoquentur ad medium, & exprimentur valide, dein colantur. Decoctum vero illico evaporetur, in vaſculis Aquæ ferventis vapore calefactis, ad mellis ſpiſſitudinem.

Plenckius præſcribit tantum e Succo expreſſo Herbæ *Cicutae recent:* quant. plac. qui in vaſe terreo vitreato, leni igne, & ſub continuo motu ad *Extracti* conſiſtentiam eſt coquendus.

EXTRACTVM COCHLEARIÆ.

e Herba cum Floribus *Cochleariae* uti Extractum *Abſynthii* præparatur. Ph. *Danica.*

VIS *aperiens, antiſcorbutica, diuretica.*

USUS in *cacochymia, ſcorbuto.*

EXTRACTVM COLOCYNTHIDIS.

Rec. *Pulpae Colocynthid.* Unc. 12.
Spiritus Vini Unc. 72.

Digeſta ad ſufficientem Extractionem exprimentur & filtrentur. Reſidua pulpa cum *Aqua fontana* cocta, colata, expreſſa & clarificata, cum extractione ſuperiore ſpirituoſa commiſcendum & ad Extracti conſiſtentiam evaporandum eſt. Ph. *Danica.*

VIS *purgans* fortiter.

USUS confert hoc *Extractum* cum aliis purgantibus ſtimuli loco; hinc *hydropicis* præſertim conducit.

DOSIS a Granis 4 - 6 - 10.

EXTRACT. COLOCYNTHIDIS COMPOSITVM
ſ. *Catharcticum.*

Rec. *Colocynthidis* ſeminibus purgatæ Unc. 2.
Aquae fluviatil. Unc. 24.
Modico igne decoque ad dimidium; humor colatus balnei maris calore evaporet, donec ei mellis craſſitudo ſit.
Cui adde tum
Pulver. *Aloes ſuccotrin.* Unc. 2.
Scammonei Unc. 1.
Caryophyllorum Drachm. 1.

VIS *draſtica* potentior, quam *Extract. Colocynthid. ſimplic.*

USUS in *hydrope conſummata.*

EXTRACTVM CROCI.

Rec. *Croci Auſtriac.* quant. plac.
Spiritus Vini rectificat. quant. ſuffic.
Digere vaſe probe clauſo leni calore, per triduum Spiritus probe tinctus decantetur tum, croco reſtanti affundetur novus *Spiritus*, idque cum digeſtione repetatur, donec omnis extracta ſit Tinctura, nec ſpiritus amplius tingatur. Tincturæ omnes, ſ. Extractiones commiſcentur, in Balneo Mariæ ſ. Arenæ inde abſtrahantur duæ tertiæ partes; Liquor vero reſiduus in Balneo Mariæ ad Extracti formam inſpiſſetur. Ph. *Herbipolit.*

VIS *cardiaca*, *cephalica*, *uterina*, *anodyna*, *alexipharmaca*, *antihyſterica.* Vires eædem cum *Croco* ſimplici.

USUS ad *menſes promovendas*; *dolores ſedandos.*

DOSIS Grana 2 - 4.

OBSERV. Ph. *Roſſica* præparat. ſuadet uti *Extract. Cort. Peruv. ſpirituoſi*: *Croci* nempe Unc. 12. ad *Spiritus Vini* Unc. 72.

Pharm.

Pharm. *Würtenb.* præparationem ſuadet e *Croci oriental. elect.* Unc. 6. l. quantum placet, *Aquae fontanae* pur. Unc. 24. ut digerantur loco tepido, vaſculo optime clauſo per biduum, liquor tinctus decantetur, alia. Aqua affundetur digeratur, tamdiu, donec omnis vis & tinctura extracta ſit. Omnes dein Extractiones commiſceantur, in balneo abſtrahantur ad juſtam conſiſtentiam.

EXTRACTVM DATVRÆ,

vide *Extractum Strammonei.*

EXTRACTVM ENVLÆ, SEV HELENII.

e Herba *Enulae* uti *Extract. Abſynthii* præparatur.

VIS *ſtomachica*, *expectorans*, *reſolvens*, *incidens.*

USUS ad *humores mucoſos incidendos*, - *reſolvendos*, - *pectoris* præcipue.

OBSERV. Ph. *Suecica* præſcribit præparationem uti *Extract. Cortic. Peruv. aquoſum*, ita ut ad primam coctionem addentur *Aquae fervent.* Unc. 24. & tum ad 2 dam iterum Unc. 24.

EXTRACTVM FLAMMVLÆ JOVIS

e Floribus *Clematis - Flammulae Jovis* præparatur, uti *Extract. Abſynthii.* Ph. *Herbipol. Roſſica.*

VIS *ſimplicis vegetabilis* e quo paratum eſt, *rubefaciens*, *irritans*, *reſolvens*.

USUS in *tumoribus oſſium venereis*, & *ulceribus malignis*, *cancroſis*, *ſpongioſis*, in *ſcabie chronica inveterata.* *Störckii* obſervat.

EXTRACTVM GLYCIRRHIZÆ,

vide *Extractum Liquiritiae.*

EXTRACTVM GENTIANÆ RVBRÆ

Aquoſum.

Rec. *Radic. Gentianae* rubr. quant. plac. conciſæ & contuſæ,

Aquae fontanae quadruplum affunde, decoque ad medias, & expreſſum valide cola. Decoctum illico tum vaporet, in vaſculis aquæ ferventis vapore calefactis, ad mellis ſpiſſitudinem. Ph. *Edinb.*

VIS *roborans*, *ſtomachica*, *antiſebrilis*, *antiverminoſa*, *antiſeptica*. Amarum & calidum valde remedium.

USUS in *intumeſcentia*, *cachexia*, *chloroſi*, *ictero*, *hydrope*, *arthritide*, in *vitiis ventriculi*, a *debilitate* & *acido praedominante ortis*.

DOSIS a Gran. 15. ad Scrupul. dimid. l. Drachmam dimid.

OBSERV. Ph. *Roſſica Extractum Gentianae ſpirituoſum* ſuadet uti *Extractum Cortic. Peruv. ſpirituoſum*; Radic. nempe *Gentianae* Unc. 12. ad *Spiritus Vini* Unc. 72.

Pharm. *Suecica* communicat præparationem uti *Extract. Cortic. Peruv. aquoſum*, ita ut ad primam coctionem addentur *Aquae fervent.* Unc. 24. & tum ad 2dam iterum Unc. 24.

Piderit ſuadet uti *Extractum Corticis Caſcarillae.*

EXTRACTVM GRAMINIS AQVOSVM.

ſ. *Liquidum.*

Rec. Radic. *Graminis vulgar.* recent. ſucculenti quantum plac. excoquitur leniter. Decoctum per noctem quieti reponitur, ut clareſcat. Clarum filtratur, ſine coctione evaporatur ad conſiſtentiam *Syrupi.*

VIS *demulcens*, *diſcutiens*, *involvens*, *reſolvens*, *abſtergens*, *haemocatarctica.*

USUS

USUS in *variis morbis chronicis*, *icterо*, *rhevmatiſmo*, *arthritide*, in morbis *cutaneis*.

Zimmermanni obſervat: In *pectoris affectibus acrimoniam* mitigat.

DOSIS quotidie Unc. 5 - 6.

OBSERV. 1) Exhibetur forma *Elixirii*; l. *Potionis*; e. g. *Extract. Gramin. Taraxac.* ana Unc. dimid. ſolvendi in *Aquae Taraxac.* Unc. 10. Miſcendi & ſumendi cochleatim.

Vel *Extract. Gramin.* Unc. dimid. ſolvendi in Liquore *Terrae foliat. Tartar. Tinctur. Rhabarb. aquoſ.* ana Unc. 1. Mixtis ſumendi guttas 50. l. plures. *Bicker.*

OBSERV. 2) E Radicibus recentibus expreſſus, leni calore ad ſubſtantiam melleam inſpiſſatus ſuccus ad *Extractum* eſt efficacius, magis *reſolvens*, & iucundius ſapore. *Selle.*

EXTRACTVM GVAIACI LIGNI,

e *Ligno Guaiaco* præparatur, uti *Extractum Jalappae*. Pharm. *Herbipolit.*

VIS *reſolvens*, *haemocatarctica*.

USUS in *pilulis arthriticis*, *catarrhalibus*, *antivenereis*, l. ubi *ſanguis* & *lympha depuranda* eſt.

DOSIS Grana 8 - 12.

OBSERV. 1) Ph. *Londinenſis* tam *molle* quam *durum Extractum Guaiaci* communicat, ut *Ligni Guaiaci* raſi Unc. 12. coquantur quater. l. ſæpius in *Aquae commun.* Congio uno ſ. Unc. 84. ad dimidium. Liquores colati coquendo inſpiſſentur; Aquæ fere totæ exhalatæ, addendum eſt parum *Spiritus vinoſi rectificati*, quo Extractum in maſſam uniformem & tenacem reducatur. Quod *molliori* forma ad *Pilulas* formandas, & *duriori* ad *Pulveres* teri poteſt.

Pharm. *Würtenb.* præſcriptione *Lignum Guaiaci* in ſcobem tenuem redactum fortiter coquitur in quantit. ſuffic. *Aquae fontan.* Decoctum lento igne in *Extracti* formam redigitur.

Extractum exigua quantitate iſto modo, & ex Unc. 12. Ligni vix Drachm. 2. obtinentur. *Spiritu Vini* rectificatiſſimo ex Unc. 12. ad minimum Unc. 3. *Extracti reſinoſi* extrahuntur.

OBSERV. 2) Naribus exceptum ſternutationes inſignes citra capitis imbecillitatem efficit.

EXTRACTVM GLYCIRRHIZÆ,

vide *Extractum Liquiritiae.*

EXTRACTVM HELLEBORI NIGRI,

ſ. *Melampodii aquoſum.*

e Radice *Hellebori Nigri* præparatur uti *Extractum Gentianae*, vel *Caſcarillae.*

Ph. *Edinb. Piderit*, *Spielmann.*

VIS potenter *alterans*, *penetrans*, *pellens*, *reſolvens*, *irritans*, *ſtimulans*, *emmenagoga* certo & potenter.

USUS in *menſium ataxia;* Inſervit præcipue in *ſtatu phlegmatico*, tum ad *obſtructiones reſolvendas*, quam ad *obſtructa ſanguinis profluvia provocanda:* in affectibus hinc quoque *melancholicis*, *maniacis*, *ſoporoſis* & *apoplecticis* confert.

DOSIS a Granis 3 - 15. cum uſu adhibetur ſcopo *purgante*, cum aliis *purgantibus*, omni vi *purgante* deſtitutum, variorum obſervatis.

OBSERV. 1) In *delicatis*, valde *ſenſibilibus* & *irritabilibus* fœminis vero ſumma cautione adhibendum eſt, hoc *Extractum*, vel melius *evitandum*, uti in *plethoricis* - in ſumma *ſanguinis expanſione*, & *proclivitate* ad *inflammatorios morbos.*

OBSERV.

OBSERV. 2) *Extractum* jam ante quoddam tempus præparatum, *vetuſtate* fit *nocivum;* uti alia *Extracta*, in *forma liquida* minime præſcribitur hoc *Extractum.*

Cæterum ſatis antiqui uſus fuit; ſed a *Teophr. Paracelſo*, ſub nomine *Daurae*, inprimis revocatum eſt.

OBSERV. 3) *Optime* & ſecure *praeparatur* e *Fibrillis tenuiſſimis* leni extractione & coctione, non e foliis. *Selle* & aliorum obſervat.

EXTRACTVM HYOSCIAMI NIGRI,

e Succo recens preſſo & colato Herbæ *Hyoſciami* uti *Extr. Acetoſell.* præpar. *Piderit.* Ph. *Herb. Roſſ.*

VIS *anodyna, antiſpasmodica.*

USUS in *motibus convulſivis*, in *ſtatu melancholico epileptico, maniaco, Stoerckii* obſervat.

VIS & USUS cum *Extracto Stramonei* multum convenit.

DOSIS Granum I - 3 - 4. bis terve de die.

OBSERVAT. Ph. *Suecica* ſuadet præparationem, uti *Extracti Aconiti*, inprimis ut ad primam inſpiſſationem, ad mellis conſiſtentiam, denuo pulvis tenuis foliorum *Aconiti* admiſceatur.

EXTRACTVM JALAPPÆ,

Gummi - Reſinoſum.

Rec. Pulver. Rad. *Jalapp.* quant. plac. affunde *Spiritus Vini* rectificat. ad 4 digitorum ſupereminentiam. Digeſtionis ope leni calore extrahe Tincturam in vaſe vitreo probe clauſo; Tincturam effunde, reſiduæ *Jalappae* affunde

Aquae fontanae quantum ſuffic. coque per horam, exprime. Colatura in *Balneo Mariae* ad mellis conſiſtentiam evapo-

 ret,

ret, in fine addendo parum *Tincturae Jalappae* continuo ſub motu, ut maſſa fiat uniformis ſine grumis.

Spiritus Vini magna vero pars e Tinctura ante admiſſionem avocetur. Ph. *Herb.*

VIS cum *Reſina Jalappae* conveniens.

USUS ſcopo *laxante*, *purgante*, in *obſtruct. alvi* pertinacibus. Vix vero majori doſi dandum eſt.

DOSIS Grana 6 - 10. *Extracto alio laxante*, pro una doſi ſcopo *laxante* adhibendum eſt.

OBSERV. Ph. *Edinburgenſis* præparationem ſuadet e *Radic. Jalapp.* Unc. 12. *Spiritus vinoſi* rectificati Unc. 48. Digere in vaſculo probe clauſo per dies 8. & cola. Colatum deſtilla e retorta ad medium; reliquum tum in vaſculis apertis, vapore *Aquae ferventis* calefactis, exhaletur ad mellis conſiſtentiam, & ſub finem aſſidue agita, ut uniformis & ſine grumis ſit.

Pharm. *Roſſica* præſcribit præparat. uti *Extract. Cort. Peruv. ſpirituoſum*, Radic. *Jalapp.* elect. reſinoſæ Unc. 12. ad *Spiritus Vini* Unc. 72.

Pharm. *Würtenb.* præſcript. habet e Radic. *Jalappae* Unc. 12. quibus affundetur *Spiritus Vini* quantit. ſuffic. digerantur in vaſculo probe clauſo, in loco calido per 3. dies; tum exprimentur, expreſſum filtretur, & in *Balneo Mariae*, leni deſtillatione, *Vini Spiritus* evocetur, ac reſiduum extractum ſervetur. In fine tum *Reſina* cum Extracto diligenter miſcenda eſt, ut gummoſæ partes reſinoſis interponantur.

EXTRACT. LIQVIRITIÆ ſ. GLYCIRRHIZÆ,

Gummoſum Argentorat. ſ. *Gelatina Liquiritiae*, ſ. *Sacharum Glycirrhizatum Helvetorum*, ſ. *Regliſſe Royale*,

Royale, ſ. *Liquiritia lucida Danorum*, ſ. *Gluten pectorale*. ſ. *Paſta Liquiritiae fuſca*. ſ. *Succus Liquiritiae inſpiſſatus*.

Rec. Radic. *Liquiritiae* raſæ & contuſ. Unc. 1.
Infundantur per 24. horas, in
Aquae calid. Unc. 120. In colatura diſſolvantur.
Gummi Arabici albiſſim. electi Unc. 60.
Sachari albi Unc. 40.

Diſſoluta colentur & brevi coctione in conſiſtentiam *Gelatinae* reducantur; effundatur tunc liquor in exiguæ altitudinis modulos metallicos, pauco *Oleo Amygdalar.* illitos, lenique *fornacis* calore exſiccetur. *Spielmann*. Ph.*Herb*.

VIS *demulcens*, *expectorans*, *ſopiens*.

USUS ad ſiſtendam *tuſſim* ab *irritatione* ortam: ad *pectoris affectus*.

DOSIS ejus fruſtum Drachmam circiter æquans, ore liquatur.

OBSERV. 1) Ph. *Herbipolitan*. ſuadet commodam præparationem *Liquirit*. raſæ & contuſæ Unc. 1. infund. per 24. horas in *Aquae tepidae* Unc. 48. In colatura igne tecto vero diſſolvendi *Gummi Arabici* electi, *Sachari albi* ana Unc. 16. ad debitam conſiſtentiam coquendi, modulis infundendi, & leniter ſiccandi.

2) *Extractum Liquiritiae*. ſ. *Glycirrhizae Aquoſum ſimplex* præſcribit Ph. *Londinenſis* hoc modo, Rec. *Glycirrhizae* recent. quant. plac. in *Aqua* leviter coque, aquam exprimendo cola, & poſtquam fæces ſubſederint, de coque donec digitis non cohæreſcat, circa finem caute evitato empyreumate.

3) Ph. *Herbipolit*. ſuadet ad præcavendum mucorem aliquid *Spiritus Vini* addendi.

EXTRACTVM MARRVBII.

e Herba *Marrubii* uti *Extractum Abſynthii* præparatur.

VIS potenter *reſolvens*, *diſcutiens*, *incidens*.

USUS ad *incidendum* & *reſolvendum*, in affectibus *mucoſis*, *catarrhalibus*; in *pituitoſis* inprimis *pectoris* & *uteri affectibus*; in ipſis *pulmonum abſceſſibus*. *Haen*. aliorumque obſervation.

DOSIS a Scrupul. 1. ad Drachm. dimid.

EXTRACTVM MARTIS POMATVM.

Rec. *Limatur. Martis* puriſſ. ſ. *Ferri* puriſſ. Unc. 6. ſuper affunde *Succi pomor. acidor*. recent. expreſſ. & depurat. Unc. 24.

Stent in digeſtione, loco calido per plures dies in cacabo ferreo, coquantur tum ſub perpetuo motu cum ſpatula, leni igne ad dimidiæ partis conſumtionem, clarum a ſpiſſo colando ſeparetur, & ad Extracti conſiſtentiam inſpiſſatum reponatur. Ph. *Herbipolit.*

VIS eximie *tonica*, *aperiens*, potenter *obſtruct. reſerans*.

USUS in affectibus *hypochondriacis* - *hyſtericis*, *verminoſis*: nulla præſente debilitate *ventriculi*; cujus ſub uſu *motus* frequens requiritur.

In *chloroſi*, in *menſium ſuppreſſione*, a debilitate *fibrarum*, & *debili circulo humorum* - *ſpecificum*.

In variis *affectibus abdominis*, *ventriculi fluoribus*, ad *debilitatas fibras roborandas*, uti in *febrib. intermittent.* inprimis quartanis. a *cortice Peruvian.* non ſolum cedentibus, eximie hoc *Extractum* confert.

In *obſtructionibus abdominis*, quas ſæpe præ aliis ſolvit remediis, rite aliis junctis remediis; confert hinc quoque in variis *intumeſcentiis*, *cache-*

xiae

xiae ſpeciebus, in ſtatu *hypochondriaco*, *ictero*, *rachitide*: in infantum ſtatu *verminoſo*.

DOSIS a Granis 8 - 20. in forma *pilulari*, cum aliis.

OBSERVAT. 1) In *plethoricis* ſumma cum cautela, prægreſſa ſimul *Venae ſectione* adhibendum eſt.

Sæpius commode jungitur *Cortice Peruvian*. l. alias *Aroma* rite addi poteſt. In ſtatu *cachectico - pituitoſo uteri* cum *Extracto Hellebori nigri* confert eximie. *Piderit.*

Cæterum confert *Extractum* hoc ad præparat. *Globulor. martialium* & *Tinctur. martial.*

Sub *uſu Extract. Martis* abſtinendum eſt ab *alcalinis* & *acidis foſſilibus.*

Nocet Extractum Martis phtiſicis, *billioſis*, *ſcirrho* affectis, qui *fibram* habent *rigidam.*

OBSERV. 2) *Pfingſten* ſuadet *Limaturae ferri* puriſſim. Unc. 16. cum *Aceti Vini* Unc. 16. digerendi, & cæterum procedendi uti ſupra.

Piderit præſcribit ad præparat. *Extract. Martis ſimplicis*, *Limatur. Martis depurat.* Unc. 4. quibus in vaſe vitreo ſuper infundendæ ſunt *Aceti Vini* Unc. 12. per 3. dies digerendi, filtrandi & reſiduo iterum addendi *Aceti Vini* Unc. 12. Sic digerendo, colando & de novo *Acetum* ad reſiduum addendo, progrediendum eſt ad perfectam *Limaturae* ſolutionem. Singulæ tum ſolutiones miſcendæ & coquendæ ſunt in *vaſe ferreo*, ſub perpetuo motu cum ſpatula, leni quidem igne ad *Mellis* conſiſtentiam.

EXTRACTVM MELAMPODII.

vide *Extractum Hellebori nigri.*

EXTRACTVM MILLEFOLII.

e Herba cum Floribus *Millefolii* præparatur, uti *Extr. Abſynthii.* Ph. *Herbip. Suecic. Piderit.*

VIS

VIS eximie *tonica*, *roborans*, *adſtringens*, *antiſpasmodica.*

USUS ad *diverſas haemorrhagiarum ſpecies*, ad *nimium haemorrhoidum fluxum, menſes nimios, haemoptyſin*; ad *dolores poſtpartum*; ad *ſpasmos leniendos.*

Ad *flatulentias ventriculi*, ad *malum hypochondriacum*, eximie confert in connubio cum *Extract. Chamomillae*; ad *pollutiones* nimias *nocturnas.*

DOSIS a Granis 15. ad Drachmam dimid.

OBSERV. *Succus* recens e *Herba* recenti omni jure eſt præferendus. *Piderit.*

EXTRACTVM MYRRHÆ AQVOSVM,

ſ. *Gummoſum.*

Rec. *Myrrhae elect.* rubr. pulveris groſſ. Unc. 6.
Solve in
Aquae fontanae Unc. 48.

Solvatur per moderatam 4 - 5 dierum digeſtionem & repetitum vaſciculi motum. *Myrrhae* tum ſupernatans aqua partibus gummoſis ſat imprægnata decantetur, rurſusque tepefacta per filtrum coletur, & ad *Extracti* inſpiſſetur conſiſtentiam. Ph. *Brunſuicenſis.*

VIS eximie *balſamica*, *antiſeptica*, *roborans*, *reſolvens*, *putredini* & *cariei* reſiſtens. *Extractum* hoc *reſinoſo - gummoſum* nobile eſt *balſamicum*, *uterinum*, *pectorale*, *vulnerarium*, *antiverminoſum.*

USUS in *ulceribus e putredine* & *carie* ortis confert eximie *Pleuckii* obſervat.

In *glutine ſpontaneo*, & *inerti fibra* convenit, in nimio *muco*, ad *augendum circulum ſanguinis*, & *promovendum* eum ad *effluxum*, ad *vermes educendos.*

Ad *morbos pituitoſos uteri*, ad *ſanguinis profluvia pellen-*

pellenda, ad *menſes - lochia pellenda*, qua *emmenagogum*, ſi *tenacitas humorum*, ſimul adeſt, & *lentor ad diſcutiendum mucum ventriculi* & *pituitam* eumque *roborandum*: ad *obſtructiones viſcerum* in *haemorrhoidariis* & *hypochondriacis reſerandas*.

DOSIS a Granis 15-20. l. in *pilulis*, l. Extr. hujus Drachm. 1. cum Unc. dimid. *Sachari* ad 4-6. Doſes.

OBSERV. 1) Ph. *Danica* & *Plenck* præſcrib. *Myrrhae rubrae* groſſe pulveriſat. Unc. 6. irrorentur *Liquor: Nitri fixi* Unc. 1. exacte cum ſpatula lignea agitata reponantur in cellam per 14. dies, quo *Myrrha* penitus ſolvatur. Affundatur tum *Aqua fervida* & agitetur maſſa; quieti tum relinquatur, donec ſedimentum depoſuerit craſſius. *Aqua* ſupernatans tincta ſeparetur, idque repetatur, donec affuſa aqua tingi deſinat. Omnis demum *Aqua* confuſa, *Myrrha* impregnata, moderato calore ad *Extracti* debitam conſiſtentiam evaporetur.

OBSERV. 2) *Piderit* ſumendum ſuadet breviter, *Myrrhae* rubr. groſſ. modo pulveris. Unc. 6. ſolvend. in *Aquae commun.* fervid. Unc. 36. quæ per biduum ſtent, & tunc inſpiſſetur *Liquor* ad *Extracti* conſiſtentiam.

OBSERV. 3) In ſtatu *phtiſico uſus Myrrhae*, vel plane eliminandus eſt, l. limitandus ſaltem.

EXTRACTVM NICOTIANÆ.

ſ. *Tabaci.*

Rec. Folia *Nicotianae*, quæ per noctem macerentur

Aqua frigida.

Aqua hæc macerationis, qua inutilis & noxia profundatur, recens vero iterum foliis iisdem adfundatur, & poſt macerationem noctur-

ſturnam invicem & longe quidem diutius, quam aliæ herbæ pro Extractis parandis ſolventur, & coquantur.

Decoctum hoc coletur denique, & per exhalationem inſpiſſetur. Si mellagineam acquiſiverit conſiſtentiam aquæ loco, vini parum adfundatur, denuoque leviter coqúatur, donec ad juſtam Extracti conſiſtentiam redactum fuerit. In vaſculo ab aëris injuriis probe munito, ne ſitum contrahat, probe muniatur. Ph. *Brunſuicenſis.*

VIS *pectoralis*, *anodyna*, *antiphthiſica*, *reſolvens*, *diſcutiens*, *irritans.*

USUS in *tuſſi pectorali* & *phthiſica*, *diuturna mitiganda*, *cohibenda*, a Granis 3 - 4. in *Aqua* quadam vinoſa ſoluta, mane in lecto: & ſi forte *nauſeam vomibundam excitaret*, mox, poſt *vini calidi aromatiſati*, & parum *ſacharati hauſtum*, ceſſabit.

In *febribus diuturnis*, *tertianis*, & *quartanis*; in *ictero*, *hydrope.* Ph. *Würtenb.*

DOSIS Grana 5 - 6. per ſeceſſum, & ſuperiora nonnunquam purgat.

OBSERVAT. Ph. *Roſſica* ſuadet præparationem e ſucco recens preſſo & colato Folior. *Nicotianae*, cæterum uti *Extractum Abſynthii.*

Pharm. *Suecica* præparat. *Extracti Nicotianae* præſcribit uti *Extract. Cortic. Peruvian. aquoſum*, ita ut ad primam coctionem addentur, *Aquae fervent.* Unc. 24. & tum ad ſecundam iterum Unc. 24.

Pharm. *Würtenb. Extracti Nicotianae* præſcript. præparatur e foliis *Nicotianae* integris exſiccatis per noctem, in *Aqua fontana*, Unc. 12. *Nicotianae* nempe in Unc. 72. *Aquae*, macerentur, mane infundantur cribro, ut Aqua effluat;

fluat; folia ita macerata & Aqua abluta in Unc. 120. *Aquae fontan.* magna ebullitione, ad dimidiæ partis conſumtionem, coquantur. *Decoctum albumine ovorum* clarificatum, valido igne & celeri ebullitione, ad *Extracti* conſiſtentiam inſpiſſetur.

Ablutio & Maceratio Nicotianae confert, ut particulæ *ſalinae acres* inprimis in hac prima maceratione extrahantur; *Ebullitio* fortis & *Coctio* longa, multa cum aqua, præſcribitur, ut *volatiles & vomitum* creantes particulæ cum vapore evoleat.

EXTRACTVM NVCVM JVGLANDIVM.

Rec. *Fructuum Juglandium* immaturorum Unc. 12.
coque cum
Aquae fontan. Unc. 48. cæterum præparatio
ſit uti cum *Extr. Abſynthii.* *Piderit.*

VIS *roborans*, qua *acre - amaricans* - quodammodo *aromaticum Extractum.*

USUS ubi *roborantia* conducunt.

Ad *lumbricos pellendos*, exhibentur *Extract.* Drachm. 2. in *Aquae Cinnamom.* Unc. 1. de quo liquore ab initio infantibus 2-3. annorum dantur, Guttæ 20-30. tum 40. & ultra pro ætatis conditione: cui dein ſubjungitur ſub uſu *decreſcentis* lunæ tempore, poſt uſum 6-8. dierum *purgans* quoddam. *Fiſcheri* obſervat.

OBSERV. Ph. *Roſſica* ſuadet *Nucum Juglandium* immatur: cum *Aqua* in vaſe ligneo piſtillo ligneo, contuſ. cæterum uti ſupra.

Pharm. *Suecica* præſcrib. *Nuces Jugland.* nondum matur. (ſ. ad finem menſis Julii collect.) cum *Aquae* tantillo mixti contundantur in vaſe ligneo. Liquor inde expreſſus parum vaporet donec ei mellis craſſitudo ſit, caute evitando empyrevma. Ex-

EXTRACTVM OPII,

ſ. *Thebaicum.* ſ. *Laudanum opiatum.*

Rec. *Opii thebaici* optim. Unc. 4. In fruſtula minutim conſciſſæ, in cucurbita vitrea ſolve *Aquae commun.*, *Succi Citri* recentis Unc. 6. *Acidulatae* Unc. 48. ſolvantur.

Solutio tunc decantata per chartam filtretur bibulam, & calore balnei moderato ad Extracti conſiſtentiam inſpiſſetur. Ph. *Brunſ.*

VIS *narcotica*, *anodyna*, *antiſpasmodica.*

USUS ad *leniendos ſopiendos dolores*, *ſpasmos - motus convulſivos*, *nervorum irritabilit.* infringendam.

In *odontalgia* Granum 1. *denti carioſae* cum uſu immittitur. *Plenckii* obſervat.

Præſcribitur *Opium* ob *vim* ſuam *narcoticam*, *ſopientem*, in genere, ubi *nervorum ſyſtema* in motu eſt præternaturali, in *hyperemeſibus*, ſ. *vomitu* nimio & *catharſibus*, in *diarrhoeis* nimiis, in *teneſmo*, *cholera*, ſi *materia irritans* antea probe evacuata ſit. *Piderit.*

Opii Grana 2 - 3. in *Aquae deſtillatae* Unc. 4. ſoluta, cochleatim ſumta, donec turbæ ſedentur, convenit eximie in *cholera*. *Swieten* obſervat.

Sic confert quoque in *ſpasmis hyſtericis*, *hypochondriacis*, in *doloribus* a calculo, *nephritide*, *colica*, in *tuſſi ſpasmodica*, ſi tenax antea pituita educta fuerit; & ad *fluxus ſanguinis* nimios ſiſtendos, ſi *ſpasmi* iis conjuncti ſunt, & pulſus jam magnus imminutus obſervatur.

In *morbis inteſtinorum* confert *Opium* ſed videndum eſt, ne ex copioſiori ejus uſu *pareſis inteſtinorum* oriatur, quod præcipue de *colica* valet *pictonum*, in qua quidem *Opium* laudatur.

Rite adhibitis ſimul cautelis *Opium* ſæpe confert in variorum morborum *diarrhoeis ſymptomaticis*, e.g. in *pleuritide*, *variolis* &c. conjunctis.

In

In *haemorrhagiis uteri* gravidi, uti in *doloribus* ad partum *ſpuriis* confert *Opium*, ob inſequens vero *puerperium*, *moderatus* ejus *uſus* ſemper debet eſſe.

A *ſpasmis ſanguinis fluxus* varii ordinarii interrupti uſu *Opii* provocantur, e qua cauſa *eruptio exanthematum* quoque promovetur, atque ea revocantur, ſi *depreſſa* apparent e pulſu debili, quo ſimul videndum eſt, ne *eruptio* impediatur a *vaſculis nimis turgidis*, quo caſu *opium* nocet.

Ad ſiſtendam *tuſſim intolerabilem* in *morbillis* confert, ſumma autem cum cautione.

In *maniacis*, *Opiata furorem* quidem immenſum mitigant; copioſus vero eorum uſus *melancholiae*, *maniae* rebelliori anſam præbet.

In *febrium vigiliis* caute uſus *opii* eſt inſtituendus, in plurimis caſibus plane evitandus, uti in *cephalalgiis*.

In *phtiſi tuſſim* quidem *tolerabiliorem* reddunt, blandum *ſomnum* conciliant, *diarrhoeas* ſiſtunt *opiata*; *obſtructiones* vero & *inflammationes* in *pulmonibus* uti & *febris* eo augentur, hinc ejus uſus non nimis liberalis eſſe debet.

In *ſphacelo ſenum*, *digitos* qui *pedis* corripit. Grana 3. *Extracti Opii* intra *nychthemeron* valde jam profuerunt; *Pottii* obſervat.

Purgantium cum *opiatis* miſcela, rationi quidem contraria videtur, laudatur tamen a multis; *Sydenhamus* quoque, poſt omnes *purgantium* & *vomitoriorum* motus, *opiatum* exhibuit.

DOSIS a Grano 1 - 2 - 4. una vice.

OBSERV. 1) In *dyſenteriis* inprimis *bilioſis* & *inflammatoriis* uſus ejus l. cautus l. nullus eſt: ab initio quidem uſus *opii dolores ſopiens* eo graviores excitat poſtea *dolores colicos*, febrem auctio-

rem, *majorem teneſmum* & *alvi obſtructiones*, quo dein *humores acres putridi* in corpore remanent. Convenit hinc magis *uſus opii* eo tantum tempore, ſi *dolores* & *febris* plane ceſſant, & e *debilitate inteſtina* tantum nimis ſunt *irritabilia*, atque *teneſmus* inde oritur; quo tum optime applicatio fit in *clysmatis* forma a Granis 2 - 3.

Opium nocet ſi *febris putrida*, l. *inflammatio*, l. *plethora* l. *turgeſcentia vaſorum* adeſt, uti in *affectibus arthriticis* & *podagricis*, quo *retrogreſſio morbi* ad *interiora* facile noxia oritur.

Ad *dolores imminuendos* male in *pleuritide*, & aliis *morbis inflammatoriis* a quibusdam commendatur, qua magis noxie quam proficue, obſervat. *Swieten*, *Pringle*, *Triller*, *Tralles*.

Uſus opii evitandus eſt in *febre variolarum ſuppuratoria*, in omni *febris* gradu nimio, in *febribus malignis* & ipſa *peſte*.

Externe dentium dolores ſopit, ſed hæc, uti ea methodus, quando *infantibus* ad *ſomnum* conciliandum datur, improbanda eſt. Cum *cauſticis* mixtum, *doloris* illius ſenſum, quem hæc excitant, valde mitigat.

OBSERVAT. 2) Ph. *Argentoratenſ.* & *Spielmann*, ſuadent *Opii thebaic.* groſſe contuſi quant. plac. cum affuſa *aqua ſimplici* ut leniter coquatur, usque dum liquor ſatis tinctus appareat, ſub continuo motu: liquor colatus vero, leni evaporatione, ad *Extracti* conſiſtentiam redigatur.

Plenck præſcribit ut *Opii thebaici* Unc. 4. ſolvantur in cucurbita vitrea, ſolutio per chartam emporeticam filtrata, leniſſimo balnei calore ad *Extracti* conſiſtentiam evaporetur.

Pharm. *Suecica*, præſcribit *Opii* contuſi Unc. 6. *Aquae fluviatil. fervid.* Unc. 8. ut digerantur donec *opium* dilutum ſit, & liquor calidus exprimendo

docolatus, balnei in maris calore redigatur ad juſtam craſſitiem.

Piderit præſcribit *Opii oriental.* optim. Unc. 4. fruſtula minutim ſciſſa, in cucurbita vitrea ſolvantur, in *Vini albi* Unc. 48. ſolutio filtrata leniſſimo igne ad *Extracti* formam inſpiſſetur.

OBSERVAT. 1) *Spielmannus Extractum opii cydoniatum, Langelotti*, præſcribit ex *Opii optimi* Unc. 16. quæ ſolvantur in *Succi cydoniorum*, & *Aquae fontanae* ana Unc. 60. Stent in loco temperato per aliquot dies, tunc colentur: colaturæ addantur, *Sacchari albi* Unc. 4. Omnis maſſa relinquatur *fermentationi*, quæ per plures menſes durare ſolet, quo temporis intervallo baculo ligneo ſæpe eſt agitanda materia, donec omnis motus inteſtinus ceſſaverit: trajiciatur tum liquor per pannum & evaporetur ad conſiſtentiam Extracti.

Opium fermentatione vi *nocendi privari*, medendi contra augeri putarunt varii Auctores, atque Extractum hoc reliquis omnibus *opium* adhibendi rationibus antepoſuerunt, ſin ipſo vero hoc *Extracto vim opii* eſſe imminutam; neque maximo labore quidquam eo obtineri, præterquam quod *grandior* ejus *doſis* ſit exhibenda, ſi quidem medicatas inde cupiamus experiri vires, quod evicit quoque *Tralles* in obſervat. de uſu *opii*, cui quoque conſentit *Spielmannus*.

OBSERV. 2) *Opium* continere vim *calefacientem* ac *acrimoniam* quandam, & excepta ſua *anodyna ſtupefaciente* vi, motum cordis & arteriarum promovere, atque hoc modo augere circulum *ſanguinis*, hinc in præparatione addita *aromata* magis nocent, quam profunt, minime corrigunt, quæ e valſa opinione, *opium* quaſi frigidam habere naturam, adduntur.

Pari modo *acidis.* ſ. conſueta *fermentatione*, non corrigitur *opium*, ſed e contrario partes volatiles potiorem continentes efficaciam avolant, & diſſipantur.

Extractum opii Vino l. *Aqua communi* præparatum ab omnibus impuritatibus eſt liberum, nec amiſit aliquid viribus ſuis, ſuperflua hinc ſunt alia additamenta uti *Succus cydoniorum*, l. *fermentatio* in præparatione neceſſaria. *Piderit. Pfingſt.*

OBSERV. 3) *Extractum Opii* ideo *Succo Citri* cicuratur, ut *partes reſinoſae*, quæ forte in decoctione irrepſerunt, eo magis ſeparentur, ut nullum fere effectum producant, & multo debilius opio ipſo, ut Gran. 3. idem præſtent, quod *opii* unum.

Extractio opii per *fermentationem* multo fortius quidam putant, ſimplici *opio*, ut Granum ejus Unicum, 6. hujus grana virtute ſuperet.

EXTRACTVM PANCHYMAGOGVM,

vide *Extractum Catholicum*.

EXTRACTVM PAPAVERIS ERRATICI.

Rec. *Capitum Papaver. erratic.* parum virideſcent. ante maturitatem, & decidentiam florum Unc. 12. conciſis & contuſis coque in *Aquae fontan.* Unc. 96. per horæ 1. ſpatium, ſacculo tum linteo immittantur, prelo ſuccus exprimatur; Reliqua uti *Extr. Abſynthii* præparatio fit. *Piderit.*

VIS *anodyna*, *ſopiens*, *paregorica*, *antiſpasmodica.*

USUS in *tuſſi acri*, ad *ſiſtendas diarrhoeas*, *ſpasmos*, ubi lene & blandum *paregoricum* requiritur, a Granis 6 - 20. adultis.

OBSERV. 1) Nocet *phtiſicis.*

Ex-

EXTRACTVM PERUVIANI CORTICIS
Aquoſum.

e *Cortice Peruviano* præparatur, uti *Extr. Cort. Caſcarillae.*

VIS *roborans*, *antiſeptica*, *antifebrilis*, *antiſpasmodica*, *antiverminoſa.*

USUS in *febribus intermittentibus*, tam-re-quam-irregularibus, uti & *ſoporoſis*: in *febribus* continuis *remittentibus*, *putridis*, *exanthematicis*, *malignis*, e. g. *petechialibus*, in ipſa *peſte*, in *febr. lentis*; in *debilitate fibrarum* & *nervorum* poſt morbos *chronicos*, in *tabe dorſali*; in *immoderatis pollutionibus nocturnis.*

In *omnibus morbis*, qui periodum ſervant certam, & a *latente febre intermittente* oriuntur, in *anxietatibus* e. g. cordis *palpitationibus*, *cephalalgiis*, *tuſſi*, *rhevmatismis*; ad *nervorum nimiam irritabilitatem* obtundendam; in *phtiſi pituitoſa*, *ulceroſa*, in non præſenti vero *inflammatione* inſigniori ea conjuncta, uti in *febribus inflammatoriis veris* & *exquiſitis nocet.*

Eximie confert ad *vermium fomitem eliminandum.*

In *gangraena* & *ſphacelo*. In *ſphacelo ſenum*, qui *digitos pedis* corripit, cum *Opii* extracto, *Pottii* obſervat.

In malo *hyſterico*, *hypochondriaco*; *convulſivo* præmiſſis *evacuantibus* & *reſolventibus*; in *tuſſi convulſiva*; in *fluore albo*, *haemorrhagiis* quæ a *debilitate* ſumma, l. cauſa *putrida* oriuntur.

In *vulneribus* & *ulceribus* interne ſumtus, *landabilem ſuppurationem promovet*, & a *gangraena* partes defendit. *Piderit.*

Doſis & *forma* adhibendi *Cortic. peruv.* eſt *Pulveris* forma ſ. in *ſubſtantia*; & ſi *imbecillior ventriculus pulverem* non fert, *Infuſio frigida*, *Decoctio*,

coctio, in qua partes *aromaticae* non tantopere avolarunt.

Infuſione frigida partes tantum *gummoſae* ſolvuntur - quæ conferunt in morbis, in quibus *ſubtiliores* tantum *partes balſamicae* deſiderantur, e. g. in *phtiſi*.

In *febribus intermittentibus Apyrexiae* tempore conducit, non tantis *doſibus*, ut *ventriculus* gravetur vel uti *Sydenhamus* ait, *febris* potius ſupprimatur quam ſanetur; & quidem ad *Werlhofium*, Drachma dimidia pulveris *Corticis* cum Granis 12. *Sachari* & Grano dimidio *Cinnamomi*, omni bihorio, quum 36. talium portionum utplurimum pro ſananda *tertiana benigna* ſufficiant.

Intermittentes enim dantur *febres*, quæ nullo modo *Cortici*, ſed aliis plane *remediis* cedunt. Quo propius *Torti* obſervat. *febres* ad *intermittentium* naturam accedunt, eo facilius *cortice* ſanantur, quo vero magis naturæ appropinquant *continentium*; ſ. *ſynocharum*, eo difficilius, & tanto majori prudentia opus eſt.

Pulveris formam qui faſtidiunt, illis facile poteſt redigi in *Electuarium* cum *Syrupo*, vel *Roob* convenienti. *Morſuli* quoque *Chinati*, infra deſcribendi e *Cortic. peruv. Sachar. alb.* condit. *Cort. Aurant.* & *Specieb.* pro *Morſul. Imperator.* ad *Morſulorum formam* ope *Aquae fontan.* redactis conſtantes, conducunt iſtis ægris, ſi primo a Medico præſente dijudicatum eſt, an *Aromata*, quæ hiſce Morſulis inſeruntur, ægro iſto tum temporis conveniant.

Morſuli enim iſtis quoque inſerviunt, qui *Aquis ſoteriis* utuntur, ad *ſtomachum roborandum* in die unus, duo, tresve.

Infuſio frigida commode ita inſtituitur, ut Unciæ 2. *Corticis peruv.* cum *Aquae frigidae* Unc. 12. per

per aliquot dies infundantur, vitrum interdum agitando & cum bacillo ligneo terendo, de quo infuſo omni bi - tri - l. quadrihorio Unc. 1 - 2. ſumantur.

Infuſio vinoſa Cortic. peruv. ex Unc. 6. *Cort. peruv.* cum *Vini* Unc. 72. eximie confert poſt *morbos ſuperatos*, ad *tonum partium reſtituendum*, & in corporis *debilitate* univerſali.

Decoctum, pro ſtatu morbi vario, modo ſaturatius modo tenuis paratur, ita ut *Cortic. Peruv.* Unc. 2. cum *Aquae fontan.* Unc. 48. ad quartæ partis remanentiam coquantur.

Extractum Cort. peruv. confert potius iis, qui aliam *corticis* formam plane nauſeant, uti *infantibus, teneris mulieribus* l. ubi *lenia roborantia* requiruntur, uti in *diarrhois*, in *ventriculi debilitate*, ſub uſu *aquarum ſoteriarum*, ad *hypochondriacorum ſymptomata mitiganda:* a Scrupulo dimidio ad Drachmam dimidiam.

Extractum hoc *Cort. peruv. aquoſum* ſolvitur vel in *Aqua deſtillata*, l. *Liquore* quodam *ſalino*, l. in *pilulari* forma.

Extractum Vinoſum Cortic. peruv. ob majorem copiam *reſinoſarum partium*, in eo contentarum, potentiorem habet vim *tonicam*, & hinc præfertur ubi *valentiora roborantia* indicantur, in eadem doſi uti aquoſum, aliis *roborantibus* ſæpius quoque commiſcendum.

In forma *Enematis*. ſ. *Clyſmatis* valet quoque *cortex* ad *verminoſos* ſtatus *ſopiendos*, etiam *febriles;* in *febribus* quoque *putridis*, *gangraenoſis* affectibus *ad ſphacelum* tendentibus.

Fomentationes e *Corticis peruv. decocto* paratis conducunt in partibus externis, *gangraena* & *ſphacelo* affectis, ſed in internarum quoque partium,

inteſtinorum *gangraena*, ſi *abdomen* iſto *Decocto* fomentatur.

Epithemata non tantum cum *Decocto cort. peruv.* facta, in *angina gangraenoſa*, ſed etiam *ſyringae* ope *gurgulioni* injecta, eximie conducunt. Vel in *Aqua*, l. *Aceto* l. *Vino*, *Cortex peruvian.* huic ſcopo hinc coquitur, & tali *Decocto* utplurimum adhuc alia remedia, e. g. *Sal Ammoniacum*, l. *Sal Cornu Cervi*, l. *Camphora &c.* adduntur. *Piderit.*

OBSERV. 1) *Corticis Peruviani* Unc. 12. larguntur *Extract. Aquoſi* Unc. 3. *Vinoſi* vero Unc. 6. *Extract.* ſolutum colorem e *claro* fuſcum habere debet.

Multum conducit ad Extracti hujus perfectionem majorem Extractio leni igne conſtituta, ſucceſſiva infuſio ac inſpiſſatio.

OBSERV. 2) In *Carcinomatibus* non multa facit, *Extr. Cort. Peruv.* & in *febribus catarrhalibus* magis nocet, quam prodeſt. *Piderit.*

In *febribus intermittentibus* cavendum, ne nimis cito adhibitus cortex febrem ſufflaminet, quum *febres* ſoporoſæ protinus ejus uſum poſtulent.

OBSERV. 3) Pharm. *Danica* ad *Cortic. Peruv.* inciſi Unc. 12. ſuadet *Aquae fontanae* Unc. 48. coquendi ad *Extructionem* omnis ſaporis: expreſſa poſt ſubſidentiam evaporandi ad conſiſtentiam *Extracti ſpiſſioris.*

Pharm. *Suecica* vero ſuadet ad Unc. 1. *Cortic. Peruv.* ſ. *Kinkinae* contuſ. Unc. 24. tantum *Aquae ferventis* addendi. Poſt unicam tantum ebullitionem lenem exprimendo ut coletur. Reſiduum coquetur iterum leniter ex *Aquae fluviatil.* Unc. 24. & exprimetur liquor, quod reiterandum eſt donec *Aqua* nullum ſaporem inde extrahat. Liquores colati commiſceantur, & bal-

balnei maris calore vaporent ad juſtam ſpiſſitudinem.

Pharm. *Londinenſis Extractum Cortic. Peruv. molle* & *durum* ita communicat, ut *Cortic. Peruvian.* pulveriſat. Unc. 12. cum *Aquae commun.* Unc. 120. coquantur per 1 - 2. horam liquor effundatur qui tunc *ruber* erit & pellucebit; ſi friget, flaveſcit, & turbidus fit. Eadem *Aquae* menſura iterum affuſa denuo coquatur, uti prius, coctionem repetens, donec liquor frigefactus maneat limpidus: liquores dein hi omnes mixti & colati ad juſtam craſſitiem igne leniſſimo vaporent, caute evitato empyrevmate:

Quale *Extractum molliori forma* ad *pilulas formandas* aptum eſt, & *duriori*, in *pulverem* teri ut poſſit.

EXTRACTVM PERUVIANI CORTICIS,

ſ. *Chinae*, *Vinoſum*.

Rec. *Cortic. Peruv.* elect. Unc. 12. inciſis affunde *Vini Rhenani* l. *Gallici*, l. alii generoſi antiqui Unc. 96.

Stent per 3. dies in digeſtione, exprime & ulterius præpara uti *Extr. Abſynthii aquoſum.*

Piderit.

VIS *tonica*, potenter *roborans* ob *partes reſinoſas*, *magis continens* quam *Extr. aquoſum.*

USUS vide *Extr. Cortic. Peruv. aquoſum.*

OBSERV. 1) Ph. *Edinburg.* ſuadet *Spiritum Vini* tenuiorem ſumendi.

Ph. *Roſſica Extr. Cortic. Chinae ſpirituoſum* ita præſcribit. *Cortic. Chinae* Unc. 12. cum *Spiritus Vini* rectificati Unc. 72. per biduum digere, tinctura colata ut ſpiſſeſcat ad mellis craſſitudinem. Reſiduus vero cortex ebulliat cum *Aquae commun.*

mun. Unc. 36. decoctum ad mellis ſpiſſitudinem revocetur. His mixtis leni fiat calore continuo motu *Extractum.*

EXTRACTVM PERUVIANI CORTICIS

gummoſum. ſ. *ſiccum.* Methodo *Garayana.*

Rec. *Cortic. Peruv.* optime triti Unc. 4. adfundantur,

Aquae fontan. fervent. Menſur. 4.

Concutiatur vas ſæpius de die. Inſuſum coletur per chartam bibulam, horis 28. Sic finitis, & evaporetur igne moderato ad Unc. 12. usque, quod poſt refrigerationem iterum filtretur. Colatum infundatur nunc patinis vitreatis bene amplis, fornaci imponendis, ut exhalet ad pulveris ſiccitatem, qui ſub forma ſquamularum nitentium tandem apparet. Pulvis hic bene ſiccatus cultroque abraſus conſervandus eſt: in vitro optime clauſo, ne aëris attactu humiditatem attrahat.

Idem eſt iſtud remedium, quod *Comes Gallus*, de la *Garaye* dictus, *Sal Eſſentiale Corticis* nuncupat, ejusque vires laudibus effert juſto majoribus, nec non magis laborioſam id conficiendi methodum, quam neceſſum eſt, in peculiari libro de hac re publicato tradidit. Ph. *Brunſuicenſis.*

OBSERV. ad Ph. *Roſſicam Extr. Cortic. Chinae* ſ. *Peruv.* ad mentem Comitis de la *Garaye* ſolo tritu, in officinis majoribus tantum *Petropolitana* & *Moſcovienſi* præparatur.

EXTRACT. PVLSATILLÆ NIGRICANTIS,

e tota Herba, rejecta tamen radice, vel e reſiduo ab *Aquæ deſtillata* præparatur uti *Extractum Abſynthii.* Ph. *Roſſica. Edinburg.*

VIS

VIS *reſolvens, diſcutiens.*
USUS in *cataracta*, *paralyſi*, *malo venereo*, *ulceribus malignis*; *Collin* aliorumque obſervat.

EXTRACTVM QVASSIÆ AQVOSVM.

e *Ligno Quaſſiae* præparatur, uti *Extractum Caſcarillae Corticis.*

Ligni-Quaſſiae Unc. 12. porrigunt tantum *Extracti* Unc. 1. *Piderit*, Ph. *Herbipolitan.*

VIS *tonica*, *roborans*, *anthelmintica*, qua *amara.*
USUS ad *ventriculi vitia* quam optime emendanda; *bilis inertiam corrigendam*, *pituitam incidendam*, *obſtructiones reſerandas*, *fibras roborandas*, *urinae excretionem promovendam*, & *vermes expellendos.*
Datur hinc in *dyſpepſia*, *anorexia*, *diarrhoeis variis*, *lienteria*, *cachexia*, *ictero*, *hydrope*, in *leucophlegmaticis affectibus.* Confert quoque *plethoricis*, non tam inſignem excitando calorem Extract. hoc.
DOSIS a Granis 15 - 30. in *Pilularum* l. *Elixirii* forma.
OBSERV. conducit in *defectu toni*, *roboris*, in *peculiari nervorum debilitate*; ſi excretiones non expreſſæ promovendæ l. ſiſtendæ ſunt; uti in *colicis* affectibus. *Selle.*
DOSIS Scrupulus 1. in fluido vehiculo.

EXTRACTVM RHEI.

ſ. *Rhabarbari compoſitum*,

ê Radice ſeparatim cum *Spiritu Vini* paratur, uti *Extract. Abſynthii.* ad Ph. *Herbipolit. Danic.* uti *Extr. Cort. Caſcarillae.* ad *Piderit.*
VIS *laxans alvum*; *corrigens bilem vitioſam*; *aperiens*; *roborans*; *diuretica* uti in *alvi fluxibus.*

USUS

USUS in *obſtruct. alvina;* pro baſi *pilularum*, ubi *aloetica* locum non inveniunt: eſt lenius quam pulvis *Rhabarbari* ſimplex.

In *ictero*, *viſcerum abdominalium obſtructionibus.*

DOSIS a Granis 20 - 30.

OBSERV. 1) *Nocet Hypochondriacis. Urinam* promovet, colore vero citreo eum tingit.

Inſervit pro baſi *Pilularum*, in quibus *fortiora ſtimulantia fugimus.*

OBSERV. 2) Ph. *Suecica* præparation. *Extr. Rhabarb. aquoſ.* communicat ad præſcript. *Extract. Cortic. Peruv. aquoſ.* ita ut ad primam coctionem addentur *Aquae fervent.* Unc. 24. & tum ad ſecundam iterum Unc. 24.

Pharm. *Würtenb.* & *Argentoratenſ. Extracti Rhabarbari ſimplicis* compoſit. ſuadent, extractionem inſtituendo Rad. *Rhabarb.* elect. cum *Aqua ſimplici*, & dein inſpiſſando.

Vis ejus vero eſt lente & tarde efficiens, hinc non tam valde efficax, quam pulvis *Rhabarb.* ſimplex.

EXTRACTVM RVDI,

vide *Extractum Catholicum.*

EXTRACTVM SATVRNI,

ſ. *Saturninum*, ſ. *Acetum Saturni*, ſ. *Lithargyrii concentratum.* ſ. *Balſamum Saturni*,

vide *Acetum Saturni.* ſ. *Saturninum ſimplex.* ſ. *Acetum Lithargyrii concentratum.*

VIS *antiphlogiſtica*, *diſcutiens*, *repellens*, ac ſimul *roborans* in *Aqua communi dilutum*, ſ. in *forma dilutiſſima:* in *forma pura adſtringens.*

USUS ad *tumores inflammatos*, *morbos oculorum: Extracti puri uſus* ad *Plenck* in *verrucis*, in *carne fungoſa.*

USUS

Uſus præcipue ad *Aquam vegeto mineralem* ſ. *Aquam albam.*

Vis & *Uſus* idem cum *Aceto Saturni*, de quo ſupra jam dicta ſunt: Cæterum inſervit pro *Emplaſtro Saturnino* hoc *Extract. Saturn.*

OBSERV. 1) *Extr. Saturni* eſt proprie ſolutio calcis plumbi in aceto; & qua magis concentrata a conſueto *Aceto Lithargyrii ſimplici* differt.

OBSERV. 2) *Internus uſus*, a quibusdam quidem in *gonorrhoeis*, *pollutionibus nocturnis*, in affectibus *phtiſicis*, temere laudatus, ſemper maximopere improbandus eſt, quum ſemper qua diriſſimum efficiat venenum. *Piderit.*

OBSERV. 3) Pharmac. *Herbipolitana* præſcribit, *Lithargyrii* ſubtiliter triti, Unc. 12. *Aceti concentrati* Unc. 30. In vaſe figulino vitreato coquantur leni igne ad dimidiæ partis conſumptionem, ſub continua cum ſpatula lignea agitatione; acetum ſaturatum per chartam filtratum ſervetur uſui, reſiduo novum affundatur acetum, & eodem coquatur modo, reiterando laborem, donec *Calx ſaturnina* ſoluta fuerit.

Pharm. *Brunſuicenſ.* præſcribit præparationem *Extracti Saturni*, e *Pulver. Lithargyrii* Unc. 12. *Aceti Vini optimi* Unc. 48. coquendi ad dimidias, leni igne colatum evaporandi donec *Extracti* ſic dicti Unc 9. ſuperſint.

OBSERV. 4) *Plenckii Extractum Saturni* eſt plumbum *Aceto* ſolutum & concentratum, quod inprimis inſervit ad *Aquam* ejus *albam*, ſ. *Aquam vegeto-mineralem*, ex *Aquae commun.* Unc. 12. & *Extract. Saturni* Drachm. 1. conſtantem, qua *egregium antiphlogiſticum*, in *omnibus inflammationibus* inprimis conducens, uti in *ophthalmia*, *angina*, *panaritio*, *inflammatione mammarum*,

marum, *haemorrhoidum*, *teſticulorum*, *vulvae*, *vulnerum*, *contuſionum*, *fracturarum*, *luxationum* &c.

Efficaciorem adhuc hanc *Aquam* deprehenſam eſſe, aſſerit *Plenck*, ſi cum farina *ſeminum Lini* in forma *cataplasmatis* applicetur, quo modo præparata *dolorem* citius *ſedavit* & *inflammationem* l. facilius *reſolvit*, aut in benignam ſuppurationem deduxit.

EXTRACTVM SATVRNI GOVLARDI.

Rec. *Minii* Unc. 5.
Aceti Unc. 90.

Coquantur ſub perpetuo motu per horam in vaſe terreo: liquor ad mellis conſiſtentiam redactus, decantatus aſſervetur.

VIS *adſtringens*, *diſcutiens*.

USUS *Extract.* hoc omnium *egregior. chirurgicorum remediorum*, ſuis locis deſcriptorum, baſin conſtituit.

OBSERV. *Lithargyrio* vix non ſemper *Aere* inquinato, *Minium* ſubſtituo, nec majorem *Aceti* rationem recipio, quam quæ ab *Aceto* poteſt diſſolvi, inquit *Spielmannus*.

EXTRACTVM STRAMMONII,
ſ. *Daturae*.

e Succo recens preſſo & colato folior. *Strammonii*, cæterum præparatur, uti *Extract. Acetoſellae*.
Ph. *Roſſica*, *Edinb. Würtenb. Herbipolitan.*

VIS valde *ſopiens*, *anodyna*. Atrum venenum *narcoticum*.

USUS in *dementia*, *mania*, *morbis convulſivis*. In affectibus *melancholicis*, *epilepticis* & *maniacis*, obſervat. *Störckii* præcipue, aliorumque, ſed caute in initio.

DOSIS

DOSIS a Grano dimid. ad 1-3. bis terve de die pro doſi.

OBSERVAT. 1) *Extracti* hujus Unc. 1. continet *Sal. culinar.* & *Tartari vitriolati* Drachm. 3.

OBSERV. 2) Ex uſu hujus *Extracti* inprimis in nimia doſi gravia & ſæpe periculoſa oriri ſymptomata, jam compertum eſt, e. g. *capitis obnubilationes*, & *gravitas*, *cephalalgia*, *vertigo*, *ſenſuum torpor*, *dolores rhevmatici*, *tuſſis*, *ſingultus*, languor totius corporis, *Gredingii* obſervat. *Ludwigii* vero non *ſopiens* ſolum ſed valde quoque *acre*, hinc in *haemoptyſi* & *languente expectoratione* evitandum plane eſt, nec temere imitanda ſunt *Störckii* obſervation.; qui in iſtis affectibus a Grana 8 - 20. qua non omnibus tam proficua doſi, *Extractum* præſcripſit.

OBSERV. 3) Pharm. *Suecica* ſuadet præparat. uti *Extr. Aconiti*, inprimis, ut ad primam inſpiſſationem ad mellis conſiſtentiam denuo pulvis tenuis foliorum *Aconiti* admiſceantur.

EXTRACTVM TABACI,

vide *Extractum Nicotianae.*

EXTRACTVM TANACETI.

e Herba cum Floribus *Tanaceti*,

uti *Extractum Abſynthii* præparatur.

Ph. *Roſſica*, *Danica*, *Herbipolitan.*

VIS *reſolvens*, *anthelmintica*, *antiſpasmodica*, *uterina*, *antifebrifuga*, qua *amara*.

USUS ad *vermes*, *obſtructos humores*, in *viſceribus*; ad *febr. intermittent.* ad *pituitam* in *ventriculo* - *inteſtinis* - *utero* - *reſolvendam*, ad *ſpasmos uteri mitigandos*.

OBSERV. *Optime* præparatur *Extr.* e Radicum & Herbæ ſucco expreſſo leni calore ad conſiſtentiam melleam.

Ex-

EXTRACTVM TARAXACI.

e Radice recenti tempore *vernali* vel *autumno effoſſa* præparatur cæterum, uti *Extr. Cichorei.* Ph. *Herbip. Suecica, Roſſica.*

VIS *roborans, reſolvens, ſtomachica, antiverminoſa, antiſebrilis,* qua *amara planta.*

USUS ad *vermes,* ad *arthritidem* qua ſpecificum; ad *acrimoniam humorum corrigendam, diluendam,* in *inveterata ſcabie,* in *morbis cutis pertinacibus, obſtructionibus viſcerum, febribus intermittentibus, ictero, hydrope,* in *obſtructionibus glandularum pertinaciſſimis.* Cæterum cum *Extracto Gentianae* convenit.

EXTRACTVM TRIFOLII FIBRINI.

e Foliis *Trifolii fibrini* paratur, uti *Extractum Abſynthii.* Ph. *Roſſica, Suecica, Danica, Herbipolitana, Piderit.*

VIS *antiſcorbutica, ſtomachica,* potenter *reſolvens, diuretica, diaphoretica.*

USUS ad *humores tenaces* & *obſtructos reſolvendos* per *urinam* & *ſudorem;* in *aſthmate, arthritide, ictero, hydrope, febrib. intermittentibus,* in *ſcorbuto, hypochondriaco malo,* in *vermium* affectibus, in *obſtruct. viſcerum* abdominis.

EXTRACTVM VALERIANÆ AQVOSVM.

e Rad. *Valerianae* præparatur.
uti *Extr. Jalappae* ad *Herbipolitan.* Ph.
& uti *Extr. Caſcarill.* ad *Piderit.*

VIS *antiſpasmodica, antihyſterica, ſopiens, mitigans, antiverminoſa.*

USUS ad *ſopiendam nimiam nervorum ſenſibilitatem,* ad *ſpasmos ſiſtendos, obſtructiones reſerandas.* Commendatur hinc a variis in malo *hyſterico, hemicrania, chorea* St. *Viti, epilepſia, ſpasmis variis,* & in *viſu debili.*

Qua

Qua *antiverminoſum* profuit *Störckii* obſervat. optime in forma *Linctus*. Rec. Radic. *Valerian. ſylveſtr.* Semin. *Cyn. elect.* ana Drachm. 2. Radic. *Jalapp.* Drachm. dimid. *Oximell. ſquillitic.* quant. ſuffic. ut fiat *Linctus :* Omni trihorio parvum cochlear detur.

DOSIS *Extract. aquoſi* a Granis 20 - 30.

OBSERV. 1) Sæpe *Extr.* hoc *aquoſum* cum *opiatis* bene combinatur, & ſi *anxietatem* ægris excitat, *Aroma* quoddam ei additum magis confert. *Piderit.*

OBSERV. 2) Pro inerti a variis prædicatur *Extr. Valerian. aquoſum*, quod vulgo vero oritur, ſi ad parandum *Extractum*, *Valeriana dioica* minus efficax pro efficaciori *officinali Linnaei* ſumitur; quæ *Extractum* valde efficax exhibet.

EXTRACTA varia parari poſſunt, e. g. *Elaterii; Fumariae; Polygalae amarae; Rutae; Squillae; Sennae; Cucumeris aſinini; Lactucae viroſae; &c.*

Qua plantæ officinales ſemper efficaces, eodem modo, uti jam ſupra recenſitæ paranda, *ſingula* cæterum *vires* habent *ſimplicium* vegetabilium, e quibus parata ſunt; & inſerviunt potius in hac forma ad *pilulas* conficiendas.

FARINÆ EMOLLENTES.

Rec. *Farin.* Semin. *Lini*,
--- --- *Fœnugraeci* ana part. æqual.
Miſceantur.

VIS *emolliens.*

USUS ad *paranda cataplasmata emollientia. Plenck.*

FARINÆ RESOLVENTES.

Rec. *Farin. Fabar.* --- *Hordei*, *Tritic.*

 Seca-

Secalis ana part. æqual. Miſceantur.
VIS *reſolvens.*
USUS ad *paranda cataplasmata reſolventia. Plenck.*

FEL TAVRI INSPISSATVM.

Rec. *Fellis Tauri* recent. quant. plac.
Evaporet in concha vitrea in *Balneo Arenae* ad *Extracti* ſolidi conſiſtentiam. Ph. *Auſtriac.*
VIS *reſolvens, abſtergens, cosmetica.*
USUS in *ictero*, in *defectu bilis*; in *ulceribus malignis*; in *ſcabioſis cutis vitiis*, uti in *herpete*; *impetigine*; *lenticulis faciei*; in *comedonibus infantum*; in *maculis hepaticis*; in *aurium morbis*, ut *ſurditate, ſibilio*; in *auribus purulentis*; in *aridura membri, paralyſi*; *tumoribus cyſticis*; in *gangliis*; *ſcrophulis*; in *tumoribus frigidis mammarum.* *Plenck.*
Aqua dilutum *maculas* & *pterygia corneae transparentis* delet. *Plenck.*
DOSIS Drachm. 1. quotidie interne. *Selle.*
OBSERV. 1) *Plenck Fel Lucii Piſcis* commendat qua *abſtergens, reſolvens*, in *corneae maculis* & *ulceribus*, in *cæcitate veſpertina*, in *dilatatione, pupillae ſuffuſione, amblyopia.* Commendat ad *Linimentum penicillo tenuiſſimo illinendum*, hocce modo e *Mellis deſpumati* Drachm. 2. *Fel. Lucii piſcis* Drachm. 1. *Sal vol. Cornu Cervi* Gran. 6.
OBSERV. 2) *Plenck Fel Muſtelae fluviatilis.* ſ. *Lacuſtris* ſuadet ita præparatum, ut hepar ex animali in vitro ſuſpendatur, calori ſolis expoſitum, quo tum pinguedo климат biliosa exſtillat guttatim & colligitur. Ob virtutem ejus *abſtergentem*, vi *ſaponacea ſolventem*, in *leucomate, pterygio, perlis* & aliis *corneae maculis* commendat *Plenck*, bis terve de die guttulam 1. alteramve oculo inſtillandi; Levamen dolorum ſi æger

æger ſentit, oculum tunc *Aqua Roſarum* eluendum præſcribit.

FERRI PRÆPARATIONES VARIÆ *Pharmaceuticae.*

1) *Ferri Limatura purificata* oritur, ſi impoſito limaturæ cribro magnes admovetur, ut trans cribrum limatura ſenſim attrahatur.

2) *Ferri Limatura praeparata* oritur, ſi *Ferri* limatura purificata reponitur in loco humido, ut fatiſcat in rubiginem, quæ in pollen tenuiſſimum teratur.

3) *Ferri ſquamae praeparatae* exiſtunt, ſi *Ferri ſquamae*, ad ſabrorum incudes reperiundæ, magnete admoto, purificentur. Magnes enim ſquamas tenuiores, puriores tantum attrahit, relictis craſſioribus minus puris. Ph. *Edinb.*

USUS ad *remedia varia compoſita pharmaceutica.*

FLORES BENZOES.

Rec. *Benzoen* pulveriſatam quant. libet, cum *Arenae* puræ partibus 6. l. æqualib. mixtam, immitte ollæ terreæ, cujus orificio imponatur conus fortis chartaceus ſat altus, igne leniſſimo ſublimatio tum ſuſcipiatur, flores tum albi nivei, cuculli lateribus adhærentes, ſaponis & odoris penetrantiſſimi, qui mutata ſingulis horis l. dimidiis pyramide chartacea, eousque colligendi, in vitro concluſi ſervandi, donec hiſce alii fuſceſcentes oleo inquinati ſuccedere incipiant; ab igne tum olla aufertur, frigefacta & contuſa maſſa immittitur retortæ vitreæ, & excipulo appoſito deſtilletur e *Balneo arenae.*

Flores tum prodibunt cum oleo nigricante odoris non ingrati, alembico chartaceo adhærente.

Flores dein finita deſtillatione, ope *Aquae fervidae* ſoluti, ab oleo ſeparentur, qui ex eadem frigefacta cryſtalliſati denuo auferuntur. Repetitur operatio quamdiu charta nullo inquinatur *Oleo*, quale *Oleum Benzoes* ſeorſim probe ſervandum eſt. Pharm. *Herbipolitan.*

Oleum, quod prodit butyraceum, in *Aquae fontanae* ferventis decuplo ſolvendum, ſolutionem tum ferventem per pannum, aqua calida madefactum, ut oleum remaneat, trajiciendum ſuadet Ph. *Würtenb.* Flores tum ex aqua refrigerata, chartæ bibulæ imponendos, & nullo l. leniſſimo calore ſiccandos & colligendos.

VIS Florum horum aciditate gaudentium, *reſolvens*, *diſcutiens*, *diaphoretica*, *nervina*, *balſamica*, *irritans*, *excretiones promovens.*

USUS ad *aſthma*, ad omnes *pulmonum affectus*; ad *coagulum lymphae mucido - ſeroſae ſolvendum*, & *ſudores promovendum*: utplurimum bechicis miſceantur remediis, & ad *Lac Virginis* inſervit.

DOSIS Grana 2 - 4 - 8. ex ovo ſorbili.

OBSERV. 1) Si *Benzoes* ſingulis Libris ante deſtillationem, *Spiritus Vini* Unciæ aliquod adduntur, collo retortæ bene purgato, obtinetur tum non raro portio *Olei Benzoini* fragrantis limpidiſſimi, inſtar *Aquae* excoloris.

Ph. *Herbipolitan. Auſtriac.*

Götling & alii ſuadent hancce compoſitionem, e *Gummi Benzoes* Unc. 24. *Sal Tartar.* Drachm. 6. *Aquae commun.* qu. ſuffic. coque invicem, & ſi *Sal* probe extractum eſſe videtur, quo *Sal Alcalinum* cum *Sale Benzoes* conjunctum eſſe videtur, hoc

Sal

Sal, *continens Gummi*, filtra. *Gummi remanens*, ſimplici aqua ablue denuo, & poſt filtrationem priori lixivio admiſce, adde quod dein ad *remanentiam* circiter Unc. 72. inſpiſſandum eſt. Huic liquori, *Sal Benzoes* cum *Sale Alcalino* junctum *continenti*, inſtilla *Acidi Vitrioli*, dilutum parum aqua, ad *ſaturationem* plenariam, ut coeat cum *Sale Tartari* fixo, & ſolum *ſalem benzoes* inſtar materiæ *flaveſcentis*, *ſplendeſcentis*, *unguinoſae* relinquat.

Hoc magma ſuper chartam bibulam reponatur & copioſa *Aqua frigida* elixivetur, ut omnis enata quant. *Tartar. Vitriol.* ſolvatur. Denique hoc *Sal Benzoes* irritatum vitro capaci, coquatur in aqua ſuffic. filtretur & ad *cryſtalliſationem* reponatur, quo *pulcherrimi cryſtalli argentei* oriuntur. Poſt plenariam refrigerationem evaporatur reliquum fluidum in *Balneo arenae*, ad *Benzoe*, in eo contentum, in *cryſtallos* redigendum. Quales *flores* excocti inſerviunt ſemper ad *ſuffimigia*, ſ. ad præparat. *Olei Benzoes.* Cæterum hoc modo acquiruntur ex Unc. 12. *Gummi Benzoes* bonæ notæ, *Flores Benzoes* Drachm. 16 - 17.

OBSERV. 2) *Schele* utitur loco *Sal. Tartari*, *Aquam Calcis* ad excoctionem *Reſinae Benzoes* non tam fortem, & multo majorem *Aquae* portionem requirentem.

FLORES MARTIALES,

ſ. *Ens Veneris.*

Rec. *Colcotharis Vitrioli Martis* loti & bene exſiccati,
Salis Ammoniaci ana quantum placet,
Bene mixta ſublimentur. Ph. *Edinburg.*

VIS *adſtringens, tonica, attenuans.*

USUS ad *roborandas partes*, in *atonia partium, cachexia*, & *hyſtericis - hypochondriacis affectibus.*

DOSIS Grana 2 - 3 - 10.

OBSERV. Pharm. *Londinenſ.* ſuadet *Colcotharis Vitrioli* viridis, loti, vel *Limaturae ferri* Unc. 12. *Salis Ammoniaci* depur. Unc. 24. Mixta ſublimentur e retorta, &, quod in retortæ fundo reſtat, cum floribus ſimul terendo miſce, iteramque ſublima, ut flores colorem pulchre flaveſcentem acquirant. Reſiduo dein addere licet *Salis Ammoniaci* Unc. 6. & ſublimationem denuo inſtituere, idemque repetere, quamdiu flores bene colorati ſunt.

FLORES SALIS AMMONIACI SIMPLICES.

ſ. *Sal Ammoniacum depuratum.*

Rec. *Salis Ammoniac.* quant. plac.

In ſufficienti quantitate *Aquae calidae* ſolve. Solutionem filtra; evaporatione tum congrua exponatur in loco frigido cryſtalliſationi.

Cryſtallos niveos collectas, exſicca, lixivium perge evaporare pro ulteriori cryſtalliſatione, & donec nil amplius cryſtalliſetur.

Ph. *Herbipolit. Auſtriac. Argentorat.*

Plura vide *Sal Ammoniac. depurat.*

VIS *aperiens, ſtomachica, febrifuga, diaphoretica.*

DOSIS a Granis 3 - 4 - 10. & ultra.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.

ſ. *Sal Ammoniacum martiale.*

Rec. *Haematitid.* Unc. 2. pulveriſantur in mortario ferreo, cum

Spiritus Salis culin. acidi Unc. 2. quibus adde

Sal. Ammoniac. pulveriſat. Unc. 12.

Mix-

Mixtum tum in cucurbita ſatis capaci & alta ſublimatur igne congruo forti, e *Balneo Arenae*, chartaceo epiſtomio tantum munienda. Flores quo tum ſe manifeſtant in altitudine *cucurbitae*, colore aurantio ſunt tincti ad *Goetling* præſcript.

VIS *reſolvens*, *aperiens*, leniter *adſtringens*, *incidens*, *tonica*, *anodyna*.

USUS ubi *roborandum* eſt in *abdominalium viſcerum obſtructionibus*, in *chloroſi*, in *cachexia*, *laxitate*, in *vermibus ſpecifice*, *hydrope*, *ictero*. Specifice laudatur ad *rachitidem*, *ad febres intermittentes*, *cephalalgias*, *menſium ſuppreſſiones*, *lumbricos*, ad *tonum ventriculi* reſtituendum, & *appetitum* excitandum.

In morbis ab *atonia* ſolidarum, & viſciditate fluidarum partium conducunt.

Externe in *ulceribus cancroſis* in & externe, ad Drachmas aliquot quotidie. *Selle.*

Spiritus urinoſus hic acquiſitus convenit *Spiritu Salis Ammoniaci* cum *Calce viva* parato: & ejus loco quoque adhibetur.

Cæterum ad *Eſſentiam* martialem parandam adhibetur. *Oleo Martis* vix utuntur medentes, cum medicamentum ſit rodens.

DOSIS in tenera ætate Gran. dimid. In adultioribus a Gran. 5 - 30.

OBSERVAT. 1) Caute cæterum adhibendi ſunt hi flores, ob vim *narcoticam*, *hebetantem facile*, in larga doſi, a *Sulphure vaporoſo* cum *Sale volatili* ſubacri explicito.

OBSERV. 2) *Spielmannus* ſuadet *Sal. Ammoniac.* Unc. 16. ad *Limatur. ferri* Unc. dimid. Cæterum uti ſupra.

OBSERV. 3) Loco *Haematitidis* confert quoque *Limatur. ferri* Unc. 1. ſ. *Croc. Martis* e *Vitriolo*

præcipitat. Unc. dimid. In omnibus reliquis præſcriptionibus, in diſpenſatoriis cæterum obviis, copia ferri ſemper eſt nimia, quo nimia pars *Sal. Ammoniaci* diſpergitur & perdit. Hacce ſuperiore præſcriptione nil perdit, ſi *Haematites* antea ſ. *Crocus martis* cum *acido Sal culinar.* teritur ad pulverem.

Wiegleb ſuadet tantum *Sal. Ammoniac.* Unc. 8. *Limatur. Mart.* Drachm. 6. miſcendi.

Alii præparant tantum e *Sale Ammoniac.* ſimplic. Unc. 72. cum *Croc. Martis* Unc. 3. *Spiritus Sal commun. acidi* Unc. 2. Mixta ſublimandi.

OBSERV. 3) Ph. *Würtenb. Herbipolitan. Auſtriac.* commodam adhucdum communicant præſcriptionem hancce. Rec. Pulver. ſubtiliſſ. *Limatur. Martis*, puriſſ. ſ. *Lapid. Haematitid.* part. 1. *Salis Ammoniac.* depur. part. 2. Pulveres hi optime mixti & cucurbitæ vitreæ commiſſi, aliquamdiu loco frigido repoſiti, impoſito alembico roſtrato, ex *arenae balneo* gradatim aucto ſublimantur; quo tum in initio prodibit portio parva liquoris *ſalini* penetrantiſſimi, *alcalini* volatilis, vitro qui capitelli roſtro appenſo excipiatur.

Flores tum ſequuntur ſubflaveſcentes teneriores alembico, igne ſatis tenſo craſſiores & graviores, luteo rufeſcentes, ſ. ferruginei, cucurbitæ ſaltem lateribus adhærentes, capite mortuo in fundo relicto, coloris fuſco nigricantis, quod aëri humidiuſculo per quoddam expoſitum tempus, quoad partem in *liquorem acerrimum, Bodium*, ſ. *Olei Martis* nomine, dein ſubfuſcum valde ſtypticum reſolvitur, qua valde *adſtringens* & iſchæmum externe.

In *Spiritu Vini* ſi modica hujus portio ſolvitur, acquiritur tum *Tinctura Martis adſtringens.*

Flo-

FLORES SVLPHVRIS.

Rec. *Sulphur. Citrin.* in fruſta diffracti,
Arenae lotæ ana quant. plac.

Mixta immittantur in cucurbitam vitream, ſuperimpoſito alembico, cujus roſtrum probe & arcte eſt immittendum, ad aëris acceſſum avertendum. Congruo dein ignis gradu non nimis intenſo, ſublimentur omnia, ſuperimpoſitis vaſculis *ſublimatoriis* duobus - tribusve; probe tum obſervandum, ut, remota priori, alterum ſubito imponatur, atque labor continuetur, donec *Florum* ſufficiens collecta fuerit copia nec plane iterum diffluant. Pulvis tum flavi coloris tenerrimus, finita ſublimatione, ex alembico abſtergitur, pennæ anſerinæ ope, uſuique tum ſervatur. *Piderit.*

VIS *Interne reſolvens, incidens, excitans circulum, diaphoretica, carminativa, anthelmintica, purificans.*

USUS *Externe ſiccans, repellens, ſanans;* ad *ſcabiem* aliorumque *exanthematum chronicorum eruptionem* l. eorum *retrogreſſionem promovendam;* ad *haemorrhoidales affectus:* in *obſtructione hepatis - venae portae* cum *Cremore tartari.*

In *morbis pectoris*, e. g. *tuſſi, aſthmate, phtiſi;* in *obſtructionibus pulmonum.*

In *affectibus arthriticis, podagricis, rhevmaticis, catarrhalibus,* ſi *muci tenacitas, humorum copia phlegmaticorum, ſuppreſſa transpiratio, retrogreſſa exanthemata,* l. *ſanguinis,* e. g. *haemorrhoidum ſuppreſſio,* cauſa ſunt proxima.

In *obſtructionibus glandularum meſaraicarum,* in *atrophia, rachitide infantum,* uti in ſtatu eorum *verminoſo* valde confert.

In *ulceribus foetidis.*

DOSIS. *Flores Sulphuris* - præ *Sulphure crudo* ſelectiori, *acidum* fortius continentes, dantur à Granis 4 - 10 - 20.

In *ſcabie retrogreſſa largior* quantitas, a Granis 30 - 40. neceſſaria.

In *phlegmaticis* Grana 60. ſæpe requiruntur.

Infantibus verminoſis l. *Sulphuris flores* l. *Aethiops antimonialis* datur, a Granis 4 - 10. cum dupla *Sachari* parte, uti in *obſtructionibus glandularum meſaraicarum*, in *atrophia*, *rachitide*.

Lac Sulphuris, qua *mitioris* indolis, quam *Flores Sulphuris*, *largiori* ſemper exhibetur *Doſi* a Granis 20 - 30. *Piderit.*

OBSERVAT. 1) *Foetor fecum alvinarum* & *ſudor*, *ſulphuris* ſolutionem ab humoribus noſtris, luculenter demonſtrant, ab aſſumpto *ſulphure*. Hinc Medici olim omnem morborum fomitem per has vias expellendam eſſe credebant, nimioque ejus uſu magis nocuere quam profuere. *Temperatiori methodo ſulphuris* laudes minores evaſerunt. *Interne* enim datum, *ſulphur ſanguinem* valde *expandit*, *circulum* ejus auget, *mucum* tenacem incidit, *ſanguinis fluxum promovet*, uti & *exanthemata* ad *eruptionem promovet*; *flatuum* exitum facilitat, *obſtructiones* ſolvit *ſeroſas*, & ad *optima* refertur *anthelmintica*, quorundam obſervationibus. Confert hinc eximie *ſulphur*, in omnibus morbis ab hiſce cauſis ortis. *Piderit.*

2) *Lactis Sulphuris* uſum laudat eximie *Werlhof* in *leucophlegmatia*, poſt *febrem ſcarlatinam* facile orientem.

3) *Sulphuris* quoque uſus eximius eſt in *morbis metallifodinarum*, qui talia tractant metalla, partibus *ſaturninis*, *mercurialibus* & *arſenicalibus* inquinata. Sicut *Sulphur*, *mercurialibus* junctum, ſiſtendi & prohibendi ſalivationem, quam hæc excitant, vim habet. 4)

4) *Sulphur temperantibus* ſæpe utiliter miſcetur e. g. *Nitro*, inprimis ſi *ſanguinis profluvia* non impetuoſe revocanda ſunt. In quibusdam caſibus *aliis calidis*, e. g. *Myrrha*, vis *Sulphuris pellens* augetur. *Piderit.*

5) Ob *vim ſulphuris* valide *ſiccantem*, *repellentem*, & *ſanantem*, caute in *unguentis* illis *ſulphureis*, quæ contra *ſcabiem* valent, adhibendæ ſunt *flores iſti ſulphuris; & inprimis humoribus peccantibus* antea probe eductis & correctis.

Irritans quoddam ad *Pringle* obſervat. quod nimis ſubitam aliquo modo præcavet retropulſionem, unguentis iſtis additur. Ab aliis vero *unguenta mercurialia*, *ſulphureis* ſemper præferuntur & qua ſecuriora cenſentur.

Suffimenta e *ſulphure*, l. *veſtimenta ſuffimento ſulphureo impraegnata*, in *ſcabioſis* quoque probe *evitanda* ſunt, *materiam peccantem* noxiam facile retropellentem. *Piderit.*

6) In *plethora* & *bilis ſaburra ſulphurea ſugienda* ſemper ſunt.

7) Labor hic cum ſit valde *taedioſus*, florumque id genus in propriis hominum, huic negotio deſtinatorum, officinis magna parentur copia, *Pharmacopaei* inde ſibi eos comparare utplurimum conſultius ducunt. In propriis officinis in *Anglia* & *Belgio* parati, recipiuntur in officinas.

8) Pharm. *Londinenſ. Flores ſulphuris lotos* præſcribit hocce modo; ut *Floribus ſulphuris* affundetur *Aqua* ad altitudinem 4. digitorum ſupra flores, & coquantur aliquamdiu; haec aqua effundetur tum, & frigida affuſa penitus abluetur, flores tum ſiccentur ad uſum.

Flores

FLORES ZINCI,
ſ. *Calx Zinci*, ſ. *Luna fixata Ludemanni.*

Rec. *Zinci* in fruſtula redacti Unc. 12.

Immitte in crucibulum cylindricum oblique poſitum, Librarum Aquæ duarum capax, operculo probe tectum; & in furno fuſorio carbonibus circumdatur, ad *Zinci* fuſionem plenariam. Operculum ſi de crucibulo tunc elevatur, aëris acceſſu, *Zincum* cum *fumo inflammatur*, qualis *fumus*, ad crucibuli latera adjacet, inſtar *levium* & *alborum floſculorum.*

Floſculi iſti ſuperficiei metalli innatantes, cochleari ferreo recipiuntur ſubtiliter, & nil de inferioribus in crucibulo; tamdiu labor continuatur, crucibulum operculo tegendo, & intra 5 - 6. minutarum ſpatium, iterum elevando, usque dum *floſculi albi - lanuginoſi* non amplius appareant, qui diſperguntur in lamina ferrea & cuprea, ad refrigerium plenarium.

In exemptione horum florum ſuperficies *Zinci fluentis* plerumque tangitur ſpatula, quo tum denuo *Zincum* ardere incipit, & oritur æqualis copia calcis lanuginoſæ; *inflammatio* & *origo calcis zinci* continuatur, tamdiu, donec tota copia *zinci* in iſtam mutata ſit calcem.

Attactus cum ſpatula in ſuperficie *Zinci fluentis* eſt eſſentiale requiſitum, ſine eo *Zincum* manet ſemper in ſtatu *fluiditatis* in *crucibulo*, ſine *inflammatione* & *transmutatione* ad *flores.*

Flores Zinci ſumma quoque cautela eximendi ſunt e *crucibulo*, ne nil ab *inflammato metallo floribus* miſceatur. *Götling.*

OBSERV. Poſt *calcinationem* quantitas *Florum* ſ. *Calcis* major eſt quam *Zincum* prius ſumtum, interdum quarta pars augetur. *Abich* & *Götling* obſervat.

Flo-

Flores hi, ſin ſatis *albi* non ſint, per parvas portiones injiciantur ſucceſſive in aliud *crucibulum candens*, & *calcinentur*, ut *phlogiſton* adhuc *adhaerens* conſumatur, ſicque *albeſcant* debite. *Zincum* ex *Oſtindia* exhibet tantum tales *flores albos.*

VIS *interne tonica*, *antiſpasmodica*, *antiverminoſa*, *antepileptica*, *diaphoretica*; potenter *externe exſiccans*, *roborans*, *refrigerans*, *adſtringens*, *ſliptica*, *vulneraria.*

USUS *Interne* ad *vermes necandos*, *convulſiones* & *epilepſiam auferendam*, a Gran. 1 - 12. *Gaubii* & *Percival* obſervat, etſi quidam incaſſum adhibuere, & excitavit in quibusdam *vomitus* aliaque *ſymptomata.*

In *ſpasmis*, in *malo hyſterico*, & *hypochondriaco* confert quoque.

In *inflammationibus oculorum* & *lippitudine* eorum, ſi cum *Aqua Roſarum* pro *collyrio* adſtringente miſcentur.

Externe ob *vim exſiccantem* & *roborantem* confert eximie ad *partes laxas*, *debiles vaſorum*; ad *unguenta* varia *ophthalmica*, quæ in *oculorum lippitudine* & *ophthalmiis valent ſeroſis*, caute adplicata; *Gaubii*, *Hort*, *Swieten* obſervat.

In *intertrigine*, ad *unguenta exſiccantia*, ad *excoriationes* varias *mammarum* & *cutis*, in *morbis chronicis*, l. qua *pulvis ſiccus inſperſus*, l. ad *unguentum redactum*, cum *Albumine ovi* & *Spiritu Vini*, ſ. *Aqua ſimplici.*

Calx hæc metallica ad Scrupul. 1. in Uncia 1. *Aquae Roſarum* diluta *collyrium* conſtituit *antiphlogiſticum.*

OBSERV. 1) In præparatione *Florum Zinci* omnis ſemper cautela probe eſt obſervanda, *fumus* enim e *Zinco* a pulmonibus exceptus, *haemoptiſin* facile excitat.

OBSERV. Ph. *Edinburgenſ.* ſimplicem hancce habet præſcriptionem. *Crucibulum* Unc. 24. *Aquae* capax, tegula opertum, in *furnum* colloca, ore ejus parum verſus oſtium inclinato. Carbonibus circumpoſitis ignem accende, ut vaſis fundus mediocriter candeſcat: ablato tum tegulo, injice *Zinci* circiter Drachmam, caveas ne intra carbones incidat.

Paulo poſt, per oſtium furni apertum crucibubuli fundum inſpiciens, videbis *Zincum* ardere, & in *calcem flocculentam comburi*, *ſpatula ferrea* hanc dimove de metalli ſuperficie ſæpius, ut hoc *prorſus* comburatur, e *crucibulo* tunc cochleari aufer, & plus *zinci* adhibens opus iterato ad lubitum.

Ph. *Brunſuicenſis* ſimplici plane quoque modo præſcriptionem communicat e *Zinci fruſtis* qu. plac. immittendis intra prunas *collocato crucibulo*, igne moderato: *Flores* ſuperficiei metalli innatantes cochleari *aereo*, l. *argenteo* eximantur, donec omne *metallum* conſumtum fuerit: ita ut *zincum* tantum fumet, non vero ad *fluorem* deducatur, cui aliud imponatur *crucibulum capaciſſimum*, cujus internæ ſuperficiei colligantur, poſteaque *Aqua fontana* probe eluantur, ut *zinci* particulæ integræ, floribus frequenter admixtæ, ſeparentur.

FOMENTVM ANODYNVM RICHARD,

ſ. *Fomentatio.* ſ. *Species* ad *Fomentum Anodynum.*

℞. *Folia Altheae* Unc. 1. & dimid.
Papaver. hortenſ. Drachm. 3.
Herb. *Hyoſciami* Drachm. 2.

Inciſa coque cum *Aquae commun.* Unc. 48. ad remanentiam Unc. 40.

Liquor expreſſus aſſervetur. *Spielmann.*

VIRES

VIRES & USUS *chirurgicus* ex inſcriptione patent.
OBSERVAT. Pharm. *Pauper. Edinburg.* præſcribit *Capit. papaver. hort.* Unc. 1. *Flores Sambuc.* Unc. dimid. *Aquae fontan.* Unc. 36. coquendi ad Unc. 24. & colandi.

FOMENTVM ANTIPHLOGISTICVM.

Rec. *Saponis venet.* Unc. 3. ſolve in
Aquae Calcis vivae Unc. 124. quibus adde
Spiritus Vini Unc. 5.
Sief albi Rhazis Unc. dimid.
Miſce. *Piderit.*

VIS *reſolvens*, *incidens*, *diaphoretica*, *excretiones promovens*, inprimis *lochia.*
USUS ad *uteri* & *viſcerum* aliorum *abdominalium inflammationes* calide, *linteis* ſemper bene expreſſis ſummo cum fructu applicatur, uti & in *uteri inflammationibus*, a *partu* difficili. *Piderit* obſervat.

FOMENTVM AD ERYSIPELAS.

Rec. *Flor. Sambuc.* Unc. dimid. infund. in
Aquae commun. Unc. 16. per noctem, colatura diſſolvatur,
Spiritus Vini Camphorati Unc. 1.
Sachari Saturni, Drachm. 1.
Servetur uſui. *Spielmann.*

VIS & USUS *chirurgicus* caute ſemper adplicandus, e nomine patent.
OBSERV. ante applicationem probe eſt concutiendum.
OBSERVAT. 1) *Fomentationem ſiccam* ad *Eryſipelas* præſcribit *Plenck* e *Farin. Fabarum*, Manipul. 2. *Flor. Sambuc. Chamomill.* ana Manipul. 1. Miſceantur & fiat pulvis.
Uſum ejus commendat ad *eryſipelas diſcutiendum*, transpirationem ejus acrem dum auget, & abſor-

ſorbet; ſubinde *camphora* additur, *alcohole vini* in pulverem redacta. *Plenck.*

FOMENTVM FRIGIDVM SCHMVCKERI.

Rec. *Aquae fontan.* Unc. 120.
Aceti optimi Unc. 12.
Nitri depurati Unc. dimid.
Salis Ammoniac. Unc. 2.
Miſceantur. *Spielmann.*

VIS *refrigerans.*

USUS ad *fomenta frigide applicanda*, in *vulneribus capitis, cum cerebri commotione, humorumque effuſione* juncta, *Schmuckeri*, & ad *hernias incarceratas Plenckii* obſervat.

FOMENTVM AD GANGRÆNAM RICHARDI.

Rec. *Cortic. peruv.* groſſe pulveriſat. Unc. 1. coque
Aquae fontan. Unc. 48. ad remanent. Unc. 32. quibus addentur.
Florum Chamomill. roman.
Tanaceti vulgar. ana Unc. dimid. poſt ebullitiones aliquot coletur liquor, quibus addantur
Spiritus Vini Camphorat. Unc. 2.
--- *Salis Culinar.* Unc. 1.
Miſceantur tum. *Spielmann.*

VIS & USUS *chirurgicus* e nomine patent.

Variae caeterum exſtant

PRÆSCRIPTIONES AD FOMENTA.

Præcipuæ ſunt *Plenckii*, & *Ph. pauper. Hamburg.*

Plenckii præſcriptiones præcipuæ ſunt.

Fomentum e *Herbis cephalicis*; & quidem, e *Specieb. cepalic.* Manipul. 2. infundend. *Vini albi calidi* Unc. 24. ſtent per dimid. horam in loco calido, ad

uſum in *contuſionibus capitis*, *faciei* aut *oculorum*, qua *egregie reſolvens.*

Fomentum e *Herbis amaris* & quidem e *Specieb. amaris* Manipul. 1. *Aquae fontan.* Unc. 24. coquendi mixtis prius.

Qua *potens reſolvens*, cum *Spiritu Terebinthinae* mixtum, *ulcera* & *vulnera verminoſa* ab his infectis liberanda & ſananda.

Fomentum emolliens & quidem, e *Speciebus emollientibus* Manipul. 1. *Lacte* Unc. 12. mixta coquendi, & *uſum* adhibendi, ad *inflammationes* & *indurationes reſolvendas*, & *ophthalmiam humidam curandam.*

Fomentum adſtringens ex *Aquae Calcis* Unc. 24. *Sachari Saturni* Drachm. 2. Mixta adhibendi, ubi partes *relaxatae contrahi* & *roborari* debent, uti in *varicibus*, *hernia*, *oedemate*, *prolapſu*, *laxitate articulationum.*

Fomentum martiale e *Martis ſolubilis* Unc. 1. *Aquae fontan.* Unc. 24. mixta ſolvendi: & adhibendi qua *fomentum adſtringens*, ad *laxitates articulationum*, *oedemata* & *varices.* *Plenck.*

Fomentum e *Herbis reſolventibus* & quidem, e *Specieb. reſolventib.* Manipul. 2. *Aquae fontan.* Unc. 24. mixta coquendi, cujus

Uſum Plenck commendat, qua *efficacius reſolvens* ſi loco *Aquae fontanae* cum *Oxicrato*, l. *Vino aquato* l. *Aqua vegeto - minerali* paretur.

Fomentum commendat *Rubrum* e *Pulver.* ad *eryſipelas* Drachm. 1. *Vini rubri* l. *albi* Unc. 12. Mixta coquendi, ad *uſum* in *omni inflammatione*, a cauſa externa, qua *egregium fomentum diſcutiens.*

Fomentum e *Faecibus Vini*, nempe e *Faecib. Vini* recentib. Unc. 12. *Aquae fontan.* Unc. 24. mixta coquendi.

Uſum fomenti hujus *roborantis, reſolventis* ac *putredini reſiſtentis*, in *fracturis* cum valida *contuſione* & *gangraenoſa inflammatione* complicatis, qua *efficaciſſimum* commendat *Plenck.*

Pharm. pauper. *Hamburg.* præcipuæ præſcriptiones ſunt. *Fomentum antiſepticum.* e *Cort. Quercus* Unc. 1. coquendi in *Aceti Vini* quant. ſuffic. ſub finem addendi Herbæ *Rutae-Scordii* ana Drachm. 2. *Sal. Ammoniaci* Unc. dimid. *Colatur.* Unc. 18. Mixta adhibendi uſui, qua *antiſepticum.*

Fomentum diſcutiens e *Sale Ammoniac. crud.* Unc. dimid. *Aquae fontan.* Unc. 12. *Spiritus Vini* rectificat. Unc. 2. *Extr. Saturni* Drachm. 2. Miſcendi uſui, qua *diſcutiens.*

Fomentum refrigerans ex *Aquae vegeto-mineralis Goulardi* Unc. 18. *Spiritus Vini rectificat.* Unc. 3. *Spirit. Vitr.* Unc. 1. Miſcendi uſui qua *refrigerans.*

Fomentum reſolvens e *Balſam. vitae extern.* Unc. dimid. *Aquae fontan.* Unc. 12. Mixturæ addendi *Sal Ammoniac.* depur. Drachm. 2. Uſui *reſolventi.*

Fomentum roborans, e *Cortic. Quercus* Unc. 1. & dimid. *Aquae fontan.* Unc. 36. coquendi ad Unc. 24. Colatur. addendi *Alumin.* Drachm. 3. miſcendi uſui *roboranti.*

FVNGVS PRÆPARATVS,

vide *Spongiae praeparatae.*

GARGARISMA AD APHTHAS ALLEN.

Rec. *Terrae Catechu* Drachm. 3. coque in
Aquae Calcis vivae Unc. 12. colatur. Unc. 10.
adde
Sachari Saturni Scrupul. 1.
Mellis deſpumat. l. *roſati* Unc. 2.
Miſcendi uſui.

VIS & USUS e nomine patent: *inprimis* in *laxitate faucium, uvulae*, ac *amygdalarum.*

DOSIS cochleatim.

Gar-

GARGARISMA ADSTRINGENS.

Rec. Rad. *Biſtort.*
Herb. *Agrimon* - *Vinc.* per *Vinc.*
Flor. *Malv. arbor.* - *Balauſtrior.* ana Unc. 2.
Inciſis fiant Species: Drachm. 2. ejus coquendæ in *Aqua fontan.* Unc. 1.

VIS *adſtringens.*

USUS ad *cruentationes oris;* in *angina vera.*

OBSERV. *Spielmannus* communicat *Gargarisma adſtringens Richard.* e *Cortic. Granator.* Unc. 1. Florum *Balauſtriorum* Unc. dimid. Inciſa coquantur per dimidiam horam in *Aquae fontanae* quant. ſuffic. ad reſiduum Unc. 16. In colatura diſſolvantur. *Alumin.* Drachm. dimid. *Syrup. de Roſis ſiccis* Unc. 1. Miſce.

Pharm. *Edinburg.* pauperum communicat hancce valde commodam compoſitionem e *Cortic. Quercus* Unc. 1. *Aquae fontan.* Unc. 18. coquendi ad Unc. 12. colatur addendi *Alumin.* Drachm. 1. *Syrup. de Roſis ſicc.* Unc. 1.

GARGARISMA COMMVNE.

Rec. *Aquae hordeatae* Unc. 12.
Mellis roſacei Unc. 3.
Spiritus Vitrioli quant. ſuffic. ad gratam aciditatem.
Miſce. *Guy.*

VIS & USUS e nomine patent.

OBSERV. Ph. pauper. *Edinburg.* ſuadet ex *Aquae fontan.* Unc. 6. *Nitri depur.* Drachm. 1. *Syrup. de Roſis ſiccis* Unc. 1. miſcendi, & addendi nonnunquam, *Olei Vitrioli* gutt. 11.

GARGARISMA EMOLLIENS.

Rec. Radic. *Altheae,*
Herbæ *Malvae,*

Flor. *Papaver. erratic.*
--- *Malvae arboreae.*
--- *Sambuc.* ana Unc. 1. & dimid.
Semin. *Pſyllii* Unc. dimid.
Caricarum pinguium Unc. 2.
Inciſa & contuſa groſſo modo ſerventur uſui.
Ph. *Würtenb.*

VIS & USUS e nomine patent: *inprimis* in *angina*, ſi *ſuppurationis* ſigna adſunt, ad eam *facilitandam* & *promovendam*: ad *oris* & *faucium abſceſſus.*

OBSERV. 1) Ph. pauper. *Edinburg.* ſuadet tantum Rad. *Altheae* Unc. 2. *Caricas* 4. *Aquae fontan.* Unc. 36. coquendi ad Unc. 24. & colandi.

Plenck vero loco *Aquae fontan. Lact. Vaccini* Unc. 24. ſuadet.

Piderit vero Radic. *Altheae - Liquirit.* Herbæ *Malvae - Verbaſci*, Flor. *Sambuc. Chamomill. - Papaver. errat. - Caricar.* ana Unc. 1. Inciſis fiant Species, de quibus Unc. 1. cum lactis Unc. 12. coquitur.

Spielmannus communicat *Richarti* compoſitionem hancce, e Radice *Altheae* Unc. 1. *Caricar.* Unc. dimid. Inciſa coquantur ex *Aquae fontan.* Unc. 24. ad reſiduum Unc. 16. In colatura diſſolvatur *Oxymell. ſimplic.* Unc. 1.

GARGARISMA RESOLVENS.

Rec. Rad. *Pyretri* Unc. 2.
Herb. *Salviae* Unc. 6. *Semin. Sinap.* Unc. 3.
Inciſis contuſis fiant Species.

VIS *reſolvens*, *diſcutiens.*

USUS in *angina ſpuria* l. aliis *morbis*, e. g. *otalgia*, *odontalgia*, *pituita e glandulis educenda*: & quidem Drachm. 2. in *Aquae commun.* Unc. 1. ut coquantur.

Sæpe

Sæpe conſulto *Radic. Squillae* Grana quædam ſpeciebus hiſce adduntur, l. *Decocto* quoque *Oxymel* ejus, in debita portione commiſcetur.

OBSERV. In *angina* vero *inflammatoria* iſtius generis *Gargariſmata acria* & *irritantia* probe vitanda ſunt, niſi in ſuppuratis partibus ad eas mundificandas. *Piderit.*

VARIÆ PRÆSCRIPTIONES adhuc exſtant de *Gargariſmatibus*, *diverſarum Qualitatum.*

Spielmanni præcipuæ ex iis ſunt.

Gargariſma antiſcorbuticum Richard oritur e *Decoct. antiſcorbut.* Unc. 16. *Spiritu Cochleariae* Unc. 1. *Spiritu Salis* Drachm. 2. *Oxymellis ſimplicis* Unc. 2. Miſceantur, cujus VIS & USUS e nomine patent.

Gargariſma detergens Richard. e *Hordei integri* Unc. 1. coquantur in *Aquae fontan.* Unc. 32. ad reſiduum Unc. 16. quibus addantur, *Foliorum Agrimoniae*, Drachm. 2. colentur poſt ebullitiones aliquot, & in colatura diſſolvantur. *Mellis roſacei* Unc. 1. *Nitri depurati* Drachm. 1. Cujus VIS *vulneraria*, *detergens*; & USUS *ad ulcera faucium aperta.*

Gargariſma ad *Pituitam Kleinii*, ex *Aquae Radic. Angelic. Hyſſopi* ana Unc. 6. *Spiritus Cochlear.* Unc. dimid. *Spiritus Salis Ammoniac.* Scrupul. 4. Pulver. Semin. *Sinapeos* Drachm. 1. *Mellis Roſac.* Unc. 4. Miſceantur.

Plenckii præcipuæ ſunt;

Gargariſma acetoſum ex *Aqu. fontan.* Unc. 12. *Aceto Roſaceo* Drachm. 2. Unc. 2. *Mellis Roſacei* Unc. 1. Miſceantur: quod ob VIM *antiphlogiſticam*, USUM in *angina inflammatoria* exſerit.

Gargariſma antiſepticum e *Cortic. Peruv.* Unc. 2. *Herbae Rutae* part. 2. quæ coquantur in *Aquae fontan.* Unc. 24. colatur. add. *Camphor. muco*

Gummi arabici ſolut. Drachm. 2. Miſceantur, ad *uſum* in *angina maligna*, *putrida*, *gangraenoſa*.

Gargariſma leniens ex *Aquæ* flor. *Sambuci* Unc. 12. *Gelatin. Amyli* Drachm. 1. *Syrup. Papaver. albi* Unc. 1. coquantur; cujus USUM commendat in *ſaucium ardentibus ulcuſculis aphthoſis*, l. in *acri ſalivationis profluvio*, qua *gargariſma* aut *collutorium*. In *ulcerum venereorum ardore* additur tantum *Mercurii gummoſi* Drachm. 1.

Gargariſma Mercuriale ex *Mercurii Vivi* Drachm. dimid. *Gummi arabic.* Drachm. 3. *Syrup. Diacodii* Unc. dimid. *Mercurii dulcis* Grana 6. probe terendo ſubactis in mucum addantur, Herbæ *Flammul. Jovis* Unc. dimid. cum *Aquae commun.* Unc. 26. paululum decoctæ *Mellis Roſac.* Unc. 1. *Eſſent. Myrrh.* Drachm. 1. Miſce: Ob VIM *haemocatarcticam* commendat USUM ad *ulcera ſaucium* & *palati lardacea maligna*, *venerea ſananda*, & in *ozoena venerea ſaluberrime naribus* injicitur.

Gargariſma ordinarium, e *Spec. Reſolventib.* pro *gargariſmate* Unc. 1. quæ coquantur cum *Aquae fontan.* Unc. 12. colaturæ addentur *Nitri depur.* Drachm. 1. *Mellis Roſacei* Unc. 1. Miſceantur. USUI, ad *anginam inflammatoriam reſolvendam.*

Gargariſma cum *Spiritu Salis Ammoniaci*, e Radic. *Altheae* - *Caricar.* ana Drachm. 6. Inciſa coquantur cum *Lactis vaccini* Unc. 16. ad Unc. 12. reſiduas, colaturæ addantur *Spiritus ſalis Ammoniac.* Unc. dimid.

Ob VIM *antiphlogiſticam* commendat.

USUM ad *Anginas inflammatorias*, quas *Gargariſma Acetoſum* non reſolvit, huic cedere *Pringle* obſervavit.

Gargariſmata acida ſubinde impediunt reſolutionem *anginae*, dum poros *excretorios glandularum faucium*, in quibus *ſtimulus inflammatorius*

an-

anginae reſidere videtur, contrahunt; in iſto caſu *Gargarisma emolliens* cum *Spiritu Salis Ammoniaci* mixtum, relaxando poros, *reſolvendo mucum inflammatorium* & *glandulas*, ad *excretionem leniter irritando*, mirifice ac cito prodeſſe ſemper obſervavit. *Pringle.*

Gargarisma vulnerarium, e *Specier. vulnerariar.* Unc. 1. *Aquae fontan.* Unc. 12. quæ coquantur, & colaturæ addatur *Tinctur. Myrrhae* Drachm. 1. *Mellis Roſacei*, *Aquae vulnerar.* ana Unc. 1. Miſceantur USUI ad *faucium* & *oris ulcera conſolidanda.*

GELATUM. ſ. GELATINA FRVCTVVM, ſ. *Baccarum* vide *Roob.*

GELATINA BERBERVM, vide *Roob Berberum.*

GELATINA RIBIVM, vide *Roob Ribium.*

GELATINA CORNV CERVI AMYGDALATA *Kleinii.*

Rec. *Raſur. Cornu Cervi* Unc. 8.
Aquae fontan. Unc. 100.
Coquantur leni igne, usque dum e parva *Decocti* portione refrigerata conſiſtentiam *Gelatinae* ſurrexiſſe appareat, tum coletur liquor, & cum eodem fervide emulgeantur lege artis, *Amygdalar. dulcium excorticatar.* Unc. 4. emulſioni colatæ addantur.
Pulver. *Sachari albiſſimi* Unc. 6. refrigerata trahatur in uſum.

VIS *demulcens*, *refrigerans*, *nutriens.*

USUS *demulcendi*, *humectandi*, *refrigerandi*, *nutriendi* gratia cochlear ejus 1. alterumve in Un-

ciis 4. Juris carnium diluitur, vel per ſe ſumitur. Eadem flavedinis *Citri* recentis, & *Aquae Florum Naphae* modica portione addita, gratum *Edulii* genus paratur, quod *Blanc Manger* appellare ſolent *Galli*. *Spielmann.*

OBSERV. Si ad ſiccitatem inſpiſſatur, *Gelatina Cornu Cervi ſicca* audit, quæ in officinis quoque aſſervari ſolet.

GELATINA CORNV CERVI CITRATA, *Kleinii.*

Rec. *Raſur. Cornu Cervi* Unc. 6.
Aquae fontan. Unc. 72.
Decoquantur ad reſiduum Unciar. 48. tunc addantur
Vini albi generoſi Unc. 14.
Coquantur ad conſiſtentiam *Gelatinae*, cui ope *Albuminis Ovi clarificatae* adjiciantur,
Succi Citri Unc. 1.
Syrup. Citri e toto Unc. 2. *Spielm.* Ph. *Suec.*

VIS *nutriens*, *defectum humoris nutritii reſtituens.*

USUS in *vulneribus*, *ulceribus* & *fracturis oſſium*, ob *humorum defectum*, aut *ſenium*, aut *humorum acrimoniam*, *incurabilium* : *Plenck.*

Olim quoque *tabidis*, *phtiſicis porrigebatur*, quibus *gelatinae fructuum* magis conducunt quam *animalium.*

DOSIS *Gelatinae* Unc. dimid. in Unc. 6. Juris bubuli dilutæ, datur aliquoties de die.

GELATINÆ FRVCTVVM.

Rec. *Succi* e fructu, *Aqua* ſuffuſa, expreſſi & per manicam colati,
Sachari albiſſimi ad conſiſtentiam tabularum cocti ana Unc. 16. coquantur leni igne ad conſiſtentiam *Gelatinae*, fervens adhuc

huc trajiciatur per pannum laneum, reponatur in ollis leviter tectis, elapſis demum aliquot diebus curatius obturandis. *Spielmann.*

OBSERV. *Gelatinae Fructuum horaeorum* a *dulciariis* cæterum petuntur.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI *Compoſita.*

Rec. *Lichen Islandic. Pulmonar. arbor.*
Fungi melitenſis ana Drachm. 6.
Miſce, coque in ſuffic. quantit. *Aquae* per 2. horas colatur. Unc. 18. inſpiſſetur in *Gelatinae* conſiſtentiam, cui adde
Sachari Roſacei Unc. 1. & dimid. Miſce.
Ph. *Herbipolit.*

GELATINA LIQVIRITIÆ,

ſ. *Regliſſe Royale*, vide *Extractum Liquiritiae.*

GLOBVLVS AD ERYSIPELAS PLENCKII.

Rec. *Terrae Sigillatae albae* Unc. 2.
Ceruſſae, - *Cretae* ana Unc. 1. pulveriſat.
Spiritus Vini camphorati quant. ſuffic. conterantur ſuper porphyrite in maſſam, quæ globo formando apta eſt.

VIS *diſcutiens*, *repellens.*

USUS *chartae caeruleae Globus* hic illitus, imponitur *eryſipelati.* *Spielmann. Plenck.*

GLOBVLI AD FONTICVLOS.

Rec. *Emplaſtr. Veſicator.* quant. plac.
E quo formentur *Globuli*, *Piſi* magnitudinis.

VIS *irritans*, *veſicans*,

USUS in *fonticulis difficulter ſuppurantibus*, l. ubi *irritatio magna* indicatur, *Globuli* hi eximie præſtant, & omnibus aliis, iſtius generis compoſitionibus merito præferuntur. *Piderit.*

GLOBVLI MARTIALES,

ſ. *Bolus Martis.* ſ. *Lapis Martialis.* ſ. *Boules D'Acier.* ſ. *Tartarus Martialis Suecorum.*

Rec. *Extract. Martis* Unc. 4.
Cryſtallor. Tartari pulverat. Unc. 2.
Miſceantur & fiant *Globuli* Unc. 1.

VIS *tonica*, *roborans*, *diſcutiens*.

USUS *Externe Globulis iſtis Oxicratum* l. *Aqua Saturni Goulardi*, pro *fomentationibus* ad *contuſiones*, *vulnera ſclopetaria*, ad *articulos luxatos*, *anchyloſin*, ad *ſugillationes*, ad *haemorrhagias*, *ſaturatur*, & perexime confert.

Diſſolvuntur in *Aqua* & *Spiritu Vini* ad plenariam *ſaturationem*, quo tum imbuuntur linteamina & applicantur. *Theden* obſervat.

Ad *internum* uſum vero *Globulo* iſto ſuperinfunduntur *Vini albi generoſi* Unc. 3. quæ, cum poſtea noctu ſteterint, ſummo cum fructu poſt *icterum*, *febres intermittentes*, in *affectibus oedematoſis*, *leucophlegmatia* & in ipſa *hydrope* mane ſumuntur, ſingulis aliquot hebdomadum diebus. *Piderit.*

Ad *balnea frigida*, *partibus martialibus* impraegnanda, inſerviunt. Unciæ quædam ſolvuntur hinc ex hiſce *Globulis martialibus*, in *Aqua calida*, & ſolutio hæc miſcetur *Aqua frigida*. *Selle.*

Globuli hi ſuſpenduntur e *Spiritu Vini* l. *Aqua*, usque dum horum menſtruorum color ſit probe ſaturatus, ſpleniorum ope *vulneribus* tunc applicatur, l. intus quoque, ubi indicatio uſum *martialium* ſuadet, exhibentur. *Spielmann.*

Globus talis imponitur *Fomento*, l. *Oxycrato*, ſi hæc *fomenta reſolvunt*, & ſimul *roborant*: quæ ad *contuſiones*, & *vulnera ſclopetaria* inprimis commendantur.

OBSERV.

OBSERV. Ph. *Herbipolit.* præſcribit *Limatur. Ferri* ſ. *Martis* præparat part. 1. *Tartari albi* pulveriſat. part. 2. Miſce in cucurbita; affunde *Spiritus Vini* ad *eminentiam* digiti. Calori *ſolis* l. *fornacis* l. *balnei* expone maſſam digeſtioni, & tum leni exſiccationi. Maſſæ tum exſiccatæ & pulveriſatæ adde denuo, *Spiritus Vini* tantundem, & procede uti ſupra, totiesque repete, donec maſſa *reſinoſa* quaſi appareat, e qua tum *globuli* efformentur ad *ovi* magnitudinem columbini.

Pharm. *Suecica* tantum præſcribit, *Tartari Crudi* pulverati Unc. 48. *Squamarum ferri puriſſimarum* Unc. 18. *Aquae fluviatilis* Unc. 579. (ſ. Libras 48.) In *vaſculo ferreo* coque, ad *evaneſcentiam ſaporis acidi.* Liquor decantatus, vaporet modico calore ad ſiccum, ſollicite cavendo ne aduratur.

Spielmannus hancce ſimplicem habet formulam, e *Limatur. Martis* ſubtiliſſimæ tritæ Unc. 6. *Tartari albi* pulveriſat. ſ. *Cremor. Tartari* Unc. 12. coquantur cum *Aquae commun.* Unc. 80. ad ſiccitatem. Hic pulvis cum *Spiritus Vini* idonea quantitate formetur in *Globos*, qui ovi columbini fere figuram & magnitudinem habeant.

Plenck. ſuadet tantum *Limatur. Martial.* ſubtiliſſ. tritæ Unc. dimid. *Tartari albi* pulveriſati Unc. 12. miſcendi in cucurbita, l. alio vaſe vitreo affundendi *Spiritus Vini* Unc. 8. cæterum præparandi uti ſupra.

GLVTEN PECTORALE,

vide *Extractum Liquiritiae Gummoſum.*

Gummatum purificatio fit eodem modo, uti *Opium* colatum: addita tantum hic majori quantitate *Aquae.* *Reſinoſa* pars ſubſidens eximatur, &

fini-

finiente coctione parti *gummoſae* addatur, ut cum reliquis *gummi* partibus in unam maſſam coeat.

Gummi quodvis facile liqueſcens, uti *Galbanum*, purificari quoque poteſt, immittendo in *veſicam bubulam*, terendoque in *Aqua bulliente*, donec adeo *molle* fiat, ut per pannum cannabinum a ſordibus prelo exprimatur. Ph. *Londinens.*

OBSERV. 1) *Gummata* in *lacrymis* purioribus, ſine ulla præparatione ad uſum internum inprimis ſunt eligenda & comparanda a *Pharmacopolis.*

OBSERV. 2) *Praecipua Gummata purificata* ſunt hæc ſequentia.

Gummi & *Reſina Aloes.* ſ. *Aloes depurata.* Quo *Aloes ſuccotrin.* Unc. 4. *Aquae commun.* Unc. 24. coquuntur donec *Aloe*, quantum fieri poteſt, ſoluta fuerit, & ſeponitur per noctem; *Reſina* ad *vaſculi fundum* præcipitatur; Liquor ſupernatans, ſi opus, colatus, admoto igne evaporando conſumatur, ut relinquatur *Gummi.* Si *Extracti* conficiendi major ſit copia, balnei calore commodiſſime inſpiſſatur.

Extracta vero omnia *Aquoſa* pauco *Spiritu vinoſo* irrorentur, ne ſitum contrahant.

USUS eſt ad *remedia varia compoſita.*

Gummi Ammoniacum depuratum fit, *Gumm. Ammoniac.* Unc. 6. *Aquae purae* Unc. 12. in vaſe fictili vitreato ſi leniter coquantur, ſoluta colentur & exprimantur, leniſſimoque calore exſiccentur. *Spielmann.* & *Plenck.*

USUM exſerit ad *compoſita varia remedia*; ad *Emplaſtra* inprimis.

Si loco *Aquae*, *Acetum ſimplex*, l. *Scilliticum* fuerit adhibitum, vocatur tum *Gummi Ammoniacum Aceto ſimplici* aut *Scillitico depuratum.*

Ph. *Danica* & *Plenck.*

Gum-

Gummi Galbanum depuratum fit, ſi tempore gelido conteritur *Galbanum* & per cribrum trajicitur. Cujus *uſus* ad *Emplaſtra* confert. Ph. *Danica* & *Plenck.*

Gummi Guttae praeparatio fit, ſi *Gummi Guttae* pulveris. Unc. 3. ſolvantur in *Aceti Vini albi* Unc. 9. poſt ſufficientem digeſtionem, clarum a ſpiſſo, per inclinationem vaſculi ſeparetur, ac leni calore in vaſe vitreo, ad *Extracti* conſiſtentiam, *Acetum* evaporetur. Ph. *Danica*, *Brunſuicenſis.*

Quali præparatione *acrimoniam* & *vim* ſuam *emeticam Gummi Guttae* perdit, & ſecurum tum exhibet *purgans.*

Ob VIM *pellentem, purgantem, diaphoreticam*, in non majori *doſi*, *laxantem*, *anthelminticam*, USUS præcipuus eſt, ad *mucum* e primis viis potenter educendum; & *ſerum* in *hydrope* a Gran. 10-15. Cavendum probe, ne in nimia doſi fiat, alias flatus facile excitat

GVTTVLÆ ANALEPTICÆ.

Rec. *Naphthae Vitrioli* Drachm. dimid.
Camphor. Drachm. dimid. Miſce ſolve.

DOSIS Guttæ 20. *Sacharo* inſtillat. Ph. *pauper. Hamburgenſis.*

VIS & USUS e nomine patent.

OBSERV. Plures occurrunt *Guttulae* variæ compoſitionis.

Praecipuae Ph. *Hamburg.* pauperum ſunt.

Guttulae anodyno-acidae, ex *Eſſent. Cortic. Aurant.* Unc. dimid. *Spirit. Vitrioli* Drachm. 1. *Laudan. liquid. Sydenh.* Drachm. dimid. exacte Mixtæ, a Guttis 40-60. ſcopo *anodyno* qui inſerviunt.

Guttulae antihyſtericae, ex *Eſſent. Aſae foetid.* Drachm. 2. *Eſſent. Caſtor.* Drachm. 1. & dimid.

Lau-

Laudan. liquid. Sydenh. Drachm. dimid. Mixta Guttis 30. ad malum *hyſtericum* qui proſunt.

Guttulae anthelminticae, ex *Eſſent. Fuligin. Claud.* Drachm. 3. *Eſſent. Gentian. rubr.* Drachm. 1. Mixtæ a Guttis 50. ad *vermes*.

Guttulae antiſpasſticae Gmelini, e *Reſin. Succin.* Drachm. 1. ſoluta in *Liquor. anod. min. Hoffm.* Unc. dimid. Mixtæ a Guttis 20 - 30. ad *ſpasmos*.

Guttulae carminativae, ex *Eſſent. Cortic. Aurant. Eſſent. Gentian. rubr.* ana Drachm. dimid. *Eſſent. Caſtor.* Drachm. 1. Mixtæ a Guttis 60. ad *flatus* diſſipandos.

Guttulae hydragogae, e *Gummi Guttae* Drachm. dimid. ſolutis, in *Olei Tartar.* per deliqu. Unc. dimid. Mixtæ a Guttis 20 - 30. ad *œdemata, tumores*, *hydropem* conferentes.

Guttulae acuſticae Guy præparantur, ex *Olei amygdalini* Drachm. 3. *Spiritu Salis Ammoniac.* Drachm. 1. Mixtæ paucæ guttæ auribus inſtillatæ, ad *auditus vitia* proſunt.

HAVSTVS DIAPHORETICVS.

Rec. *Spirit. Minderer.* Unc. 1.
Syrup. Diacod. Unc. dimid.
Sal. Cornu Cervi volat. Gran. 5.
Miſcendi exacte. Ph. pauper. *Hamburg.*

VIS & USUS e nomine patent.

OBSERVAT. *Hauſtum ſalinum* quoque communicat Ph. pauper. *Hamburg.* e *Sal. Tartar.* Scrupul. 1. *Succo Limonum* Unc. dimid. *Sachari albi* Drachm. 1. Miſcendi exacte.

HEPAR ANTIMONII.

Rec. *Antimonii crudi*, *Nitri depurat.* ana Unc. 12. Seorſim pulveriſata & mixta accurate, in crucibulo candente l. in mortario ferreo, ſenſim pru-

pruna admota detonent, injiciendo per vices, maſſa tum ſervetur.

Maſſa hæc refrigerata a ſcoriis albicantibus ſeparatur, & contrita *Aquae* ferventis affuſione repetita, abluitur donec prorſus inſipida ſit, qua *Crocus Antimonii* elotus obtinetur.

Ph. *Herbipolit.* & *Suecica.*

USUS *Interne*, medicis eſt tantum, qua inſigne *draſticum*, niſi ad parandum *Crocum Metallorum. Malo medicis* in *uſu* eſt *ſcopo draſtico. Externe, ad paranda balnea artificialia* & *lavatoria*, quæ *morbos cutaneos egregie* curant. *Plenckii* obſervat.

OBSERV. 1) *Spielmannus* ſuadet tantum *Antimonii crudi* Unc. 10. *Salis Tartari* Unc. 30. Mixta fundantur in crucibulo.

OBSERV. 2) Huic remedio, cum debeat eſſe *Antimonium* per *Alcali* recluſum, *Antimonium calcinatum* & per ſe fuſum, uti *Beaume* placet, in chym. ſua, *peſſime ſubſtitui*, patet per ſe. *Spielmann.*

HEPAR SVLPHVRIS.

Rec. *Sulphuris flav.* part. 2.

Salis Alcalini fixi puri ſ. *Tartari* part. 1.

Mixta injiciantur in crucibulum, ut fluant in igne diutius. Probe unita maſſa, dum ſcilicet colorem hepaticum nacta eſt, atque odorem ovorum putridorum ſpirat, eximatur, & frigefacta illico indatur vitro exacte claudendo.

Ph. *Auſtriaca, Danica.*

VIS *reſolvens*, *incidens* potenter.

USUS 1) ad *tincturas* & *ſyrupos*, nec non *lacti ſulphuris* uti & ad *varia praeparata chymica.*

2) Solutionis huius *ſulphuris*, via ſicca in *Sale alcalino* fixo ſuſceptæ, valde *volatilis* & *penetrabilis*, in *inveterata ſcabie* eximie confert Drachm. 1.

hu-

hujus *Hepatis ſulphuris* in *Aqua* ſoluti, omni hora cochlear unum, gradatim ad Unciam dimidiam quotidie, niſi emeſin producat.

Ad artificiale *Balneum ſulphuris*, ſi Uncia 1. *Hepatis ſulphuris balneo Aquae commun.* miſcetur.

3) In *venenis* aſſumtis *corroſivis*, e. g. *arſenico*, *mercurio* ſublimato, ob *involventem*, & *mitigantem* eorum vim valde prodeſt, uti & in *ſcrophulis incipientibus*. *Selle.*

OBSERV. 1) Semper *recens paratum* eſſe debet *Hepar ſulphuris*, ob levem ſuam *volatilitatem*, & *remanentiam* ſuam *alcalinam ſalinam*, magis noxiam quam *ſanguini* proficuam.

OBSERV. 2) Ph. *Würtenb.* ſuadet *Florum Sulphur.* l. *Sulphuris* puriſſimi flavi, Unc. 4. quæ fluant in vaſculo figulino, vitreato, & ſucceſſive admiſceantur, *Salis Tartari ſicciſſimi* Unc. 2. ſpatula diligenter agitentur, donec maſſa rubeſcat, cavendo ne accendatur.

HIERA PICRA. SEV SPECIES HIERÆ *Picrae*, vide *Electuarium Hierae Picrae.*

HYDROMEL SIMPLEX,

ſ. *Mel deſpumatum.*

Rec. *Mellis deſpumati* Unc. 2.
Aquae fontan. Unc. 24.

Coquantur & deſpumentur ſimul ad Unc. 18. remanentiam, colentur.

VIS *reſolvens*, *diſcutiens*, *diuretica.*

USUS ad *diverſa remedia compoſita*, uti & in *affectibus pectoris*, *ad potum* ordinarium præſcribitur.

Ob vim *ſaponaceam Mellis*, Aquæ mixtæ, & hinc *reſolventem*, *incidentem tenaces humores*, & *ſanguinem* ſpiſſum, ob *diureticam* ejus vim proavi noſtri jam in variis laudarunt morbis; in *febribus acutis*, *pro potu* ordinario, uti & in *tuſſi.*

Ex-

Externe quoque laudarunt quidam, ad membra *luxata*, *contuſa*, *inflammata*, *inflammationi* egregie reſiſtens. *Spielmann.*

OBSERV. *Spielmannus* præſcribit *Ptiſanae commun.* Unc. 48. *Mellis* optimi Unc. 3. Miſceantur.

HYDRARGYRVS PVRIFICATVS,

vide *Mercurius purificatus.*

INFVSVM AMARVM PVRGANS.

Rec. *Foliorum Sennae.*
Flavedinis Corticum Limonum recent. ana Drachm. 3.
Radicis *Gentianae*,
Flavedinis Corticum Aurantiorum.
Seminum *Cardamomi minoris decorticatorum*, ana Drachm. dimid.
Aquae bullientis Unc. 5.

Poſt macerationem per horam 1. liquorem frigefactum cola ſine expreſſione. Ph. *Londinenſ.*

VIS *ſtomachica*, *carminativa*, *laxans.*

USUS in *obſtructione alvi*, *debilitate*, *laxitate* primarum viarum.

OBSERV. Ph. *Edinburg.* præſcribit Radic. *Gentian.* Unc. dimid. *Cortic. Aurant. ſiccat.* Drachm. 1. Semin. *Coriandri* Drachm. dimid. *Spiritus Vini* tenuior. Unc. 4. cui tum affunduntur *Aquae commun.* Unc. 12. dein macera ſine calore per noctem, & cola.

INFVSVM LAXATIVUM MANNAGETTE.

Rec. Folior. *Sennae elect.* Drachm. 3.
Cremor. Tartar. Drachm. 1.
Paſſular. minor. Drachm. 3.
Zinziber. albi ſ. Semin. *Coriandri* Scrupul. 1.

Infunde in *Aqu. fontan.* fervent. Unc. 4. poſt digeſtionem per 24. horas, exprime in colatura diſſolve,

 Man-

Mannae Calabrin. Unc. 1.
Albumine ovi clariſica. Ph. *Würt. Brunſuic.*

VIS & USUS e nomine patent.

OBSERV. *Inſuſo* huic *laxat. Mannagette, Inſuſ. laxativ. Danorum* ſic dictum convenit.

INFVSVM LAXATIVUM VIENNENSE.

ſ. *Aqua laxativa Viennenſis.*

Rec. *Cremoris Tartari* Drachm. 2. diſſolvantur
Aquae bullientis Unc. 8. diſſolutis ſolvantur,
Mannae electae Unc. 2.
Salis vegetabilis Drachm. 1. & dimid.
Succi Pomi Citri unius.

Infundantur fervide in vaſe clauſo corticibus ejusdem pomi. *Liquor albumine ovorum* clarificatus, filtretur. *Spielmann.*

VIS *laxans, leniter purgans; eccoproticum remedium una doſi hauriendum.*

USUS in *impuritatibus primarum viarum.*

DOSIS ab Unciis 2 - 3.

OBSERV. 1) Præſtat vero recens paratum, quam aſſervatum diu, facile *aceſcens.*

2) Pharm. *Würtenberg.* & *Auſtriac.* præſcribunt Folior. *Sennae* elector. Unc. 3. *Paſſular. minor.* Unc. 1. & dimid. Radic. *Polypodii querni* Drachm. 3. Semin. *Coriandr.* ſ. *Aniſi* Drachm. 2. *Cremor. Tartari* Unc. dimid. Quæ miſcenda & infundenda ſunt in *Aquae fontan. bullient.* Unc. 30. poſt digeſtionem per aliquot horas exprimendi, in expreſſo diſſolvendi, *Mannae electae* Unc. 8. clarificandi & ſervandi uſui.

Mellin præſcribit *Rhabarb. pulver.* Drachm. 1. *Cremor. Tartar.* Drachm. 2. coque leniter in *Aquae fontan.* ſuffic. quant. ad Unc. 4. ſub finem coction. adde *Mannae electae* Unc. 1. cum dimidia, cola.

In-

INFVSVM RHEI,
ſ. *Rhabarbari.* ſ. *Anima Rhei.*

Rec. *Rhei elect.* Drachm. 3.
Aquae bullient. Unc. 18.
Miſce, ſtent per noctem, cui dein adde in vaſculo clauſo,
Aquae Cinnamomi vinoſi Drachm. 6. cola.
Ph. *Herbipolit. Edinburg.*

VIS & USUS e qualitate ſimplici *Rhabarb.* patent.

OBSERV. Ph. *Suecica* ſuadet *Rhabarb contuſ* Unc. 2. *Alkali Tartari.* ſ. *Tartari Tartariſati* Drachm. 1. & dimid. *Aquae fluviatil. fervent.* Unc. 18. In vaſculo vitreo ut macerentur per 12 horas, & leniter exprimendo filtrentur.

Pharm. *Roſſica* ſuadet *Rhabarb. elect.* Unc. 1. *Alkali Tartari* Drachm. 2. *Aquae bullient* Unc. 10. ut Digerantur per 6. horas, infuſo cum expreſſione colato addentur *Aquae Cinnamomi* Unc. 2. tum Miſceantur.

INFVSVM, SEV TINCTVRA ROSARVM.

Rec. *Roſar. rubrar. ſiccatar.* Unc. 1.
Aquae bullient. Unc. 48.
Acidi Vitriolici Drachm. 1.
Sachari albi Unc. 2.
Macera *Roſas* cum *Aqua bulliente* in vaſculo fictili, non vitreato per horas 4. tum adde Acidum, & Liquori colato adde *Sacharum.* Ph. *Edinburg.*

VIS *adſtringens.* USUS ad *pulveres dentifricios.*

INFVSVM SENNÆ COMMVNE.

Rec. Foliorum *Sennae* Unc. dimid.
Cryſtallorum Tartari depurat. Drachm. 3.
Seminum *Cardamomi minoris decorticatorum,* ſ. *Coriandri* Drachm. 2.

Aquae commun. Unc. 12.

Tartari Cryſtall. in *Aqua* coquendo ſolve, dein *Aquam* adhuc *bullientem* reliquis affunde, & poſtquam refrixerit, cola. Ph. *Lond. Roſſica.*

VIS & USUS e qualitate Folior. *Sennae* patet.

OBSERV. Pharm. *Londin. Infuſum Sennae Limoniatum* præſcribit e Folior. *Sennae* Unc. dimid. *Flavedin. Cortic. Limon.* recent. Unc. 1. *Succi Limon.* Unc. 1. *Aquae bullient.* Unc. 12. Macera & liquorem frigefactum cola.

Pharm. *Suecica* communicat *Infuſum Sennae Citratum*, e *Folior. Sennae* Drachm. 6. *Succi Citri* Unc. dimid. *Aquae fluviatil. bullient.* Unc. 6. Quæ macerandæ ſunt per horam in vaſculo vitreo, tum colandæ, & adhibendæ ad uſum.

Si *Succi Citri* loco ſumitur *Pulpa Tamarindorum Infuſum Sennae Tamarindatum* vocatur.

Cui vero *Infuſo Sennae Tamarindato* addendum ſuadet Pharm. *Edinburg. Cryſtallor. Tartar.* Drachm. 6. *Folior. Sennae* ana Drachm. 1. Semin. *Coriandri* Drachm. dimid. *Sachari rubri* Unc. dimid. *Aquae bullient.* Unc. 8.

Pharm. *Herbipolit.* ſuadet *Infuſum* hocce *Citratum* e *Folior. Sennae* Drachm. 6. *Flavedin. Citri* recent. *Tartar.* ſolubil. ana Drachm. 3. *Succi Citri* recent. Unc. dimid. *Aquae bullient.* Unc. 8. Mixta ut digerantur, liquor frigefactus filtretur, colaturæ addentur *Mannae elect.* Drachm. 10. cui iterum filtratæ addendæ ſunt *Acidi Vitrioli vinoſi* Guttæ 8. & ſi hiſce ſpeciebus addatur *Rhei electi* Drachm. 2. acquiritur tum *Infuſum Sennae cum Rheo.*

VARIÆ PRÆSCRIPTIONES DE INFVSIS
ſelectæ *caeterum exſtant, praecipuae* ſunt.

Infuſum diureticum, e *Ciner. Geniſtae* Unc. dimid. in-

infundend. in *Vini albi* Unc. 24. Stet per noctem in digeſtion. frigid. colatur. Detur doſis vaſculum dimid. *ſcopo diuretico*. Ph. paup. *Hamb.*

Infuſum Flammulae Jovis, e *Folior. ſiccator. Flammul. Jovis* Drachm. 3. *Aquae bullient.* Unc. 12. Stent per horæ quadrantem, tum parum ebulliat liquor, & coletur. VIS *reſolvens, diſcutiens.* USUS in *cataracta.* Ph. *Herbipol. Edinburg.*

Infuſum Ipecacuanhae e Pulv. Rad. *Ipecacuanhae* Drachm. 2. infundend. cum *Aquae fontan. bullient.* quant. ſuffic. colatur. Unc. 2. Detur pro doſi. Ph. pauper. *Hamburg.*

Infuſum Peruviani Corticis. ſ. *Chinae Chinae*, ſ. *Kinkinae frigidum.* Rec. *Peruv. Cortic. groſſe contuſ.* Unc. 1. *Aquae fontan.* Unc. 12. Digere per nychthemeri ſpatium, cum repetita ſubinde concuſſione, expreſſione, & liquoris clari colatione. Ph. *Suecica*, *Herbipolitan. Edinburg.* VIS & USUS a qualitate *Cortic. Peruv.* pendens patet per ſe.

OBSERVAT. Pharm. *Guy* eandem communicat præſcriptionem, addendo tantum *Spiritus Vini* Drachm. 6. & Pharm. *Suecic. Emulſionem Kinkinae* habet, ſi liquori colato ab *Infuſ. Cortic. Peruv.* adduntur *Syrup. Amygdalin.*

Infuſum Sinapios ſeminis. e ſemin. *Sinap. contuſ.* Rad. *Raphan. ruſtic.* recent. raſpat. Conſerv. *Cochlear.* ana Unc. 2. *Aquae bullient.* Unc. 48. Stent in vaſculo clauſo per horas 24. dein cola ad uſum *excitantem*, *antiſcorbuticum*, *diureticum.* Ph. *Herbipolitan.*

Infuſum Tamarindorum, e *Tamarindor.* ſine nucleis Unc. 6 *Elaeoſachari Citri* Unc. 1. *Succi Citri* recent. Unc. dimid. *Cremor. Tartari* Drachm. 2. *Aquae fontan. fervent.* Unc. 96. Miſce fiat lege artis infuſio, & colatura, ſcopo *purgante laxante.* Ph. *Brunſvic.*

INFVSVM PICIS, vide *Aqua Picis Berckley.*

INJECTIO DETERGENS PLENCKII.

Rec. *Aquae Calcis* Unc. 12.
Unguent. Aegyptiac. Unc. 1.
Miſceantur.

VIS *detergens*, *mundificans.*

USUS ad *ſinus* & *fiſtulas injectione* iſta *abſtergendas.*

ALIAS PRÆCLARAS INJECTIONES CÆTERVM PLENCK communicat, & quidem haſce.

Injectionem Auricularem detergentem, e *Decocti Herbae Rutae* Unc. 4. *Tinctur. Myrrhae* Gutt. 30. *Mellis Roſacei* Drachm. 6. Ut miſceantur ad Liquorem, pro injectione, tepide adhucdum in cavum auriculare ſupinatum bis in die applicandum, detinendi vero per aliquot Minuta, & tum aure prona rurſus emittendi.

USUM hujus Liquoris in cavum auriculare, per aliquot Minuta, tepide applicandi, bis quotidie, inprimis commendat *Plenck* ad *ulcera* meatus *auditorii* & *auriſluxum ſoetidum*, ac *ſanioſum emendandum* & *curandum.*

Injectionem Balſamicum ſuadet e *Balſami copaivae* Unc. dimid. ut ſolventur cum *Ovi vitello*, probe ſubactis conterendo addentur *Aqu. Calcis* Unc. 6. *Mellis Roſacei* Unc. 3. Miſceantur ad *uſum* uti *Injectio detergens*, inprimis quoque ad *ulcera ſinuoſa.* Pharm. *pauper. Edinburgenſ.* hancce quoque habet præſcript.

Injectionem Mercurialem communicat quoque *Plenck* e *Mercurii vivi* Dracm. 1. vel e *Mercurii ſublimati corroſivi* Gran. 1. & dimid. *Gummi Arabic.* Drachm. 1 - 3. *Aquae fontan.* Unc. 12. *Aquae Rutae* Unc. 2. *Syrup. Diacodii* Unc. dimid. ut ſolven-

ventur conterendo exacte in *mortario vitreo* l. *marmoreo*, ad *uſum* in *gonorrhoea*, *fluore albo*, & *ophthalmia gonorrhoica*.

Ph. *pauper. Edinburg.* ſuadet ad *Inject. mercurial. Mercur. viv. Balſ. copaiv.* ana Unc. dimid. ſubactis bene ad extinct. ut addentur *Ovi vitelli*, & optime mixtis ſenſim addantur *Aquae fontan.* Unc. 6.

Injectionem exſiccantem ſuppeditat quoque *Plenck* ex *Aqu. Thedian.* & *Aquae Roſar.* ana Unc. 2. Mixta, adhibeantur ad *ulcera ſinuoſa* & *fiſtulas conſolidandas*.

Injectionem detergentem ſimplicem, ex *Aquae Calcis* Unc. 12. *Unguent. Aegyptiac.* Unc. 1. Quæ miſcenda ſunt ad *uſum* in *ulceribus fiſtuloſis detergendis*.

Injectionem foetidam ſuadet Ph. *pauper. Pragenſ.* e *Cortic. Peruv.* vel *Cortic. ſalic. fragil.* rud. tuſ. Unc. 1. ut coquantur in *Aqu. font.* Unc. 12. colatur. Unc. 8. ut addentur *Aſae foetid.* cum mucilagin. *Gummi Arabici* qu. ſuffic. tritæ Drachm. 2.

Injectionem antiſepticam communicat Ph. *pauper. Hamburg.* e *Cortic. ſalic. fragil.* rud. tuſ. Unc. 2. ut coquantur in *Aquae fontan.* Unc. 12. Colatur. Unc. 8. addendæ ſunt *Camphor.* in *Spiritu Vini* qu. ſuffic. ſolutæ, Drachm. dimid. *Mellis deſpumat.* Unc. 1.

JOVIS PRÆPARATIO,

vide *Stanni Praeparatio.*

JVLAPIVN E CAMPHORA ACETOSVM.

Rec. *Camphorae* Drachm. 12. cum
Spiritus Vini aliquot Guttis probe tritas ut miſceantur &
Gummi Arabici Drachm. 2. in mucilaginem ope
Aquae commun. Drachm. 2.

 Sub

Sub perpetuo motu ut addentur ſucceſſive. l.
Acidi Vitrioli, in doſi minori.
Aceti Vini deſtillati, Unc. 16. in quo
Sachari albi Unc. dimid. antea ſoluta eſt.
Ph. *Londin. Würt. Danica, Guy, Brunſuic.*

VIS *antifebrllis*, *antiputrida.*

VSVS in *febribus permalignis*, in *lentore circuli humorum*, *camphora* cum *menſtruo temperante* conjuctam

DOSIS Unc. 1. ſexta quavis hora.

OBSERV. 1) Ph. *Londin.* præſcribit *Julep.* e *Camphor. ſimplicem*; e *Camphor.* Drachm. 1. *Sachari puriſſimi* Unc. dimid. *Aquae bullient.* Unc. 12. *Camphora* primum cum pauco *Spiritu vinoſo* rectificato utteratur, ad *mollescentiam*, tum cum *Sacharo* accurate miſceatur, aqua ſenſim & cum mixtura in aperto vaſculo frigefacta dein, quo filtranda eſt.

JVLEPVS ACIDVLATVS RICHARD.

Rec. *Ptiſanae commun.* Unc. 24.
Spiritus Nitri dulcis Scrupul. 1.
Syrup. Limonum Unc. 2.
Miſceantur. Ph. *Londin.*

VIS *antifebrilis*, *temperans.*

VSVS in omni genere *febrium.*

PRÆSCRIPTIONES DE JVLEPIS.

ſ. *Julapiis variae* exſtant, præcipuæ ſunt.

Julapium e *Creta* ſ. *Cretaceum*: e *Cretae albiſſimae* præparatæ Unc. 1. *Sachari puriſſimi* Drachm. 6. *Gummi Arabici* Drachm. 2. *Aquae commun.* Unc. 24. Quæ miſcenda ſunt ad *uſum involventem* acidum in primis viis, in *diarrhoea.* Ph. *Londin.*

Ju-

Julepum diureticum e *Spiritus Mindereri* Unc. 4. *Aquae Raphani compoſiti* Unc. 2. *Syrupi* ex *Althea* Unc. 3. Miſcenda aquæ ſunt, ſcopo *diuretico* pro doſi Unc. 1. ter de die. *Guy.*

Julepum e *Moſcho* ex *Aquae Roſarum damaſcenarum* Unc. 6. *Moſchi* Gran. 12. *Sachari puriſſimi* Drachm. 1. Terendo ſacharum cum moſcho & gradatim addendo *Aquam Roſarum* ad *uſum antiſpasmodicum.* Ph. *Londinenſ.*

JVLEPVS ROSARVM MESVE,

ſ. *Julapium Regium Roſatum;* ſ. *Syrupus Regius,* l. *Alexandrinus.*

Rec. *Sachari albiſſimi* Unc. 18. ſolve leni igne in *Aquae Roſar. fragrant.* Unc. 20. Ebullitionem poſt unam alteramve cola per pannum, & ſerva uſui. *Piderit.* Ph. *Roſſica, Danica.*

VIS *cordialis.*

USUS *edulcorandis Emulſionibus* & variis *Potionum* generibus. Scrupuli 2-3. ſufficiunt ad *Aquae* l. *Emulſionis* l. *Potus* Unc. 1. edulcorandam.

OBSERV. Eodem modo paratur *Julepus violarum* cum *Aqua violarum* & *ſacharo.*

Scopo *refrigerante*, *confortante.*

JVS VIPERINVM.

Rec. *Viperam* mediocris magnitudinis, pelle, capite, & inteſtinis demptis,
Aquae Unc. 24.

Coque circiter ad Unc. 12. remove ab igne, & cum perfrixerit, ſi vipera recens ſit, aufer pinguedinem concretam.

Dein *pullum Gallinaceum*, mediocris magnitudinis exenteratum, cute, adipeque omni detracto, ſed indiviſum, in hoc jus adhuc fri-

gidum immitte, igni impone, ut ebulliat, tum remove ab igne, exime pullum, & ſtatim carnem ejus in fruſtula divide; carnes diviſas iterum liquori redde, & igni admove; denique, cum primum ebullire incipit, effundatur, ſpuma caute prius ablata.

Ph. *Londinenſ.*

VIS & USUS patet e qualitatibus *ingredientis ſimplicis.*

OBSERV. Tempore uſus ſemper recens parandum eſt.

KERMES MINERALE LIGER,

ſ. *Sulphur Antimonii Rubrum*, ſ. *Pulvis Carthuſianorum.*

Rec. *Antimonii Crudi* groſſe pulveriſati Unc. 12.
Lixivii cauſtici Unc. 36.

Per horam 1-2. leni igne coctum *liquorem* fervidum, ſpathula continue motum, per chartam bibulam filtra, poſt refrigerium in quiete pulvis ſubſidens, ſua ſponte ad fundum præcipitatur, *inſipidus* plane & *inodorus*, *coloris rubicundi*, qui affuſa aqua communi, primum frigida, dein calida ſæpius abluatur, donec inſipidus ſit. *Piderit.*

VIS *reſolvens* eximie, humores tenaces *incidens*, *diaphoretica*, *haemocatarctica*, majori doſi *emetica*, *purgans.*

USUS ad *ſpiſſitudinem mucoſam* & *phlogiſticam* potenter *reſolvendam*: in *morbis acutis*, *arthriticis*, *rachiticis*, *ſcrophuloſis*, *venereis*, *induratis*:
in *morbis chronicis* a *corrupta* & *coagulata lympha* ortis, in *omni humorum lentore*; *ſcabie inveterata*, *exanthematibus chronicis*, aliisque *impuritatibus cutis*, *herpete.*

In

In *ulceribus* antiquis; *tinea* capitis; *achoribus*; *glandularum tumoribus* & eis obſtructis; *rachitide*, *febribus intermittentibus*, *chloroſi*, in ſtatu *cachectico leucophlegmatico*, & ipſa *hydrope*.

In affectibus *rheumaticis*, *podagricis*, *pectoris ſeroſis*; in *aſthmate pituitoſo*, *catarrho ſuffocativo*, in copia ſimul juncta *humorum tenacium* & *ſeroſorum*, uti & in *tuſſi convulſiva*, & alia, ac in *catarrho*: *antifebrifugum caeterum* ad *Saunder*.

DOSIS *Adultis* a Gran. 4-12. *Infantibus* bi-triennibus a Grano dimidio ad 1. majoribus ad Grana 2-3. In majori doſi, l. ſalibus mediis nuptum, efficit *vomitus nauſeas*, & *ſeceſſus alvi*.

OBSERV. 1) Ex *Antimonio* remanenti, ſuperfuſo *Lixivio*, & repetito, qui præſcriptus, labore, denuo aliquid *Kermes* obtinetur: una vero coctione ex Unciis 12. *Antimonii* Drachm. 13. & Grana 16. ejus impetrantur.

Liquor clarus, e quo *Kermes* præcipitatus fuit, ſulphur auratum largitur, uti infra occurrit.
Piderit.

2) *Kermes minerale* rite præparatum, nullam *nauſeam*, & *vomitum* excitare debet, niſi in *primis viis* prædominanti *acido*.

Labes venerea ſi cum uno aut altero ſupra nominatorum morborum conjuncta eſt, *Kermes* recte *Mercurialibus miſcetur*.

3) *Kermes minerale* convenit partim quoque cum *Sulphure aurato Antimonii*; niſi quod hoc *Sulphur aur. Antimon.* regulinis partibus minus ſcateat, & hinc facile *nauſeam* & *vomitum* excitet, ſi paulo *majori* exhibetur *doſi*.

Infantibus hinc optime porrigitur, tantum a quarta parte Grani ad 1. & in *adultis* a Granis 2-4. Doſis ſemper commode augetur tractu temporis & continuato uſu, ſine *nauſea* & *metuendo vomitu*.

In *affectibus aſthmaticis & catarrho ſuffocativo*, ſæpe conſulto in tali datur doſi, ut *vomitum* cito excitet. *Piderit.*

OBSERV. 4) Pharm. *Suecica*, *Roſſica* ſuadent ut pulveris *Antimon. crudi* groſſe pulveriſat. Unc. 6. *Alkali Lignorum* depurat. Unc. 24. *Aquae fluviat. ferv.* Unc. 96. exacte miſceantur, cæterum præparentur uti ſupra, ad *Piderit* præſcriptionem.

Pharm. *Danica* ſuadet *Antimon. Hungaric. pulveris* Unc. 36. *Nitri fixi* Unc. 30. *Aquae fontan. puriſſ.* Unc. 180. cæterum fiat præparatio uti ſupra jam dictum.

Ph. *Herbipolitan. Auſtriac.* ſuadent ex *Antimonii Crudi* in fruſta minora comminuti quant. plac. Injicenda quæ ſunt in ſartaginem ferream miſcenda *Salis Tartari*, quadruplo circiter & *Aquae communis* ſufficiente quantitate; ebulliant tum ſimul per 3. vel 4. horas. Fervidus liquor per chartam emporeticam filtretur, ubi ex eodem refrigerato ad fundum ſecedet ruber, levis ex rufo bodius pulvis, e *Sulphure*, *Sale Alcalino*, & regulo *Antimonii* conſtans: ſ. *Hepar Sulphuris* cum quibusdam partibus regulinis, qui *Aqua* pura aliquoties abluendus, leniter exſiccandus & ſervandus eſt. Liquor a filtratione reſtans, reſiduo in ſartagine adfundatur *antimonio*, iterumque coquatur, filtretur. Hic labor eodem *antimonio* multoties iterari poteſt, adfuſa, dum deficit, nova aqua, & poſt ſingulas coctiones nova ſemper obtinetur dicti pulveris portio, quæ portiones omnes, ut ſupra monitum, tractandæ, tandem commiſcendæ, & ſervandæ ſunt uſui.

5) Reliqua vide *Sulphur Auratum Antimonii*: Mitiſſimum cæterum & parciſſimo Regulo inſtructum acquiritur *Sulphur Antimonii*, ſi *Kermes* ipſum

ipſum jam præparatum, cum duplo *Alcali* & multa *Aqua communi* denuo coquitur, quo enim ex *Aqua* filtrata & refrigerata, purius, metalli parte magis privatum, deſcendit, ut tutius poſſit adhiberi: Doſi Gran. 1-4-6. in morbis quoque ſub *Sulphur Antimonii* nominatis.

OBSERV. 6) Ex experiment. *Geoffroy* patet in *Kermes* una Drachma contineri *Reguli* Grana 17. *Alcali* Grana 14. *Sulphuris* Gran. 41.

LAC AMMONIACI GVMMI,

ſ. *Ammoniacale*.

Rec. *Gummi Ammoniac*. depur. Unc. 1.
--- *Arabici* Drachm. 1.
Aquae Hyſſopi Unc. 8.

In mortario marmoreo tere, ad plenariam *Gummatum* ſolutionem.

VIS *incidens*, *attenuans*, *reſolvens*, *anthelmintica*, *expectorans*.

USUS ad *viſcidum* & *pituitam incidendam*; *obſtructiones reſolvendas*, *ſanguinis* fluxum *promovendum*. Adhibetur hinc cum uſu ad *tuſſim humoralem*; ad *aſthma* humidum; *pleuritidem*, *peripnevmoniam*; ad *pectoris* affectus; ad *obſtructiones viſcerum abdominis*, *glandularum inprimis meſaraicarum*, *menſium* aliorumque *ſanguinis* fluxuum: *puerperis* in *pectoris* oppreſſione a *lochiorum* retentione orta, l. in aliis eorum *morbis pectoralibus*. Ob *nauſeas* remedii hujus qualitates difficulter *infantes* hoc *medicamentum* qua *anthelminticum* ſumunt.

DOSIS ad cochlear 1-2. ſolum exhibitum, omni 3-4. horio. --- Utplurimum additur ab Unc. 1-3-4. aliis *Mixturis becchicis* & *reſolventibus*.

OBSERV. Ph. *Suecica* ſuadet e *Gummi Ammoniac*. puriſſ. Unc. dimid. *Aquae Pulegii* Unc. 8. in mor-

mortario vitreo ut terantur, donec *Gummi dilutum* ſit.

Pharm. *pauper. Hamburgenſ.* præſcribit *Gummi Ammoniaci* depur. Drachm 2. *Aquae fontan.* Unc. 4. *Spiritus Minderer. Mellis deſpum.* ana Unc. 1. quæ miſcendæ ſunt exacte.

LAC VIRGINIS PLENCK.

Rec. *Alumin. Crudi* Unc. 2.
Aquae fontan. Unc. 12. ſolutis admiſceantur.
Aceti Lithargyrii Unc. 6.

VIS *coſmetica,*

USUS ad *cutem* a ſole quaſi *ambuſtam* prompte curandam, ad *lentigines* & *ſerpigines* deleandas, per uſum tantum ad quoddam tempus.

Longus & quotidianus enim uſus hujus lactis, ad *Boerhavium* quoque, labem in pulmonibus facile producit, ſæpius lethiferam.

OBSERV. Ph. *Brunſuicenſis* communicat compoſitionem e *Lithargyrii* ſubtiliſſime triti Unc. 6. quæ coquantur in *Aceti Vini deſtillati*, Unc. 18. ad tertiæ *Aceti* partis conſumtionem, tunc filtretur, & colaturæ adfundatur, *Aluminis Crudi* in *Aquae commun.* Unc. 24. ſoluti Unc. 4. Liquor albeſcens *Lac Virginis* vulgo vocatur.

Spielmannus ſimpliciſſimam communicat compoſitionem ex *Aquae commun.* qu. plac. cui inſtillentur Guttæ aliquot *Tincturae Benzoes.*

LAC SVLPHVRIS,
ſ. *Sulphur praecipitatum.*

Rec. *Sulphur. citrin.* pulveris Unc. 12.
Lixivii cauſtici Unc. 36.

Coque ad perfectam *Sulphuris* ſolutionem in sartagine ferrea, & filtratæ ſolutioni ſenſim & guttatim, usque dum ulterius non turbetur, adde *Mixturam* ſequentem.

Re-

Recipe *Aquae fontan.* partes 12. cui ſenſim inſtilla *Acidi Vitrioli* concentrati partem unam. Pulvis albicans præcipitatus, Liquore decantato, edulcoratur *Aqua fontana*, & exſiccatur. *Piderit.*

VIS & USUS idem cum *Floribus ſulphuris*: inprimis ad *pectoris morbos.*

Lactis ſulphuris uſum inprimis laudat in *leucophlegmatia*, poſt *febrem ſcarlatinam* facile ſe gignente, *Werlhof.*

OBSERV. 1) A ſumtis *venenis* rodentibus, *Arſenico* & *Mercurio corroſivo*, ortos tam varios affectus, *ſulphurea* valde infringunt remedia, ea deſtruendo & decomponendo. Commiſcetur hinc *Lactis ſulphuris* Drachm. 1. cum *Aquae* Unc. 4. & *Cochlear* 1-2. omni hora ſumitur. *Piderit.*

OBSERV. 2) *Plenck* & Ph. *Brunſuicenſis* ſuadent compoſitionem e *Floribus Sulphuris* Unc. 6. *Salis Sodae* ſ. *Tartari*, Unc. 18. coquendis cum *Aqua* ſimplici in vaſculo terreo vitreato, donec major pars ſulphuris ſoluta fuerit, tum filtrandi, ad *uſum* in *morbis cutaneis* curandis.

OBSERV. 3) *Göttling* viam præſcribit ſimplicem, qua ſemper eadem proportio præcipitati Sulphuris acquiritur, a *Meyero* optime indicata. *Alkali rite depurati* Unc. 36. ſolvuntur in ahenoro ferreo cum *Aquae commun.* Menſur. 20. in igne, hac ſolutione Unc. 48. *Calcis Vivae recent.* adcoquuntur, infunduntur in manicam Hippocratis, quo *Lixivium Cauſticum* in vas ſuppoſitum inſtillabit. Reſiduum coque bis cum *Aqua fontana* recenti, commiſce & elixa Liquorem cauſticum per manicam ſuperiorem; Omne *Lixivium* incoque ad remanentiam Menſuræ

ſuræ 2. & dimidiæ, quibus adde cochleatim Unc. 24. *Sulphuris* ſubtiliter contuſi, leni ebullitione. Coque denuo per quartam horæ partem, filtra ſolutionem per linteum, ad *ſulphur*, in *lixivio* vulgo non omne ſolubile, ſeparandum, in vaſculum purum. Solutio filtrata quieti tradetur, per quasdam dies, ad varia inquinamenta ſeparanda, quo cruſta ſalina in ſuperficie ſolutionis ſe manifeſtabit.

Solutio rubra depurata ab inquinamentis diluitur *Aqua*, quo tum Unc. 14. *Olei Vitrioli* anglici ſucceſſive miſcentur caute cum Menſur. 5. *Aquae commun.* quibus ab hoc *Acido Vitrioli diluto*, perpetuo ſub motu ſucceſſive affunditur ad *Solutionem ſulphuris*, usque dum nulla obſervatur efferveſcentia, & omne Sulphur præcipitatum ex eo eſt.

Præcipitato *Sulphuri*, e *ſolutione* ſuperfunditur omne, linteo expanſo, & *lixivium ſalinum* de eo defluit. Præcipitato remanenti in panno affunditur tamdiu variis vicibus aqua calida, usque dum ea plane inſipida defluit. Præcipitatum hoc omni aqua orbatum leni calore deſiccatur, & acquiruntur Unciæ 18 - 19.

Loco *Calcis* recentis paratur e partibus 2. *Alkali* & una parte *Sulphuris*, *Lac Sulphuris* in *Aqua fervida* ſoluti, filtrati, & *Sulphur Acidi Vitrioli* præcipitati, præcipitatum bene edulcorandi & leniter decoquendi. Hac præparatione ortum lixivium non prodeſt. acquiſita hinc ſalia ſemper ſunt *ſulphurea* etſi ſæpius purificantur.

LAPIS CALAMINARIS PRÆPARATVS.

Rec. *Lapidis Calaminaris*, qu. plac. electi, in crucibulo ter candefacti, in *Aqua fontana* extincti in mortario lapideo pulveriſatur, ad pul-

pulverem valde ſubtilem, & per cribrum trajectus aſſervatur. *Piderit.* Ph. *Suecica.*

VIS *exſiccans*, *adſtringens*, *catharctica*, *abſtergens.*

USUS. *Externe* in *collyriis*, *unguentis* & *emplaſtris exſiccantibus.* Confert quoque in *ulceribus ſordidis*, in *intertrigine infantum*, & *excoriationibus perinaei*: ad *unguenta epulotica*, *narcotica.*

OBSERV. Si nimis diu in igne *Lapis Calaminaris* manet, avolat facile *Zincum*, hinc in *floribus Zinci* optima vis *adſtringens* ſe manifeſtat: hinc *Lapide Calaminari* plane vacare poſſumus.

LAPIDES CANCRORVM PRÆPARATI,

ſ. *Cancrorum Calculi* l. *Oculi* - *praeparati.*

Rec. *Cancrorum Lapides*, *Aqua fontana* aliquoties ablutos, exſiccatos, in mortario lapideo pulveriſantur, & per cribrum trajiciuntur, uſuique tum aſſervantur.

VIS *abſorbens*, *involvens acidum*, *exſiccans*, *diuretica*, *digeſtiva*, partim *ſeptica.*

USUS *interne* ad *acidum* in *primis viis abſorbendum*, vel ſoli a Scrupul. 1-2. ad Drachm. 1. vel cum aliis miſcentur *abſorbentibus*, in *ſaburra acida*; in *rachiticis morbis*; in *amauroſi* ab *acido*; *Plenck.* *Externe* ad *cicatriſandum*, *exſiccandum*, *inſperguntur ulceribus.*

OBSERVAT. 1) *Aroma* quoddam addatur jure iſtis remediis, quæ *ventriculum gravant.* Quibusdam *varia* excitant *incommoda*, *Lapides* hi, uti cancri ipſi, ob *peculiarem idioſyncraſiam*; *anxietates* nempe & *vomitus*, quos utplurimum efflorescentia ſequitur cutis, *febri ſcarlatinae ſimilis.*

OBSERV. 2) *Lapidum* horum uſus, in *morbis putridis* & *bilioſis* noxius ſemper eſt; alia hinc magis tum conducunt, ſi abſorbentia requiruntur: uti *Magneſia alba.* *Piderit.*

3) Ad Ph. *Roſſicam*, contunduntur & teruntur tantum *Calculi*, dein per ſindonem trajiciuntur, omiſſa ſueta præparatione ſuper *porphyrite.*

4) *Lapides Cancrorum citrati* præparantur, e *Lapidibus cancrorum*, *Aqua calida* optime ablutorum qu. plac. rediguntur in pollinem ſubtiliſſimum, cui in vaſe vitreo paulatim affundatur, *Succi Citri* recentis depurati quant. ſuffic., donec non amplius efferveſcant; Leni tum calore ſub continuo motu plane exſiccentur, & in pulverem terantur. Ph. *Danica.*

Ab affuſa quantitate ſufficienti *Aceti deſtillati*, ad ſaturationem, fiunt tum *Lapides cancrorum acetati.* Ph. *Brunſuicenſ.*

LAPIS CAVSTICVS, SEV SEPTICVS-

Chirurgorum, ſ. *Alkali cauſticum*, ſ. *Cauterium cauſticum potentiale.* ſ. *Cauſticum commune acerrimum Londinenſe.*

Rec. *Lixivii cauſtici*, quantum vis, in vaſculo ferreo ad *ſiccitatem* evaporatum ſ. donec guttula, lapidi frigido inſtillata, indureſcat, calcinetur in crucibulo, auctoque tum igne in fluorem, olei inſtar, quod ſubito in canalem ferreum, ſuper marmor calefactum, & *Oleo olivarum* prius illitum, effunditur, pennæ anſerinæ inſtar, materia ſecta in fruſtula, tum idonea, in vaſe vitreo, contra omnem aëris acceſſum bene munito, ſervetur tum uſui. Quo diutius materia adignem fluxit, eo ſolidiorem acquirit conſiſtentiam. *Piderit.* Ph. *Roſſica.*

VIS *corrodens enormiter* & *veſicans*, *cauſtica*, *eſcharotica*, partes animales *ſolvens*, vegetabilia relinquens intacta.

USUS

USUS eximius in *hyperſarcoſibus* & *callis* abſumendis, prudenter modo applicatus; in aperiendo *abſceſſu*, l. *bubone* indurato; in *hydrocele* evacuanda; in *carie*, *polypo*. *Plenck.*

Ad *fonticulos* applicandos, l. *veſicatorium* l. *cauterium actuale*; & ad *tumores aperiendos cultro* chirurgico præfertur.

In *Aqua communi* ſolutus optimum *purificans*; in *gonorrhoea*, multa *Aqua* dilutus ſolvit *tumores podagricos*, ſi lintea hac ſolutione madida imponantur.

OBSERV. 1) Ad *verrucas* jure *mitius* adhibendum eſt *cauterium*, facile enim talibus *fortioribus*, *malignam* & *carcinomatoſam* induunt indolem. *Potentius* hoc *cauſtico* agit *Lapis infernalis*, & in *carie oſſium* non raro ipſius ignis vires ſuperat.

2) In uſu hujus *Lapidis cauſtici* hæc quoque obſervanda ſunt; Tempore uſus, loco, cui neceſſarium eſt, *Emplaſtrum* quoddam tenax, in medio, quantum ſufficit, perforatum imponitur; tum foramini huic *Lapis cauſticus* immittitur, atque aliud *Emplaſtrum* ſuperimponitur, ne in aëre diffluat, per horæ dimidium l. integram, quo tempore elapſo, craſſiſſima cutis, ſine inſigni dolore, peruſta & mortificata eſt. *Ungnento digeſtivo* quodam eſcharæ lapſus tum promovetur. *Piderit.*

3) Ph. *Auſtriaca*, *Herbipolitana* præſcribunt ad *Lapidis cauſtici* compoſitionem, *Calcis vivae* valde ſaturat. part. 3 ut extinguantur cum ſufficiente quantitate *Aquae commun.* cui injice *Cinerum clavellatorum* depuratorum part. 1. *Lixivium* hoc multa adhuc *Aqua* dilutum, moveatur bacillo ligneo & filtretur per chartam bibulam. *Lixivium* filtratum inſpiſſetur in fartagine ferreo in maſſam ſalinam ſiccam, omni

 aqua

aqua orbatam, quæ, ſuper igne fluens, illico effunditur in modulos, vel ſuper laminam marmoream; frigida lenteſcens adhuc in fruſtula ſecetur, idoneæ molis, & figuræ, ubique in vaſculis vitreis, bene clauſis, in loco ſicco ſervanda.

OBSERVAT. 4) Ph. *Edinburgenſ.* præſcribit, *Cauſticum commune acerrimum*, e *Lixivio cauſtico*, quantum placet, in vaſculo ferreo puro, ut evaporetur leni igne, donec ebullitione finita, materies ſalina tranquille fluat inſtar olei, quod ſit, antequam vas igne rubeſcat. Liquefactum ita cauſticum effundetur ſuper laminam ferream nitidam, in maſſulas tum ſecetur ante indureſcentiam, & dein in phialam bene obturandam reponetur.

5) *Cauſticum commune mitius* ſ. *Lapidem cauſticum mitiorem*, communicat quoque Ph. *Edinburg.* hocce modo e *Lixivio cauſtico* qu. plac. præparandi, evaporatione in vaſculo ferreo ad tertiam partem, tum ut addentur *Calcis vivae* recenter extinctæ, qu. ſufficit ad paſtæ craſſitudinem dandam, quæ in vaſculo obturato ſervetur.

LAPIS DIVINVS,

vide *Lapis Ophthalmicus.*

LAPIS INFERNALIS ANGELI SALÆ,

ſ. *Cauſticum lunare Londinenſ.* ſ. *Sal metallicus* ex *acido Nitri* & *Argento conſtans.*

Rec. *Argenti* probe *cupellati* Unc. I. in vaſe vitreo affundetur
Acidi Nitri fumantis ſ. *Spiritus Nitri* concentratiſſimi Unc. dimid.

Ad ſiccitatem usque evaporetur ſolutio, balnei caloris ope; *Sal* hoc acquiſitum *exſiccatum* am-

ampliori crucibulo immittetur, & in initio leni ſundetur igne, paululum tum augeatur, ceſſante vero ebullitione, maſſa prius inſtar *Cerae* fluente, ſubito in canalem ferreum effundetur, eodem modo uti *Lapis cauſticus.*

Piderit.

VIS *cauſtica cauterii* hujus potentialis: multa vero Aqua ſolutus *Lapis* hic, eſt vis ejus *roborans*, *exſiccans* ſimul.

USUS qua *cauſticum polychreſtum* ad *carnem fungoſam, ulcerum* & *vulnerum*, corrodendo, conſumendam, ad *naevos maternos* exſtirpandos.

Solutio *Lapid.* hujus Drachm. dimid. in *Aqua fontan.* Unc. 2. ſoluti, & dein *Aquae fontan.* Unc. 8. diluti, validum *roborans* exhibet, in *fiſtula* lachrymali, ſi per puncta lachrymalia injiciatur: uti & in *fiſtulis* & *ulceribus* exſiccandis. *Plenck.*

Cauterium hocce *Lunare* communiſſimum hodienis temporibus, mollem depaſcitur cutis carnisque ſubſtantiam, & *excreſcentiis*, *verrucis* & *fiſtularum*, *ulcerum vulnerumque* oſtiis calloſis abſumendis, fonticulisque excitandis inſervit.

OBSERV. Ph. *Auſtriaca*, *Herbipol.* præſcribunt *Argenti cupellati* l. *limati* q. plac. ut diſſolvatur in *Aquae* fortis puriſſimæ ſufficienti quantitate, l. ſubtriplo. Evaporet leni calore ad medietatem, e frigefacta ſolutione tollantur cryſtalli, & ſerventur. Sic pergitur in evaporatione repetita, donec omne argentum in cryſtallos coiverit. Has omnes cryſtallos injice in crucibulum; evapora denuo ad ſiccitatem leniſſimo calore; ſimul ac iterum fluit maſſa, effundatur in modulum calefactum ſeboque illitum. Refrigeratus lapis eximatur, & ſervetur in vaſe

 be-

bene clauſo, contra aeris injurias, ne forte deliquium ſubeat.

LAPIS MEDICAMENTOSVS.

Rec. *Vitrioli* ad *rubedinem calcinati* Unc. 2.
Lithargyrii ſ. *Ceruſſae*, - *Armeni Boli*,
Alumin. ana Unc. 4.
Miſce & ollæ fictili commiſſis affunde
Aceti vini concentrati ad 2. digitorum ſupereminentiam.
Vaſe bene obturato per 3. dies, ſæpe materiam agitando, macerentur, quibus tum adde
Nitri depur. Unc. 8.
Salis Ammoniaci Unc. 2.
Coque igne leni ad exſiccationem, maſſam exſiccatam ſuperſtitem calcina igne vehementi per horam, exime & ſerva tum uſui.
Ph. *Herbipolit. Würtenb.*

VIS *deſiccans*, *mundans*, *relaxatas* partes *roborans*.

USUS ad *ulcera* omnis generis *inveterata mundificanda*, & *vulnera conſolidanda*: *ſcabiem*, *tineam*, *gangraenam*, *fiſtulas*, mala *lymphatica*, ubi Unc. 1. hujus *Lapidis* in *Aquae pluviae* Unc. 12. ſolvitur, ſolutione filtrata partes laventur, & lintea illa imbuta imponantur l. ipſe liquor, ſyringæ ope injicitur.

OBSERV. 1) Ph. *Roſſica* præſcribit *Aluminis*, --- *Boli Armenae*, - *Colcotharis*, - *Lithargyrii*, ana partes æqual. ut adfundentur iis, in vaſculo figulino vitreato, *Acetum Vini* ad ſupereminentiam digitorum 4. & coquetur, ſpathula lignea agitando, ad ſiccitatem.

Ph. *Brunſuicenſis* præſcribit *Vitrioli albi* Unc. 4. *Salis Ammoniaci* Unc. dimid. *Ceruſſae*, *Boli Armenae* ana Unc. 1. *Aceti Vini* Unc. 12.

in vaſculo figulino ad ſiccitatem, ut coquantur.

LAPIS OPHTHALMICVS.

ſ. *Divinus* - *St Yves.*

Rec. *Vitrioli* de *Cypro*,
Alumin. Crudi ana Unc. 4. Pulverata & mixta liquefiant leni igne in vaſe figulino non vitreato, & parum refrigeratis adde
Camphorae cum *Spiritu Vini* in pulverem redactæ Drachm. 2.

Mixta ſervetur uſui. *Piderit.*

VIS *acris*, valde *refrigerans*, *repellens*, *mundificans*, *roborans*, & *exſiccans*.

USUS ad *collyria*, in *ophthalmiis*, in *oculorum morbis*, & in eorum *lippitudine*, in *ophthalmia humida*, poſt *operationes* in *oculis* inſtitutas, partes affectas *fomentando* confert eximie ſolutio *Lapidis* hujus *ophthalmici*: uti & in *debilitate* & *obſtructione viarum lachrymalium*, & in incipiente *fiſtula lachrymali*, *Syringae Anellianae* ope.

Ad *Aquas vulnerarias* & *Unguenta* ac *Emplaſtra conſolidantia* hinc adhibetur, ad *vulnerum inflammationes*, *ulcera ſordida purganda*, & *fiſtulas* eximie valet.

OBSERVAT. 1) Ob vim hujus *Lapidis* vehementem, inprimis adſtringentem caute adhibendum eſt, hinc non in omnibus conducit morbis, in *partibus* tantum *relaxatis*, in epiphora.

2) *Lapidis* hujus Unc. 1. in *Aquae* cujusdam deſtillatæ Unc. 12. optime ſolvitur, ſolutio tum filtratur, ut *Liquor* evadat clarus, quo modo in *fomentationibus* & *injectionibus* applicatur.

OBS. 3) *Plenck* ſuadet *Nitri depur. Vitrioli caerulei, Alumin. crudi* ana Unc. 8. contrita & mixta fluant in crucibulo, quibus in fine additur *Camphorae tritae* Unc. dimid. Mixta & refrigerata maſſa uſui ſervetur.

Pharm. *Herbipolitan. Danica. Würtenb.* & *Spielmanni* præſcribunt *Nitri depurat. - Vitrioli caerulei, Alumin. crudi* ana Unc. 8. contrita & mixta ut fluant in crucibulo, quibus in fine addatur *Camphorae tritae* Unc. dimid. Rite agitata refrigerentur.

LAVDANVM LIQVIDVM SYDENHAMI.

ſ. *Tinctura Thebaica Edinburgenſis*,
ſ. *Eſſentia* l. *Tinctura Anodyna.*

Rec. *Extract. Opii* Unc. 2.
Vini albi generoſi Unc. 16.

Digere per 3. dies, filtra tum & ſerva uſui.

VIS *narcotica, ſopiens, anodyna, nervos irritans - excitans, roborans.*

USUS idem uti *Extract. Opii*, in *debilitate.* Cæterum confert in affectibus *hyſtericis, ſpasmodicis* & *convulſivis*, inprimis in conjunctione *Liquor. Cornu Cervi* ſuccinat. & *Liquor. anodyni mineral. Hoffmann:)* in *diarrhoeis* quoque *nimiis*, l. *hyperemeſibus*, aliisque excretionibus præter naturam excedentibus, conjunctis roborantibus, l. aliis remediis pro rerum circumſtantiis. *Piderit.*

DOSIS *Infantibus* Guttæ 2 - 3. biennibus ad 5. majoribus ad 10. adultis a 10 - 30. & ultra.

OBSERV. 1) Quælibet *Uncia* 1. hujus *Laudani* continet *Extr. Opii* ſ. *Opii pur.* Drachm. 1. ita ut Drachma ejus 1. Grana 7. cum dimidio de *opio* comprehendat.

OBS.

OBS. 2) Celeberrimus adhucdum Auctor præfert liquidum hoc, *Laudano* ſolido, ob ſormam commodiorem, & majorem doſis certitudinem, quum *Vino* nempe, *Aquae deſtillatae*, aut alii liquori cuicunque inſtillari commode poſſit. Viribus cæterum convenit cum aliis *Tincturis* & *Eſſentiis opii*: ob aromata vero addita, ſcopo roborante, nimis exæſtuantes ſunt, & ſortiorem vim noxiam ſæpius opiatis inducunt: hinc opium magis confert in vehiculo aquoſo, ſ. aliis remediis temperantibus junctum. *Pidevit.*

3) Ph. *Edinburgenſ.* præſcribit *Opii* Unc. 2. *Aqu. Cinnam. ſpirituoſ.* Unc. 12-20. ut digerantur per dies 2-4. & per chartam colentur. Cui *Croci* Unc. 1. Ph. *Auſtr.* addendum ſuadet.

4) *Selle* commendat. *Opii Thebaici* Unc. 2. *Croci orient.* ſ. *auſtriac.* Unc. 1. *Cinnamom.* acuti pulver. *Caryophyll. aromaticor.* ana Drachm. 1. omnia pulveriſata infundantur in *Vini hiſpannic.* Unc. 12. digerantur per aliquot dies, colentur, & ſerventur uſui. - Guttæ 6. continent Granum 1. *Opii*, cæterum quævis Uncia habet *Opii* Scrupul. 4. & Drachm. 1. cum Granis 10. *Croci* vero quælibet Drachma continet Grana 5.

Pharm. *Brunſuicenſis* præſcriptionem habet *Laudani Opiati* ex *Extracti Opii*, *Aqua fontana* acidulata Unc. 2. *Pulveris Croci* — *Opobalſami veri* ana Drachm. dimid. ut miſceantur. Plura vide *Extractum Opii.*

LAVATORIA vide *Lotiones.*

LIMATVRA MARTIS DEPVRATA.

Rec. *Limatur. Martis* quant. vis.

Magnetis ope, ramenta iſta, quæ illo attrahuntur,

ſeparentur a reliquis, in pulverem tum redigantur ſubtiliſſimum, uſuique ſerventur. *Piderit.*
VIS eadem cum *Extracto Martis.*
USUS ad *praeparata varia compoſita pharmaceutica.*
DOSIS a Granis 2 - 20.
OBSERVAT. Hacce via *Limatura* depurata *nullum* excitat *vomitum*: eamque ob cauſam, ad ea quoque, quæ Marte parantur remedia, non alia ſumitur, utplurimum enim *Limatura Martis*, *Cupri* ſ. *Aurichalci* ſcobe inquinata invenitur.

LIMONADA VEGETABILIS.

Rec. Cortic. exterior. *Citri* Nro. 2.
Infunde *Vini*, --- *Aquae fontan.* ana Menſur. 1. adde
Sachari albi Unc. 8. tum filtra. *Mellin.*
VIS *temperans*, *antifebrilis*, *diluens.*
USUS in *febrium paroxismis*, *febribus acutis*, & *aeſtu febrili.*

LIMONADA MINERALIS.

Rec. *Spiritus Vitrioli* Drachm. dimid.
Aquae fontan. Unc. 12.
Sachari quant. ſufficit ad grat. ſapor. *Mellin.*
VIS *fortior* quam *Limonadae vegetabilis*: magis ſimul *antiſeptica.*
USUS cæterum idem.

LINIMENTUM SEU UNGUENTUM-CEREUM,

ſ. *Album ſpiſſius.*

Rec. *Olei Olivarum* Unc. 12.
Cerae albae Unc. 4.
Spermat. Ceti Unc. 3.

Leni

Leni igne liquefacta aſſidue agitentur, donec penitus refrixerint. Ph. *Edinburg.*
VIS *refrigerans.*
USUS ad *ambuſtiones*, ad *fiſſuras* labiorum, & papillarum, & alias *excoriationes.* *Plenck.*

VARIAS PRÆSCRIPTIONES de LINIMENTIS

communicat cæterum *Plenck, Guy*, Ph. paup. *Hamburg.* & *Pragenſis.*

PRÆCIPUÆ ſunt hæc.

Linimentum album tenue, ex *Olei Olivarum* Unc. 3. *Spermatis Ceti* non rancidi Drachm. 6. *Cerae albae* Drachm. 2. Leni igne ſimul liquefacta, aſſidue & acriter moveantur ad unguenti formam, donec penitus refrixerint. USUS idem cum *Linimento albo ſpiſſo.* Ph. *Londin. Herbip.* *Plenck.*

Linimentum alcalinum, ſ. *Lixivium ſaponariorum*, Rec. *Lixivii Salis Tartari* Unc. 2. *Olei Olivarum* Unc. 4. *Vitelli Ovorum* Nro. 2. Miſceantur usque dum coeant, & fiat *Linimentum.* Ob VIM *coſmeticam rhagades mannum*, ab acidis mineralibus ortæ, & calloſa hinc reddita cutis, hoc unguento curatæ fuerunt. *Plenck.*

Linimentum ad *ambuſtiones* ex *Aquae Calcis* ſimplicis Unc. 1. *Olei Olivarum* Unc. dimid. miſcendi in *Linimenti* formam, ad USUM contra *ambuſtiones.* *Thom. Guy.*

Linimentum antiſpaſticum ex *Unguent.* de *Alth.* Unc. 2. *Camphor. Laud. liquid. Sydenh.* ana Drachm. 1. ut miſceantur probe. Ob VIM *antiſepticam-anodynam*, in *ſpasmis* commendat *Plenck.*

Pharm. pauper. *Hamburg.* præſcribit vero fortiorem præſcriptionem, ex *Olei Lini* recent. Unc.

Unc. 1. *Spiritus veſicatorii*, (e *Cantharidibus* in *Spiritu Vini* ſolutis conſtant.) *Laudan. liquid. Sydenh.* ana Drachm. 2. *Camphor.* Drachm. 1. ut miſceantur exacte.

Linimentum camphoratum ex *Olei Amygdalar. dulc.* Unc. 1. *Camphorae* Drachm. 1. Miſce exacte ſcopo *diſcutiente*, *reſolvente*, ad Ph. *Herbipolit.*

Linimentum gingivale e *Mell. Roſarum* Unc. 2. *Liquamin. Myrrhae* Unc. dimid. *Spiritus Salis acidi* Drachm. 2. Miſce exacte ad Ph. *Herbip.* Ph. *Herbipolitan.* aliam præſcript. communicat e *Terrae Catechu*, --- *Sanguin. Dracon.* ana Unc. dimid. - *Spiritus Cochlear.* qu. ſuffic. ut ſolvantur leni digeſtionis igne, ad conſiſtent. linimenti ſpiſſioris.

Ph. pauper. *Hamburg.* vero communicat *Linimentum gingivale Bickeri* e *Terrae Catechu*, *Sanguin. Dracon.* ana Drachm. 1. *Spiritus Cochlear.* Unc. 1. ut leni digeſtione accurate ſolvantur.

Linimentum mundificans, ad Ph. pauper. *Pragenſ.* ex *Extr. Myrrhae aquoſ.* Drachm. 2. *Mellis Roſar.* Unc. 2. *Spiritus Nitri dulc.* Drachm. 2. Miſcendi; cujus VIS & USUS e nomine patent.

Linimentum nigrum ex *Empl. nigri Becholzi* Unc. 1. *Olei Hyperici* Unc. 1. & dimid. ut miſceantur uſui. Ob VIM *vulnerariam*, concreta mammarum *ulcera* linimento hoc curavit *Schmucker.* Vera autem *ulcera cancroſa* non curavit eo *Plenck.*

LINIMENTVM SAPONACEVM,

ſ. *Saponis.* ſ. *Tinctura balſamica externa.* ſ. *Opodel ch*, ſ. *Balſamum Saponaceum Edinburgenſe.*

Rec. *Sapon. veneti raſi* Unc. 1. affunde

Spi-

Spiritus Vini Roriſmarini Unc. 4.

Spiritus Vini accenditur, & maſſa tamdiu bacillo ligneo miſcetur, usque dum ſpiritus non amplius flagrat, refrigeratis tum adde

Camphor. Scrupul. 2. *Piderit.*

VIS *diſcutiens*, *emolliens*, *reſolvens* potenter, *antiſpasmodica*, *anodyna* partim: cæterum idem cum *Balſamo Saponis.*

USUS in *tumoribus glandularum venereis*, *Falckii* obſ. Ad auferendam *pedum intumeſcentiam*, quæ poſt eorum *ulcera*, purgatis & correctis *humoribus*, ſanatisque *ulceribus*, rebellis remanet, nec ullo remedio cedebat, eximie prodeſt: *Piderit.* Inſervit quoque ad præparationem *Unguentor. mercurialium* & *ſulphureorum*, non tantopere poros cutis *obſtruens*, uti alia *unguinoſa.*

OBSERVAT. 1) *Linimentum* hoc viribus ſuperat ſæpe *Balſamum Saponis*: ob *Alcali* enim, in hoc Linimento, ab accenſo *Spiritu Vini exaltatum*; ob admixtam *Camphoram*, vires eius potentius efficiunt & penetrant, hinc eximie VIM *antiſpasmodicam* exſerit.

2) *Linimenti ſaponis* vires, pro variis rerum circumſtantiis *Spiritu Salis Ammoniac.* l. *Spiritu Terebinthinae* eximie exaltantur. *Piderit.* Ph. *Londinenſ.*

3) Ph. *Suecica* & pauper. *Pragenſ.* ſuadet *Spiritus formicarum* Unc. 12. *Sapon. venet.* Unc. 2. ut digerantur, donec ſapo plane ſit liquatus, cui tum adde *Camphorae* Unc. dimid.

Pharm. *Roſſica* præſcribit *Saponis Wolodogenſ.* Unc. 6. *Opii*, *Camphor*, ana Unc. 1. *Croci* Drachm. 2. *Spiritus Vini rectificat.* Unc. 48. Miſce.

Lini-

LINIMENTVM VOLATILE PLENCK.

Rec. *Olei Amygdalarum* dulc. recent. expreſſ. Unc. 1.
Spiritus Salis Ammoniaci Drachm. 1 - 2.
Camphorae Drachm. dimid.
Miſceantur exacte in mortario marmoreo, l. phiala patulis oris, donec coeant. Ph. *Lond.*

VIS *diſcutiens.*

USUS in *inflammationibus internis; peripneumonia, pleuritide,* viſcerum abdominalium *inflammationibus, colica flatulenta* & *tympanitide*; pectori in *angina*, externe collo applicatur; ſic ſæpe excitato ſudore per totum corpus, *inflammationem* reſolvit. l. abdomini infricatur, maximo cum morbi levamine, præmiſſis congruis remediis.

In *morſu Viperae* venenatæ gallicæ & caudiſonæ; & in *aſcite* abdomini injunctum convenit. *Plenck.*

OBSERV. 1) Tempore uſus præparatur prius.

2) ad Pharm. *Londinenſ.* & *Schmucker* & *Plenck*, *Camphoram* omittunt.

Ph. *Suecica* ſuadet *Spiritus Salis Ammoniaci cauſtici* l. cum *Calce Viva* parati, quant. plac. *Olei Olivarum* quadruplum pondus, miſceantur conquaſſando.

Ph. *Herbipolitan.* ſuadet *Olei Cornu Cervi*, --- *Spiritus Cornu Cervi* ana quant. plac. exacte ut miſceantur.

3) *Linimentum volatile mitius*, ex *Olei Amygdalin.* dulc. Unc. 1. *Spiritus Sal. Ammoniac.* Unc. dimid. ut agitentur in phiala patuli oris, donec perfecte coeant. Cujus VIS & USUS mitior quidem, idem vero cum antecedente. Ph. *Herbipolit.*

Ph.

Ph. paup. *Hamburg.* vero præſcribit e *Spiritu Salis Ammon.* cum *Calce Viva* parat. Drachm. 2. cum *Olei Camphorati* Unc. dimid. accurate ut miſceantur.

LINCTVS ACIDVS.

Rec. *Sachar. clarificat.* Unc. 4.
Spiritus Vitrioli quant. ſuffic. ad aciditatem fortiorem.
Miſce.

VIS *temperans*, *refrigerans*, *antifebrilis.*
USUS in *febrium acutarum aeſtu nimio.*
DOSIS cochlear parvum. Ph. pauper. *Hamburg.*

OBSERV. 1) Ph. pauper. *Pragenſ.* communicat *Linctum demulcentem*, ex *Olei Amygdalar.* recent. *Vitello ovi* ſubact. *Succi Citri* recent. preſſi ana Unc. dimid. *Syrup. Diacodii* Unc. 1. Miſcenda quæ ſunt accurate. Cujus VIS & USUS e nomine patent.

2) *Linctum expectorantem*, ex *Extract. Marrubii albi* Drachm. 2. *Sulphur. Antimonii aurat.* ultim. præcipit. Drachm. dimid. *Syrup. Altheae* Unc. 2. *Oxymell. Squillitic.* & *Oxymell. ſimplic.* ana Unc. dimid. cujus VIS & USUS e nomine patent. DOSIS cochlear parvum. Pharm. pauper. *Pragenſ.* communicat.

LIQVAMEN MYRRHÆ.

Rec. *Extract. Myrrhae* aquoſi Drachm. 2. ſolve terendo in
Olei Cerae Unc. dimid. & ſerva uſui.

VIS *balſamica*, *roborans.*
USUS in *vulnerum*, *partium exſanguium*, & *ulcerum* curatione.

OBS.

OBSERVAT. *Vulnerum* & *ulcerum* labia *exſucca* & *arida* reddit *Myrrhae* uſus continuatus. *Piderit.*

LIQVEVRS, vide *Clareta.*

LIQVIRITIA COCTA CITRINA.

Rec. *Sachari albi* Unc. 12.
Radic. *Liquiritiae* pulveriſ. Unc. 1.
--- *Iridis florentin.* Drachm. 2.
Croci Drachm. 1. Mixta redigantur in maſſam.
Mucilaginis Gummi *Tragacant.* ope qu. ſuffic. ut formentur inde bacilli ſupra cribrum ſiccandi. Ph. *Danica.*

VIS *involvens*, *anodyna*, *expectorans.*
USUS in *tuſſi* ab *acrimonia.*

LIQVIRITIA PELLVCIDA, vide *Gelatina Liquiritiae.*

LIQVIRITIA LVCIDA DANORVM, vide *Extractum Liquiritiae.*

Ph. *Brunſuicenſis* præſcribit Pulver. *Liquiritiae optim.* Unc. 2. Radic. *Irid. florentin.* Unc. dimid. *Croci* Drachm. 2. *Sachari albi* Unc. 32. cum mucilagine Gummi *Tragacanthae* fiat maſſa, e qua dein efformentur *Bacilli.* In formam vero *Trochiſcorum* redacta exhibet *Trochiſcos bechicos citrinos.*

LIQVOR ALCALINVS, vide *Oleum Cornu Cervi.*

LIQVOR ANODYNVS MINERALIS

Hoffmanni, ſ. *Liquor aethereus vitriolicus.* ſ. *Acidum vitrioli alcohole vini dulcificatum*, ſ. *Acidum vitrioli vinoſum*, ſ. *Spiritus vitrioli dulcis*, ſ. *Spiritus vinoſus vitriolicus.* ſ. *Spiritus aethereus vitriolatus Suecorum*, ſ. *Aether vitriolatus.*

Rec. *Spiritus Vini* rectificatiſſimi, ne veſtigium *Aquae* continent. ſ. *Alcohol.* Unc. 48. Immitte in *vi-*

vitrum altius & amplum, epiſtomio probe munitum, cui ſenſim & per vices affunde

Acidi Vitrioli concentrati, ſ. *Olei Vitrioli* per rectificationem ab omni phlegmate liberati Unc. 12. Quo liquor cum calore & ſtrepitu mutatur e limpido in rufum, probe tum aſſervandus per 7. dies in vaſculo clauſo & loco frigido. In digeſtione deſtillatur tum e retorta, ſatis alto recipienti probe munita, leniſſimo igne ex *Arenae* balneo.

Prodit tum primum ponderis Unc. 36. *Spiritus* valde *ſubtilis*, *inflammabilis*, *fragrans*, *odoris*, *ſaporisque* gratiſſimi, peculiariter probe aſſervandus ſub *Liquoris anodyni* nomine.

Deſtillatio eodem caloris gradu repetitur, iterum applicato *recipienti*, probe obſerato, cavendo, ne *Offa nigra* decurrat in receptaculum. *Phlegma ſulphureum*, *acidum* tum prodit, leni igne, quum *Oleum Vitrioli* dulce æthereum, ſ. *Vini*, ſ. *Naphtha Vitrioli* innatet, ſaporis & odoris gratiſſimi aromatici; probe ſeparandum a *Phlegmate*, affuſa *Aqua*, ut *Naphtha* ad ſuperficiem aſcendat; quæ probe aſſervanda eſt in vitro, epiſtomio accurate clauſo, ſoluto in *Spiritu* priori.

Profecto reſiduo in cucurbita affundentur de novo *Spiritus Vini* rectific. Unc. 18. & poſt digeſtionem deſtillentur. *Spiritus* ita acquiſitus ſæpe fragrantior eſt antecedente, hinc miſcendus, & vitro probe clauſo ſervandus. *Piderit*. Ph. *Herbipolit*.

VIS eximie *ſedativa, anodyna, carminativa, nervina, tonica, antiſeptica, roborans, adſtringens, antiſpasmodica, diaphoretica, reficiens* in variis morbis, *diuretica, calidiſſimum* ſummum *exaeſtuans.*

USUS Liquoris hujus odore & ſapore tam grati, eximie confert ad affectus *ſpasmodicos, hyſtericos, putridos, ſoporoſos, apoplecticos, paralyticos*; ad *flatus*; ad humorum *lentorem; anxietates*; ad diverſas *dolorum* ſpecies, e. g. *colicos, arthriticos, podagricos, capitis, parturientium*, &c. In *diarrhoeis* & *dyſenteriis* cum *purgantibus Naphtha* hæc adhibetur ſummo cum fructu: ſæpe quoque recte cum *Laudano*, l. *Oleo animali Dippelii*, l. cum *Liquore Cornu Cervi* ſuccinato pro morbi conditione. Liquor valde lævis motum fluidi nervei compeſcit: in omni *dolorum, ſpasmorum, convulſionum* genere, cum ſucceſſu adhibetur.

Dolores a *dentibus carioſis* ortos, guttulæ quædam lanuginæ bombycino exceptæ, ac denti carioſo applicatæ, ſæpius ſatis cito ſiſtunt. *Piderit.*

Externe Liquor anodynus ad *ſpecies cephalicas, cucuphis* inſervientes, bene irrorandas, inſervit. In *panaritio*, digitus *Liquore* madefactus, ad materiæ deſtructionem, accenditur. *Piderit.* In *carie oſſium* laudatur; uti *Aqua dilutus* & melle edulcoratus qua *egregium vulnerarium. Plenck. Externe* temporibus, fronti illinitum confert eximie ad *cephalalgias.*

DOSIS a Guttis 6 - 20 - 30. eſt *anodynum* l. *ſolum* l. cum *Sacharo Naphthae Vitrioli.* ſ. *Aether.* a Guttis vero 30-100. & ultra. *Liquoris anodyni* multo minoribus eſt viribus in *nimia* doſi & *exaeſtuat* nimium; in juſta *roborat*, excitat *ſpiritus* vitales, non *ſtimulando.*

OBS.

OBSERVAT. 1) *Sulphureum* ſi edit odorem *Liquor anodynus*, deſtillatio tum iterum ſuſcipienda eſt, *Alcali* quoddam ſ. *Liquor terrae* foliat. *Tartari* ad *ſaturationem* usque prius addit.

2) *Offae* illi *nigrae*, a deſtillatione reſtanti, *Alcohol* ſi denuo, in congrua quantitate additur, atque prævia digeſtione frigida, ſi tum deſtillatur, *Liquor* acquiritur, multo frangrantior priori. *Piderit.*

Naphthae copia ſi nimia eſt, acquiritur facile *Liquor anodynus* ſine deſtillatione: ſi una pars *Naphthae* cum partibus 12. alcoholis miſcetur, & hæcce mixtio per 14. dies in vaſculo probe clauſo reponitur.

3) Diu vel improvide aſſervatus hic *Liquor anodynus miner. Hoffm. acidum* ſiſtit *vitriolicum* evolutum, & quaſi *reviviſcens.*

4) *Liquor* ille tam famoſus, a Monacho *Manchini* denominatus, acquiritur optime, ſi *Naphtha Vitrioli*, cum parte quadam *Reſinae*, a deſtillatione remanente, digeritur, quo colorem ſuum amoenum accipit. *Spielmann.*

Frigoris ſenſum cuti, ſi inſtillentur guttæ quædam hujus *Liquoris Manchini*, imprimunt. Cæterum ob volatilitatem egregios, in moderando fluidi nervei motu, effectus præſtant.

5) Vis *Aetheris* & *Naphthae* ſunt adhuc validiores quam *Liquoris anodyni.*

6) Quo magis dephlegmatur *Liquor anodyn. mineral. Hoffmann.* eo melius & efficacius fit *Liquor.* qui nec *ſulphur* redolere debet, nec *aciditatem* prodere, alias cephalalgiam producit. Præcipuum in præparatione *Liquor. anodyn. miner. Hoffm.* eſt, ut *Oleum vitrioli Spiritui vini* phlegma ſuum privet, ubi deſtillatione acquiritur primum *Liquor anodyn.* cui ſuccedit for-

tior ſpiritus, innatans priori, *aether* nimirum tam fortiſſimum in vino, *naphtha*; in vicinia ignis ſubito deflagrans; quo modo *Spiritus Vitrioli* aqua diluitur, & fit debilior. Cæterum acquiritur iſto modo concentratiſſimum *Oleum Vini*, & calidiſſimum, ſubitaneum motum humorum & diaphoreſin excitans.

OBSERV. 7) Ph. *Edinburg.* ſuadet *Spiritus Vinoſi* rectificati, ana Unc. 32. *Acidi Vitriolic.* Unc. 16. mixta ut deſtillentur uti ſupra ad acquiſition. Unc. 16. *Liquori* deſtillato ut addantur *Cauſtici commun. acerrimi* Drachm. 2. dein deſtillentur iterum e retorta præalta, igne leniſſimo, in excipulum refrigeratum, donec deſtillaverint Unc. 10.

Pharm. *Danica* compendioſiori via præparationem e *Naphtha Vitrioli* parte 1. cum *Spiritus Vini* rectificatiſſimi partibus 9. ſuadet.

LIQVOR ANODYNVS VOLATILIS.

Rec. *Spiritus Vini* Unc. 1.
Spiritus Sal. Ammoniac.
Spirit. Vini præparat. ana Unc. dimid.
Opii Scrupul. 2.
Camphor. Scrupul. 1.

Mixta probe digeruntur frigide, per 3. dies, ſæpius ſimul agitando, tum filtrantur.

VIS *anodyna*, *ſopiens.*

USUS ad *cephalalgiam*, *odontalgiam*, ſi guttæ 4-5. in cavum manus immiſſæ naribus reſorbentur. Guttæ quædam *bombyci* immiſſæ, carioſo denti applicatæ, conducunt eximie. *Pfingſten.*

LIQVOR ANTIPHLOGISTICVS

Brandav.

Rec. *Vitrioli commun.* Unc. 6.

Salis

Salis Tartari Drachm. 6.
Sachari canarienſis Unc. 12. ſolve in
Aceti Vini deſtillati Unc. 24. per 24. horas ſtent in digeſtione, tunc filtra & adde
Spiritus Vini rectificati,
Succi Acetoſae recenter expreſſi ana Unc. 12.
Tunc lege artis deſtillentur. *Piderit.*

VIS *antiphlogiſtica*, *defenſiva*, *vulneraria.*

USUS uti *Aqua travmatica Theden*; & *Aqua ſclopetaria Gallorum.*

Cæterum in *inflammationibus*; *gangraena*; *haemorrhoidibus coecis dolentibus*, aut *lanceola* antea inciſis, & in *chaemoſi*, *pterygio* confert.

In *haemorrhagiis* qua ſtipticum. Ad *ulcera ſcorbutica*, conjunctis congruis internis; ad *perniones* & *varices*, ubi *unguento* quodam miſcetur & tepide imponitur.

Cæterum uſus tempore, *Liquor* noſter, modo majori, modo minori *Aquae* quantitate, diluitur.

LIQVOR BELLOST AD GANGRÆNAM.

Rec. *Mercurii Vivi* qu. plac. ſolve in
Spiritus Nitri fumantis, dupla portione, leni calore dein adde,
Aquae fontan. Unc. 12.

VIS *cauſtica.*

USUS ad deſtruendam *cariem.* Locus carioſus ſæpe de die eo illinitur, l. plumaceolo humore madido tegitur, & tamdiu, donec pars carioſa deſtructa invenitur, ne ſanam oſſis ſubſtantiam deſtruat. Ph. pauper. *Pragenſ.* & *Plenck.*

OBSERVAT. *Solutio Liquoris Belloſt*, quæ *Aquae Calcis* recenter paratæ Unc. 1. & *Liquoris Belloſt* Guttis 6. conſtat, confert eximie in *cancro faciei*; in *ulceribus phagedaenicis*, *chronicis*; *herpete* & in *gangraena.* *Plenck.*

LIQVOR CORNV CERVI SVCCINATVS,

ſ. *Sal medium* e parte *volatili alcalina Cornu Cervi,* & *Sale acido ſuccini ſaturato* conſtans.

Rec. *Salis Succini veri volatil.* Unc. I. ſolve in Mortario lapideo cum
Spiritu Cornu Cervi rectificato qu. ſuffic. ad ſaturationem.
Miſce digere per aliquot dies, liquor tum filtratus ſervetur uſui. *Piderit.*

VIS in vaſculo probe clauſo, potenter *diſcutiens, reſolvens, irritans, excretiones ſtimulans, diaphoretica, diuretica, antiſpasmodica, nervina, tonica, carminativa.*

USUS præcipue ſi materia morboſa, in corpore hærens, verſus exteriora pellenda eſt: e. g. ad *exanthemata* varia, *morbos arthriticos chronicos, podagram retrogreſſam*: ubi varia inde *pendentia ſymptomata, ſpasmi* & *affectus convulſivi epileptici*, ſatis cito eo auferuntur, uti & *morbi ſoporoſi.* Ad *circulum* humorum reſtituendum, ſublatum *ſpasmis, convulſionibus, epilepſiam*; uti & *convulſiones* in *infantibus* a difficili *dentitione* ortas, eximie ſiſtit; *Boerhav.* obſervat. omnia quoſ*pasmorum* genera, & affectus inprimis *hyſtericos, hemicraniam*, caute quidem & *abſente prius plethora.*

DOSIS a Guttis 15-60. & ultra. *Infantibus* a Guttis 3-12.

OBSERVAT. I) Juvat in *arthritide chronica* & *rhevmatismo* cum *Liquore anodyno min. Hoffmann.*: in paſſione vero *hyſterica* cum *Laudan: liquid. Sydenhami.*

Ad *anxietates praecordiorum, colicam flatulentam, vertiginem, lipothymiam, ſyncopen, paralyſin, apoplexiam ſeroſam* eximie laudatur, uti & ad

ce-

cephalalgiam; ad motus *nimios ſedandos paralyticos*, *ſyncopticos*, *convulſivos*, *epilepticos* nitro mixtum.

Liquor Cornu Cervi cum *Liquore anodyno* mixtus exhibet *egregium remedium tonicum antiſpasmodicum*, *diaphoreticum*, *febres ſtimulans*, *exanthemata expellens*, a Guttis 20-60. In Mixturis per 24. horas una vice a Guttis 4-5. & adultis ad Guttas 15.

OBSERVAT. 2) *Liquor Cornu Cervi ſuccinat.* eſt valde *irritans*, excretiones *ſtimulans*; per *Spiritum Cornu Cervi* fit *Sal medium*, *reſolvens* valde, *nervinum*, *ſopiens*; reſolutionem *promovens*, per *urinam* l. per *ſudorem*, in *ſpasmis inprimis*, in exigua quidem doſi.

3) *Color* debet eſſe amoene aureus non fuſcus, alias nimium *Spiritus Cornu Cervi* ineſt.

4) Si *Liquor Cornu Cervi ſuccinat. Liquor. anodyn. miner. Hoffmann.* ana quant. plac. miſcetur, acquiritur tum *Liquor arthriticus Eller*, cui qua adjuvans addi poteſt *Oleum Cajeput*; & ſumi poſſunt Guttæ 20. *Bicker.*

5) Quidam uti *Haſſe* ſuadent, ut *Succini acida* pars cum *Spiritus Cornu Cervi* partibus 2. miſceatur digeſtionis ope, & ſolutio dein filtretur

LIQVOR DIGESTIVUS.

Rec. *Sal. Alcalini Tartari* qu. plac. cui ſenſim ſenſimque dupla portio *Aceti Vini* affunditur, l. quant. ſufficit ad ſaturationem, quod dein filtrandum eſt.

VIS & USUS idem cum *Liquore Terrae foliatae Tartari*, vel potius præferendus eſt, ob plures partes *oleoſas*, magis *ſaponaceas*. *Pfingſten.*

DOSIS cochlear 1. parvum.

LIQVOR EXTERNVS AD GANGRÆNAM.

Rec. *Aceti Vini* fortis
Vini genuini ana Unc. 12.
Aquae commun. Unc. 18.
Sal. Ammoniac. Unc. 2.
Miſceantur exacte.

VIS *diſcutiens*, *antiphlogiſtica.*

USUS Guttæ quædam ad *locum inflammatum*, *inciſum* ſæpe calide adplicantur, cæterum uſum eximium *antiſepticum* exſerit. *Plenck.*

LIQVOR MENINGVM SCHMVCKER.

Rec. *Aquae Sclopetariae* ſ. *Vulnerar. vulgar.* Unc. 2.
Balſam. Commendator. Drachm. 2.
Mellis Roſarum Unc. dimid.
Miſce fiat Liquor.

VIS & USUS e nomine patent. Ad *vulnera* & *inundationes durae matris* ac *cerebri Liquorem* hunc valde commendat. *Schmucker. Plenck.*

LIQVOR MERCVRIALIS, AVSTRIACO-*provincialis*, vide *Aqua Phagedaenica.*

LIQVOR ſ. LIQVAMEN. ſ. OLEVM-MYRRHÆ.

Rec. Extract. *Myrrhae aquoſi* Drachm. 2. ſolve terendo in
Olei Cerae Unc. dimid. & ſerva uſui. *Piderit.*

VIS *balſamica*, *roborans*, *tonica*, *abſtergens*, *antiputredinoſa*, *vulneraria.*

USUS *eximius* in *vulnerum*, & *partium exſanguium*, ac *ulcerum curatione*, *debilitate* eorum *nimia*, in *oculorum* affectibus. *Selle.*

Ad *fiſſuras cutis*, in *vulneribus oculorum*, *injectionibus uterinis*, in *fiſtulis*, *vulnerarium* in *ulceribus putridis* & *carie.*

OBS.

OBSERVAT. 1) In uſu *Myrrhae* continuato notandum probe eſt, *vulnerum* & *ulcerum labia exſucca* & *acida* ſæpius fieri.

2) Qua valde proclive ad *putredinem*, optime ſemper recenter paratur.

3) *Selle* ſuadet tantum *Gummi Myrrhae* pulveriſ. Drachm. 1. cum *Vitello Ovorum* quant. ſuffic. ut ſolvantur in *Aquae florum Sambuc.* Unc. 6.

4) ad Ph. *Roſſicam Myrrha* pulveriſata ovo, ad *duritiem* cocto, exemto vitello inditur, ut liquata defluat.

Ph. *Herbipolitan. Auſtriac.* & *Würtenberg.* hancce communicant compoſitionem e *Myrrhae* pulver. qu. plac. ut miſceantur cum dupla portione *Albuminis Ovi* adduritiem cocti, & minutim conſciſſi: quo tum miſcela pauca aqua calida irrigetur, & ſacculo linteo incluſa ſuſpendatur in loco humido, ut *Myrrha* hoc modo liquefacta, ad *liquorem rubrum,* in *vitrum* ſacculo ſuppoſitum depluet.

Plenck ſimplici modo *Myrrham* electam qu. plac. ſolvit in *hydromellite,* quantum admittit.

Spielmannus vero *Coſtaei* methodum hancce communicat, ut *Albumina Ovorum*, *Aqua* ebulliente indurata, diſſecentur ad *longitudinem*, unius cavum repleatur pulvere *Myrrhae*, huic alterum ſuperimponitur, ambo hemisphæria fili ope continentur, & ſuſpenduntur eo conſilio, ut in vas ipſis ſuppoſitum deſtillet *Myrrha,* albumine diſſoluta.

5) Ad *longiorem* conſervationem, & ne *mucorem* contrahat, ſingulis unciis *Liquoris* hujus addita Drachm. 1. *Spiritus Vini* confert eximie.
Ph. *Herbipolitan.*

LIQVOR NITRI FIXI,

ſ. *Sal Alcalinus fixus cauſticus* e *Nitro* elicitus.

Rec. *Nitri depurati* Unc. 8. in *crucibulo* bene ignito, ad fluorem perducantur, cavendum ne inter ebulliendum, *Nitrum* oras crucibuli egrediatur, moderato igne permitte fluere, tuncque ſucceſſive parvæ ſpatulæ ferreæ ope, vel cochleatim adde
Carbonum pulveratorum tantum, donec nulla *detonatio* ſentiatur, & omnis ceſſet *ſtrepitus*. Per quasdam horas reponetur tum crucibulum in loco ſrigido, ut, ex humido attracto, e crucibulo maſſa eximi queat, quæ cum *mortario lapideo* in cellam reponetur, ut in liquorem deliqueſcat, qui filtretur, uſuique aſſervetur.
Ph. *Herbipolitan.*

VIS *detergens*, *erodens*, *urens*, *cauſtica* uti *Oleum Tartari* per *deliquium*.

USUS *externe* ad *auferendos clavos pedum*, *varices* & *callos*, qui eo attinguntur.
Multa *Aqua dilutus* in veſicam urinariam injectus *calculum* ejus ſolvere dicitur. *Plenck.*
Interne nunquam adhiberi poteſt.

OBSERVAT. *Urens* & *cauſtica* indoles ſeſe ſæpius amittit temporis tractu, hinc præparatio ejus ſæpius reiteranda eſt.

LIQVOR SALIS TARTARI,

vide *Oleum Tartari* per *Deliquium*.

LIQVOR ARTHRITICIS ELLER.

Rec. *Liquor. anodyn. min. Hoffmanni.*
Liquor. Cornu Cervi ſuccinat. ana Drachm. 2.
Miſce. Ph. pauper. *Hamburg.*

VIS & USUS e nomine. DOSIS Guttæ 20 - 40.

Li-

LIQVOR SIPHYLITICVS TVRNER,
ſ. *Mixtura mineralis antivenerea Suecorum*, & *Swieten.*

Rec. *Mercurii ſublimat. corroſivi* Gran. 12. ſolve in
Spiritus Vini Unc. 2.
Miſceantur omnia bene: ſtent in vaſculo clauſo, donec *Mercurius* ſponte ſit diſſolutus.
VIS *haemocatarctica.* Ph. paup. *Pragenſ.*
USUS ad *luem veneream*, cochlear 1. pro doſi.
Medicamentum e *Sibiria* in *Europam* allatum, van *Swieten* potiſſimum auctoritate in uſum tractum, hodie qua *polychreſtum* ad *contagium venereum* uſurpatur. Illuſtris *Richardt* Gran. 4. *Camphorae* & *Syrup. Papaver.* Unc. 1. adjecta, nomen ei *Liquoris ſiphylitici.* ſ. contra *luem veneream* imponit. Apud nos non ſine peculiari cauſa *Spiritui vini Aquam* ſubſtituunt.
DOSIS eſt ad cochlear 1. *Spielmann.*

LIQVOR SPLENETICVS.

Rec. *Tartari Crudi*,
Nitri Crudi, ana Unc. 12.
Mixta in crucibulo funduntur, tum ſubito ſolvuntur in
Aquae fontan. Unc. 36. cui ferventi ſolutioni adduntur,
Tartari Crudi pulveriſat. Unc. 12.
Filtratum uſui aſſervatur. *Pfingſten.*
VIS & USUS idem cum *Tartaro tartariſato*; aliquoties in die confert eximie, ad *obſtruct. viſcerum abdominis*, ad *ſplenitidem*, *malum hypochondriac.* ad Drachmas quasdam ſumtus.

LIQVOR STYPTICVS WEBER.

Rec. *Vitrioli Ungarici*,
Alumin. Crudi ana Unc. 6.

Aquae

Aquae fontan. Unc. 48.
Solutioni filtratæ addantur
Olei Vitrioli Unc. 4.

VIS & USUS *Linteis* quintuplicatis exceptus vaſis *ſanguinem* fundentibus applicatur. *Spielmann.*

LIQVOR TARTARI EMETICVS.

Rec. *Tartari emetici* Drachm. 1. ſolve in
Aquae fontan. deſtillat. Unc. 30. filtra, & repone uſui.

VIS *emetica, purgans.*

VSVS hujus ſolutionis melior, quia *Tartarus emeticus*, qua pulvis ſemper quid humidi ex aëre attrahit, hinc doſis non accurate determinari poteſt. Diviſio melior ad Grani dimidiam - tertiam - partem poteſt fieri, in hiſce guttis.

DOSIS ſcopo *emetico*, bi - triennibus infantibus a Grano $\frac{1}{4}$ - 1. adultis ad Gran. 2 - 3. pro morbi conditione.

OBSERV. 1) Partes terreæ in hac ſolutione ſunt partes *Tartari*, & nil perdunt efficacia huic *Liquori Tartari*, de quo Unc. 1. continet *Tartari emetici* Grana 2. *Liquor* hic longe anteponendus eſt melioris ſecuritatis cauſa, commoditatis, ac doſeos, uti & ob *ſaporis* defectum.

2) In *minori doſi* tartarus eximie *reſolvit*, aperit, *excretion.* variās promovet, *ſudorem* præcipue, uti & *diureſin*, atque *alvum* denique, hinc in *obſtruction. viſcerum*, in *intumeſcentia* & *malo hypochondriaco*, uti in *omnibus morbis*, ubi *diaphoreſis* requiritur eximie confert, ſi Granum 1. cum *Aquae fontan.* Unc. quibusdam miſcetur. Si in *clysmatibus* irritamen *vehemens* requiritur, ibi confert *Tartarus emeticus* a Granis 3 - 4 - 6. *Pfingſten.*

Li-

LIQVOR TARTARI SOLVBILIS.

Rec. *Tartari ſolubilis*. ſ. *tartariſati*, Unc. 4. ſolve in
Aquae deſtillatae commun. & *frigid.* Unc. 8.
cui adde
Spiritus Vini rectificati Drachm. 2.

Filtra per chartam bibulam, & uſui ſerva. *Piderit.*

VIS eadem cum *Tartaro tartariſato*. ſ. *vitriolato* ſ. *ſolubili*, *ſaponaceae* indolis, *abſtergens*, *aperiens*, *diuretica*, optime *reſolvens*, & in majori doſi *alvum movens*. *Bilem* & *ſanguinem* commotum *temperat*, *colliquat humores lentos*, *coagulatos*, & *viſcidos*, *flatusque* pellit.

VSVS in *viſcerum obſtructionibus ſcirrhis*, *ſtrumis*, *febrib. acutis* & *intermittentibus*; *alvi* & *urinae impedimentis* a *pituita tenaci*, l. *materia ſabuloſa* ortis; in *atrophia*, *rachitide*, *arthritide*, *ictero*, in *menſium anomalia*, *affectibus haemorrhoidalibus*, *leucophlegmaticis*, *hypochondriacis*, *hydropicis*, *ſcorbuticis*.

In ipſa *melancholia* & *mania*, *Mutzelii* obſervat.

DOSIS in hiſce morbis a Drachm. dimid. ad 1. *Major* vero ſcopo *laxante*, & continuatum per plures *menſes* ſine aliis remediis. Mixtus liquor hic aliis *Mixturis* ab Unc. 1-3. datur. In eo ſoluta Extracta actuoſiora fiunt.

A *cochleari* 1-2. ter quaterve in die, in *ventriculi ardore*, a *ſaburra bilioſa rancida* orta.

Manna Unc. 1. ſoluta in *Liquoris* hujus Unc. dimid. optimum exhibet *eccoproticum*, pro una doſi adultis, *infantibus recens* natis cochlearia quædam, & *puerperis* quoque ſcopo *laxante*.

LIQVOR TERRÆ FOLIATÆ TARTARI,

ſ. *Sal*, *Silago Oxytartari* ex *Alcali fixo vegetabili* & *Aceto* conſtans.

Rec. *Terrae foliat. Tartari* qu. plac. In vaſculo vi-

vitreo, humido aëri tamdiu exponitur, usque dum *Sal* liqueſactum eſt, tum per chartam bibulam filtratur & uſui aſſervatur.

VIS potenter *reſolvens*, *diſcutiens*, *diuretica*.

USUS ad *obſtructiones* varias, ad *ſcirrhum hepatis*, ad *oedemata*.

Ad *malum hypochondriacum*, *arthriticum*, *febrem quartanam*, omnes morbos ab *obſtructionibus* ortos, *ſcirrhum*; *infarctum*; *atrophiam*; *rachitidem*; *febres lentas infantum*, *in aquoſo* l. *vinoſo* potu ordinario, guttatim mixtum uti & in conjunctione cum aliis remediis.

In ventriculi vitiis ejus debilitate *roborans*, *excitans* egregium.

DOSIS Guttæ 30 - 60. tam fortis ut bis in die alvum excitet.

OBSERVAT. 1) Ph. *Danica* ſuadet ut *Terra foliata Tartari* ſacculo linteo incluſa ſuſpendetur in cella, ſtillansque liquor vero exceptus filtretur.

Haſſe vero ſolutionem *Terrae foliatae Tartari* in *Aquae deſtillatae* partibus 2 - 3. ſuadet.

2) *Liquorem Terrae foliatae Tartari ſpirituoſum*, præſcribit ita Ph. *Danica* & *Würtenb.* *Terrae foliatae Tartari* Unc. 2. *Spiritus Vini* Unc. 6 - 8. Digerantur per aliquot tempus, *Spiritus* lento igne aliquoties cohobetur, liquor tinctus tandem per chartam filtratus, ſervetur uſui.

3) *Selle* valde conducit hæc proportio in *infantum obſtructionibus*. Rec. *Salis Tartari* depurati, Drachma 1. *Saturat.* probe cum *Aceto Vini* elect. cui addantur *Tinctur. Rhabarb.* aquoſ. Unc. 1. *Aquae bened. Rulandi* Drachm. 1. Miſce a Guttis 20. incipiendo, ter in die. *Adultis* quoque valde confert hæc mixtio, in fortiori doſi, diuturno uſu.

Li-

LIQVOR VISCERALIS.

Rec. Extracti *Chamaedryos*, - *Quaſſiae*, - *Chinae*,
Trifolii fibrini,
Martis pomati ana Drachm. 3.
Spiritus Nitri dulcis,
Eſſentiae Corticum Aurantiorum ana Unc. 2.
Aquae Menth. piperitid. Unc. 8.

Mixta ſtent per aliquot dies in loco temperato ad Extractorum ſolutionem, quæ tum filtretur ac ſervetur uſui. Ph. *Auſtriac.*

VIS *diſcutiens*, *reſolvens*, *roborans*.

USUS in *viſcerum obſtructionibus*, *hypochondriac. malo*, in *intumeſcentia*, *febrib. intermittentibus*.

DOSIS Drachma 1-2. pro doſi.

LIQVOR VULNERARIVS BILGVER,

vide *Aqua vulneraria Theden.*

LIQVOR VULNERARIVS BRANDAV.

Rec. *Vitrioli commun.* Unc. 6.
Sal Alcalin. Tartari Drachm. 6.
Sachari albi Unc. 12. Mixta ſolve in
Aceti Vini deſtillati Unc 24.

Digere tum per 24. horas, filtra, quibus adduntur tum
Spiritus Vini rectificatiſſimi,
Succi recenter expreſſi *Acetoſae* ana Unc. 12.

Quibus mixtis deſtillatio ſuſcipitur. *Pfingſten.*

VIS *vulneraria*.

USUS qua eximia *Aqua vulneraria* ad *inflammationes*, *gangraenam*; ad *haemorrhoides* dolentes, *tumentes* l. *lanceola* prius apertos; ad *oculorum morbos*, ad *conſtrictiones* in *haemorrhagiis*, ad *ulcera ſcorbutica* confert, in *congruo connubio internorum remediorum*: ad *perniones* - & *varices*, ad *unguentum* redactum vel tepide ſolum l. cum aliis aquis mixtus. Li-

LIXIVIVM AMMONIACALE AROMATICVM, vide *Sal volatile Oleoſum Sylvii.*

LIXIVIVM AMMONIACALE CAVSTICVM, vide *Spiritus Salis Ammoniaci* cum *Calce Viva.*

LIXIVIVM AMMONIACALE COMMVNE, vide *Spiritus Salis Ammoniaci aquoſus.*

LIXIVIVM AMMONIAC. SVCCINATVM, vide *Spiritus Ammoniacalis ſuccinatus.*

LIXIVIVM CAVSTICVM.

Rec. *Calcis Vivae* Unc. 12. ſuper infunde
Aquae fontan. Unc. 72. Ebullitione ceſſante adde
Cinerum Clavellator. Unc. 6. coque in *lebete* ferreo, usque dum *Lixivium* pennam anſerinam, ei immiſſam rodit: dilue tum *Maſſam* cum
Aquae fontan. qualit. ſufficienti, & filtra.
Piderit.

VIS *cauſtica, ſeptica.*

USUS ad *paranda* alia *medicamenta* & *labores pharmaceuticos.*
In *tumoribus terreis podagricis* commendat externe. *Piderit.*

OBSERVAT. 1) *Lixivium* hoc in lagenis vitreis epiſtomiis vitreis obturatis, probe ſervandum eſt.

2) Ph. *Suecica* hancce compoſitionem ſuppeditat, e *Calcis recens uſtae* Unc. 4. In vaſculo ferreo ſenſim affunde *Aquae calidae* tantillum, ut *Calx* in pulverem fatiſcat, cui dein adde *Aquae ferventis* Unc. 18. *Alkali Lignorum* ſ. *Sal Tartari depurat.* Unc. 3. Refrigerata injiciantur in infundibulum vitreum, cujus collo goſſypium inditum

ditum ſit, ut per hoc coletur lixivium. Tum iterum affunde *Aquae ferventis* quant. ſuffic. ut lixivii eliciantur Unc. 18.

Pharm. *Roſſica* ſuadet compoſitionem ſimplicem ex *Alkali Lignorum*. ſ. *Cinerib. Clavellat. Calcis vivae* partibus æqualibus, adfuſa pedetentim *Aqua* lixivium conficiendi, per linteum duplicatum colandi.

Ph. *Edinburgenſis* communicat hancce compoſitionem e *Calcis vivae* recent. Unc. 8. *Sal. Lixivii* purificati Unc. 6. Injiciatur *calx* in vas ferreum, l. figulinum cum *Aquae calidae* Unc. 28, ebullitione & calcis extinctione omnino peractis, protinus adde *Salem Lixivium*, hisque bene permiſtis, vas operiatur, dum frigeſcat. Frigifactam materiam agita, & effunde totam in infundibulum vitreum cujus guttur linteolo puro obſtructum ſit. Infundibuli os ſuperius operiatur dum tubus alteri vaſi vitreo inſeratur, ut lixivium trans linteolum in vas ſuppoſitum ſenſim ſtillet. Cum primum ſtillare deſierit, affunde in infundibulum *Aquae* Uncias aliquot, ſed caute, ut ea materiam ſupernatet. Incipiet iterum ſtillare lixivium, iterandumque opus eſt, donec ſtillaverint, *Unciae* 32 - 36. quod bidui l. tridui ſpatio abſolvendum eſt. Lixivii dein partes ſuperiores cum inferioribus agitandi - miſcendi, & in vaſculo probe obturato ſervandi ſunt: *coloris* & *odoris* expertes, nec cum *acidis* effervefcentes rite paratæ. *Color* & *odor* ſalem non ſatis calcinatum, effervefcentia vero calcem non fuiſſe bonam, indicant.

OBSERVAT. 3) Ph. *Guy* communicat hocce *Lixivium lithontripticum* e *Cauſtici commun. fortioris* Drachm. 2. *Aquae purae* Unc. 12. miſcendi ac-

curate, & pro doſi Drachm. 2. in juſculo carnis ſcopo *lithontriptico* ſumendi.

LIXIVIUM TARTARI,

vide *Oleum Tartari* per *deliquium*.

LOOCH DE FARFARA.

Rec. Radic. *Tuſſilagin.* - *Farfarae* recent. quant. plac. ablue & coque cum
Aquae fontan. ſufficient. quantit. ad mollitiem, in mortario lapideo contunde & per cribrum trajice: tum
Rec. *Pulpae* hujus Unc. 12.
Mellis deſpumati Unc. 24.
Coque ad pultis conſiſtentiam, & ad uſum ſerva. *Piderit.*

VIS *demulcens*, leniter *reſolvens*, *expectorans*, *diuretica*, acre *involvens* in *catarrho*; *obtundens*, *abſtergens*, *mundificans*.

USUS in *tuſſi catarrhali*, *raucedine*, & aliis *pectoris affectibus*, *involvendi* - *leniendi* ſcopo.
Mixturis bechicis utplurimum additur ad Uncias aliquot, l. ſolum, ad cochleare 1. alterumve, omni bi l. trihorio in die datur. *Phtiſicis* & *tuſſientibus* confert.
Ob *Mel* additum, ad *excretiones* varias - *urinae* inprimis confert.
In *aſthmate* humido, & ad *expectorationem* in *pleuriticis* & *peripnevmonicis* facilitandam, Unciæ 2. *Looch* hujus bene cum Unc. 1. *Oxymell. Squillitic.* miſcentur, l. *Lac Gummi Ammoniaci* ei additur. *Piderit.*

DOSIS Uncia dimidia ad integram.

OBSERVAT. 1) Pharm. *Herbipolitan.* communicat quoque *Looch Balſamicum* - e *Spermat. Ceti* non rancid. Drachm. 2. *Balſam. Peruvian.* Drachm. 1. *Syrup. Altheae* Unc. 2. *Balſamum* & *Sperma Ceti*

Ceti cum *Vitelli ovi* quant. ſuffic. ut terantur expoſt, & cum *Syrupo* miſceantur. Scopo *involvente*, *balſamico*, *tonico*, *roborante.*

Looch de *Manna*, - e *Manna calabrin. Olei Amygdal. dulc.* ſine igne rec. expreſſ. *Syrup. Violarum* ana partibus æqual. ad *Looch* ut miſceantur ſcopo *laxante*, *purgante.*

Looch Saponaceum ſ. *Saponatum* ad Ph. *Herbipolit.* & *Spielmann.* - e *Sapon. Venet. Amygdal.* ana Drachm. 1. & dimid. *Olei Amygdal. dulc.* non rancid. Unc. 1. *Syrup.* de *Manna* ſ. de *Capill. vener.* Unc. 1. & dimid. ut miſceantur ad *Looch*, ob vim *reſolventem*, *diſcutientem* in *anguſtiis pectoris*; *tuſſi hypochondriaca*; in *renum affectibus.*

LOOCH SANVM ET EXPERTVM,
ſ. *Linctus Leniens.*

Rec. Pulveris Radic. *Liquiritiae* - *Altheae*
--- --- *Ireos florentin.* Drachm. 6.
Gummi *Tragacanth.* ſ. *Arabic.* ana Unc. 1.
Miſceantur & fiat pulvis ſubtiliſſimus.
In Pharmacopoeis aſſervetur hic Pulvis, & ſi a Medico *Looch ſanum* & *expertum* præſcribitur,
Recipe *Pulveris praeſcripti* Scrupul. 4.
Syrup. emulſivi Unc. 2.
et ad quamlibet præſcriptionem e tempore miſce. *Piderit.*

VIS *involvens*, *demulcens.*

USUS in *affectibus pectoris*; *expectorationem* adjuvandam; in *tuſſi* acri materiam *irritantem demulcendam*, ad aliquot cochlearia parva iterum, iterumque in die; vel aliis quoque *Mixturis.*

In *dyſenteria*, *ardore Urinae*, ab acri materia orta, qua eximium *demulcens*, *leniens.*

DOSIS Drachmæ 2. ad Unc. dimid.

OBSERVAT. 1) *Meſue*, Medico quondam celebri, debemus hoc *Looch*, qui caput, quo de eo agit, *Looch* inchoat, *ſanum* & *expertum*, ad *tuſſim*, *raucedinem* a frigore l. pituita craſſa, in thorace ac pulmone comprehenſa. *Piderit.*

2) Ph. *Suecica* præſcribit ad *Looch ſanum* & *expertum*, ſ. *Linctum lenientem*, ſimpliciori modo, quam Ph. *Würtenb.* e *Gummi Arabici* Drachm. 2. *Aquae ceraſor.* Unc. dimid. In mortario vitreo triturando addendi *Olei Amygdalini* recent. *Syrup. Amygdalini* ſ. *hordeati* ana Drachm. 7.

Pharm. *Danica* præſcribit Gummi *Tragacanth.* - *Arabic.* ana Unc. dimid. Radic. *Irid. florentin.* Drachm. 2. *Liquiritiae excorticat.* Drachm. 3. *Sachari albi* Unc. 24. Mixtis & in pollinem tritis admiſceatur *Emulſio* ex *Amygdalarum dulcium excorticat.* Unc. 1. *Aquæ Foeniculi Aniſi* ana Unc. 6. Redigantur leni calore in *Looch.*

LOTVS. SEV LAVAMENTVM,

ſ. *Lotio ſaponacea.*

Rec. Aquæ *Roſarum* Unc. 12.
Olei Olivarum Unc. 4.
Lixivii Tartari Unc. dimid.
Lixivium Tartari & *Oleum Olivarum.*

Simul tere, donec miſceantur, tum *Aquam* paulatim adde. Ph. *Londin.*

VIS *diſcutiens*, *coſmetica.*

USUS ad *articulares* frigidos ſeroſos *tumores*, & *oedemata.*

OBSERVAT. *Plenck Lotionem ſaponaceam*, præſcribit ex *Aquae pluvialis* Unc. 12. *Balſam. vitae externi* Drachm. 1. Miſcendæ quæ ſunt accurate.

Ph. pauper. *Hamburgenſ.* vero *Lavamentum ſaponatum mercuriale* communicat e *Saponis hiſpanici*,

oi, ſ. *Venet.* Drachm. 2. *Spiritus Vini* Unc. 2. *Aquae fontan.* Unc. 4. *Mercurii ſublimat. corroſiv.* Scrupul. dimid. VIS *detergens*, *purificans*, externe *coſmetica.*

ALIAS VARIAS LOTIONES COMMVNICAT *Plenck* & *Spielmann*, e quibus præcipuæ hæ ſunt.

Lotio antiſcabioſa, e *Speciebus contra ſcabiem* Unc. 1. quæ coquendæ ſunt in *Aquae fontan.* Unc. 12. & tum filtrandi, USUI ad *ſcabiem*, *herpetem*, *tineam*, & alias *cutis morbos.*

Lotio ſalina, ex *Aquae fontan.* Unc. 36. *Salis commun.* Unc. 3. Mixta ſolvendi, ad USUM in *puſtulis faciei.*

Lotio ad *Tineam capitis Plenck*, e *Teſtis oſtrearum* nuper calcinat. Unc. 12. *Picis liquid.* Unc. 8. *Aquae pluvial.* Unc. dimid. coquendis ad dimidias, tum ſubſidendo, facta depuratione, cum friget liquor, percoletur; ad USUM pro capite *tineoſo lavando;* poſt ejus uſum illiniendi *unguento* e *teſtis.*

Lotus ſ. *Litus* ad *Haemorrhoides Richard*, quem *Spielmann.* communicat ex *Unguent. Populei* Unc. 1. *Olei Hyperici*, Unc. dimid. *Olei Ovorum* Drachm. 3. ut miſceantur exacte. Ob VIM *lenientem*, *involventem*, *demulcentem*, ad *haemorrhoides.* *Spielmann.*

Lotio ad *Rhevmatismum*, e *Spirit. Vini camphorati* Unc. 6. *Spirit. Salis culinar. Olei Terebinthin.* ana Unc. 1. ut miſceantur exacte. Ob VIM *diſcutientem*, *reſolventem*, ad *rhevmatiſmum. Spielm.*

MALAGMA. ſ. CATAPLASMA ANODYNVM, *emolliens*, & quæ ſunt *Alia*,

vide *Species* pro *Malagmate* & *Cataplaſmate anodyno.* &c.

MAGISTERIVM SEV LAC SVLPHVRIS.

Rec. *Hepatis Sulphuris* quant. plac. Solvatur in
ſufficiente quantitate
Aquae ebullientis, ſolutio filtretur, & præcipitetur pulvis inde, ope
Aceti Vini inſtillati; Pulvis hic Aqua calida aliquoties abluendus eſt, & dein leni calore exſiccatus, aſſervandus eſt.
Ph. *Auſtriac.* & *Herbipolitan.*

VIS & USUS ac plura vide *Lac Sulphuris.*

MAGISTERIVM SATVRNI,

ſ. *Extractum Saturni* edulcoratum Aqua,
vide *Extractum Saturni.*

VIS *diſcutiens*, *roborans.*
USUS *Externe*, in *herpete*, *morbis cutis*, *Aqua edulcoratum*, ſ. *Oleo Ovorum*, ſed caute. *Selle.*

MAGNESIA ALBA.

Rec. *Salis Anglici amari*, ſ. *Catharctici*,
Unc. 24. ſolve in
Aquae fontan. fervid. Unc. 96. per chartam bibulam filtra, tum
Rec. *Ciner. Clavellator.* ſ. *Sal. Alcalin. fixi Vegetabil. depurator.* Unc. 12. ſolve in
Aquae fontan. fervid. Unc. 48. Hos ſolutos *Sali Anglico* tamdiu inſtilla, usque dum hicce *Sale* factus Liquor non amplius turbatur, ſed clarus remanet. Soluta porro, ſ. Liquores hoc modo mixti, in *vaſculo cupreo*, ſtanno probe incruſtato, ebulliant parum, ſpathula agitata, & per pannum linteum filtrentur. Maſſam tum albam remanentem tamdiu *Aqua fontana* ferventi ablue, & edulcora, donec prorſus inſucca ſit, & usque dum

dum Aqua hæc, ab inſtillato *Aceto Saturni* non turbatur; Pulvis denique ſiccetur & ad uſum ſervetur. *Piderit.* Ph. *Suecica.*

VIS reliquis omnino *abſorbentibus* præſtat, minus enim *ventriculum* gravat, inprimis ſi calcinata exhibetur, cum *Acido primarum viarum* in *Salem medium* abit mite *catharcticum*, & *humores* adeo non ad *putredinem*, uti reliqua *abſorbentia* diſponit, ut potius evidenter viribus *antiſepticis* ſit inſtructa.

VIS eximie *abſorbens*, *catharctica*, *diuretica*, *diaphoretica* interdum; *digeſtiva*, *involvens acidum ſpontaneum*, & *Sal* facile ſolubile *regenerans evacuans*, *in primis viis abſorbens*, *alvum* leniter *laxans infantum*, in majori doſi ad Drachm. 1-2. leniter *catharctica*, *antacrimonioſa*, *diaphoretica* interdum.

USUS in *inquieto infantum ſomno* a *torminibus*, dentitione gravi, *alvo* viridi, *flatulentis vomiturition. acidis avertendis* confert: *Acido laborantibus* utile *purgans* uti & *haemorrhoidariis*.

Qua *Abſorbens* præcipuum a Drachm. dimid. ad 1. confert, ſi *acidum* prædominetur, uti & in *copia acidorum* humorum, Sal medium facile ſolubile gignit.

Nutricibus interdum in die, a Drachma 1-2. datum, *alvum* apertam reddit, ſed *Lac* eorum quoque ab *aciditate* defendit & præmunit. Scopo purgandi adultis a Drachma una ad Unciam dimidiam in *emulſione* l. *Aqua* datur. Infantibus a Gran. 5-10. in lacte præbetur.

Modus exhibendi eſt l. Drachm. 2. cum *emulſione amygdalarum* mane propinare, l. *Salis Anglici catharctici* Drachm. 4-6. in *Aqua* ſolutis, Drachm. 1. *Magneſiae* addere, & ſimul exhibere, qua egregium *purgans* ſine moleſtia,

ardore inprimis *ventriculi* - *ſoda* laborantibus. - *Teneris infantibus* ad *lactis* & *pulmentorum acrimoniam*, in *ventriculo* ſubortam contemperandam.

Ad *ventriculi vires* conſervandas, flatusque expellendos confert eximie *Magneſia* Unc. 1. commixta Flavedin. *Cortic. Aurant.* & Semin. *Foeniculi* ana Drachm. 1. uti & *hypochondriacis*, atque tum, ubi fortius *ſtimulans* & *movens* vitandum eſt e. g. in *gravidis*.

Ob VIM ejus *abſorbentem* peculiariter *infantibus lactantibus* conducit, ad *acidum* iis infringendum & materiam *caſeoſam* educendam. --- Commode hinc cum *Syrupo* quodam ita miſcetur, ut ad *Syrupi electi* Unc. 1. admiſceantur, *Magneſiae* Scrupul. 4. quale remedium ad parva cochlearia, crebrius in die datum, infantes facilius ſumunt. *Piderit.*

DOSIS cochlear dimid. parvum in *Aqua Fœniculi* 4 - 5. in die. Vel Grana 10 - 20. plerumque aliis remediis mixta. Infantibus a Granis 5 - 10. & ultra pro ætate cum *Syrupo* quodam.

OBSERVAT. 1) *Sal Anglicum* ſi genuinum fuerit, pulvis fit leviſſimus & albiſſimus, & in *Acido Vitrioli* plenarie ſolvi poteſt, & qualitates *Salis* amari puriſſimi continet: ſin vero *calce* & hujus generis partibus adulteratum fuerit, remanet *materia gypſea inefficax*, noxia ad ſcopum medicum, ſolutionem reſpuens: uti in magneſia a nitrariis occurrit, inprimis ſi iſta impura calcinatur, quo *calx* noxia oritur. *Piderit.*

2) Pharmacopolæ quidem ſæpe, quin plerumque, *Magneſiam* a circumforaneis emunt, quod interdictum eſto, *adulterata* enim eſt utplurimum, uti infra videbimus.

OBS.

OBSERVAT. 3) *Götling* præparatio *Magneſiae albae* hoc fit modo, ut infundantur *Ciner. Clavellator.* elect. Unc. 168 - 170. totidem unciæ *Aquae fontan.* quotidie aliquoties moveantur, tum quieti reponantur per 5 - 6. dies, filtrato *Lixivio Alcalino Sal. Anglic.* puri Unc. 240. ſolutis in ſuffic. *Aquae commun.* fervent. quantit. & intime mixtis, durante coctione affundantur a lixivio ſuperiore *Alcalino* partes 2. continuo motu denuo concoquantur. Mixturæ hujus filtratæ pars quædam, miſcetur novo lixivio puro, ad inveniendum, annon nil novi præcipitetur, ſi quid appareat hujus præcipitati, affunditur tum aliquid *lixivii* hujus *alcalini*, quod denuo coctioni novæ ſubmittitur. Qualis affuſio lixivii puri novi reiteratur tamdiu ac nil præcipitatur amplius, quo dein omnia ex aheno cupreo l. melius ferreo immittitur colatorio expanſo e linteo, quo magneſia tum pura remanet, & percolatur *lixivium ſalinum*, ex *Acido vitrioli* & *Acido vegetabili fixo* conſtans. *Lixivium* hoc *percolatum* inſpiſſatur ad cuticulam, ſucceſſive ad punctum cryſtalliſationis, quo tum in quiete & loco frigido acquiritur *Tartarus purus vitriolatus. Magneſia remanens* in colatorio ſuperfunditur toties *Aqua* pura, ac ea inſipida plane tranſit, minime ſalſa, & tum leni calore l. ſolis radiis in æſtate deſiccatur.

4) Ph. *Auſtriaca* & *Herbipolitan.* communicant *Magneſiam albam Salis Sedlicenſis*, ſ. *Terram muriaticam.* ſ. *Magneſiam muriaticam*, e *Salis amari Sedlicenſis* quant. plac. ut ſolvatur in ſufficienti quantitate *Aquae*, & cum lixivio colato, *Cinerum clavellatorum* præcipitetur inde pulvis albus, qui *Aqua calida* aliquoties ablutus, & exſiccatus ſervetur.

Eadem *Magneſia* obtinetur e ſimili præcipitatione Lixivii *Matris Salis Marini.* Videtur vero hæc *Magneſia* præferenda illi, quæ vulgo paratur e Lixivio *Matris Nitri*, quæ non æque bona, nec ſolvitur plenarie a *vitriolo* uti *Magneſia* e *Sale Culinari* præparata, calcareas interdum continens partes.

Pharm. *Suecica* & *Edinburg.* præparationem communicant e *Sal. Catharct. Anglic.* & *Ciner. clavellator.* ſ. *Alkali Lignorum depurat.* ana partibus æqualibus, ſola aqua, cæterum uti ſupra.

Pharm. *Edinburg.* vero e *Salis Catharctici amari*, & *Salis Lixivii* ana partibus æqualibus, cæterum uti ſupra præparandi.

Pharm. *Roſſica Magneſiae purae* ſ. *albae* compoſitionem hancce ſuppeditat: ſolutio nempe *Salis Sibirici* cum *Lixivio Lignorum* miſcetur calide, additur tum mixturæ octuplum *Aquae ferventis*, per horæ quadrantem coquitur, atque vaſculo terreo vitreato infunditur. Liquor adhuc calidus decantatur, *Magneſia* primum ſubſedente, pulvis vero bulliente *Aqua* ab omni ſalino diligenter abluitur, collectus tum adfuſæ ope *Aquae* ſeparatur a partibus craſſioribus illico fundum petentibus, & poſt moram *ſubſedens*, prius cretæ, quæ ſuperfluum humorem bibat, impoſitus, in charta ad ignem ſiccatur. Nova vero pars craſſior *Aqua* bulliente lota, eodem paratur modo, & priori admiſcetur Magneſiæ. Quo modo acquiritur quoque *Magneſia* e lixivio a confectione *Salis muriatici* reſiduo, adfuſo tantum Lixivio *Lignorum.*

Magneſia aërata vero præparatur ad eam, ſi *Magneſia* hæc alba, *calcinatur* igne fortiore, quæ probe aſſervanda eſt in vitro accurate clauſo.

Magne-

Magneſia alba cel. *Black* ad *Spielmann* Diſpenſator. hocce præparatur modo. Rec. *Salis Ebshamenſis* Unc. 64. diſſolvuntur in *Aquae fontanae* Unc. 128. quibus affundatur *Cinerum clavellatorum* depuratorum in duplo *Aquae* diſſolutorum, quantum requiritur, ut omnis inde terra dejiciatur, tunc affundantur, *Aquae ebullientis* Unc. 500. Terra optime edulcorata ſervetur, quæ ſi calcinata deſideratur, in crucibulo candente ſervanda eſt rubens per 2. horas. Medicamentum in Italia primum celebratum, dein ad modum a *Slevogt* traditum, ſemper e lixivio *Nitri* paratum, ſemper calce erat inquinatum.

Ad Pharm. *Würtenberg.* & cum ea *Brunſuicenſis* conſentiens, melior & certior modus præparandi *Magneſiam* e *Sale Ebshamenſi* commendatur, quam e reſiduo lixivii a cryſtalliſatione *Nitri* ſ. ſic dicto *Matre Nitri*, qua raro genuinæ in officinis proſtrante, nec ſemper ejusdem indolis, ſi ſolutio hujus diluta per lixivium *Salis Tartari* dilutum præcipitatur, terra ſubſidens muriatica, probe edulcoratur, & exſiccatur. Quo modo acquiritur terra, indolis purioris alcalinæ, non calcareæ, per *Spiritum Vitrioli* æque ac *Nitri* ſolubilis, & cum illo non in *ſeleniten* ſed in ſal *laxans* amarum denuo abiens. Unc. 12. *Salis Ebſhamenſis* Uncias ad minimum 4. & reſiduum inſpiſſatum *Tartarum vitriolatum* largitur.

OBSERVAT. 5) *Olim* nil aliud Medici dederunt quam *Magneſiam* tam facile ſolubilem a quovis acido: ſcopo *laxante major doſis* requiritur, uti ſal Sedlizenſe laxat, pro copia acidi in ventriculo contenti majori l. minori, ſine eo non laxat, non in ſanguinem ſed per inteſtina tranſiens.

No-

Nocet tantum in copia *muci*, in quem valde ſe inſerit, hinc *Salia media* utiliter adduntur, inprimis ſi ſpecifice per quoddam tempus requiritur ejus uſus, uti in *arthritide*, interpoſitis laxantibus, ad *abſorbens* educendum.

OBSERVAT. 6) *Magneſia* ſimplex præparatur quoque e *Muria* ſ. *Sal. Culinari*, ubi in ea magneſia pura ineſſe, non dubitatur, uti in Würtenbergica ſalifodina Sulzenſi, aqua affuſa diluitur, l. ſi aqua muriæ non ſuppetat, *Sal* quem vocant, *anglicum aqua* ſolvitur, duplo ejus ad minimum pondere adhibito.

Soluto hoc modo *ſali*, muriæve dilutæ, *Sal* immiſcetur *alcalinus fixus vegetabilis* puriſſimus ſ. *Cineres clavellati depurati*, pondus dimidium *Salis Anglici*, ſolutus itidem, & percolatus, miſtusque coquitur, non una vice *mixtio* confert, ſed ſæpius tentata ſenſim adſuſo *Lixivio Alcalino*, ut eo facilius punctum ſaturationis poſſit *obſervari*. Quo tum ſæpe pars *Sal. Alcalin.* dimid. non ſufficit, nimia enim copia magneſia facile deſtruitur & reſolvitur, præcipitatum quodeſt filtro imponitur, ut aqua ſalſa defluere poſſit, & aqua calida primum vicibus aliquot, dein frigida plurima, ſuperfunditur, usque dum nullum ſalſitudinis veſtigium ſuperſit. Pulvis hoc modo paratus, ſi ſiccatus fuerit, leviſſimus eſt, coloris candidi, ſaporis blandi, l. nullius potius ſaporis, *Magneſia* hinc *alba* vocatur.

Lixivium inter præcipitationem ortum, l. *Tartarum vitriolatum* continet, l. *Salem digeſtivum Sylvii*, l. etiam ambos ſimul, prout nimirum l. in *Acido Vitriolico* vel *Salis*, l. denique partim in hoc, partim in illo, ſoluta fuerit *Magneſia*, *Tartarus Vitriolatus* primum, dein *Sal digeſti-*

vus

vus Sylvii in cryſtallos ſolet abire. - *Oxonii chirurgus*, cognomine *Glaſſ*, *Magneſiam* conficit albiſſimam & leviſſimam tam externe quam interne, quæ venit ad nos in ſcatulis chartaceis pondere unius & dimidiæ, 3. 6. l. 12. Unciarum, quarum minima tribus, altera 6. ſolidis anglicis (*Schilling*) duæ vero altera *Guinea* dimidia, altera *Guinea* integra conſtat: pretium itaque Unc. 12. eſt circiter florenarum noſtrarum 16. quod quindecies majus eſt illo, quo apudnos venditur *Magneſia*, par illa quidem *bonitate*, *levitate* vero aliquanto levior.

OBSERVAT. 7) *Magneſiae genuinae Notae*, ſunt præcipue ut 1) vera *Magneſia* a diluto *Acido Vitrioli* ſolvatur, & ſolutio ſaporem acquirat amarum, qualis ſolutio poſt cryſtalliſationem verum ſal amarum acquirit: 2) fortiſſimo igne ad calcem comburi poſſit; *Haſſe* 3) avide iſta *genuina Magneſia Aquam* abſorbet; 3) *acidis* mixta efferveſcit, in iisdem ſolvitur, ac ſoluta hæret, 4) cum *Acido Vitriolico* exhibet *Sal* catharcticum, ſic dictum anglicum, amarum, in aqua facillime ſolubile; 5) aëri expoſitum, primum pelluciditatem amittunt cryſtalli iſti quadrangulares pyramidati, & in pulverem album dilabuntur.

8) *Mangoniſatio Magneſiae* fit ſæpius addito *Gypſo*, quæ ſplendeſcit albedine uti *Gypſum* purum & tanta ſubtilitate - levitate pulverulenta uti diapasma optimum parienſe: In *acidis* iſta vero *mangoniſata* ſine efferveſcentia decidit, ſine ulla ſolutione. Cum *Sale Alcalino* mixta, uti & pulvere carbonum, prodibunt ſigna tum *Gypſi genuini*. *Erhart* - *Baldinger*. obſervat.

Magne-

MAGNESIA CALCINATA,

ſ. *Aërata*, ſ. *Uſta*, ſ. *Pura*, fit ſi *Magneſia alba unitur* ſ. *calcinatur* in crucibulo igne fortiori atque tamdiu, donec abigne rubeſcat per horas 2. & cum *acidis* non efferveſcit, quo tum ſatis eſt uſta, & in vitro probe clauſo aſſervatur ad Ph. *Roſſicam*, *Suecicam* & *Edinburgenſem.*

VIS *fortior* & *efficacior* quam *Magneſiae* ſimplicis, inprimis laxandi.

USUS idem, in *minori* tantum *doſi.*

OBSERVAT. 1) *Magneſiae genuinae* ſufficienter *calcinatae* ſignum eſt, ſi ſine ulla efferveſcentia in *acidis* ſolvitur.

2) In *Magneſia calcinata* quæ funditur in crucibulo ad plenariam incandeſcentiam, omni aëre privatur, & calcinatione aqua cryſtalliſationis penitus perit, pondusque $\frac{48}{100}$. minuitur ſ. perit $\frac{1}{3}$ ponderis ſæpius dimidium, quale pondus iterum acquirit in aëre libero, quem attrahit, igne forti amiſſum; hinc duplo majoris pretii exſtat in pharmacopæis.

MANNA TABVLATA.

Manna vulgaris qu. plac. in *Aqua Roſarum* ſoluta, leni igne evaporatur, ſolvitur, colatur, ad tabulati conſiſtentiam, ab igne remota aliquantulum agitatur & effunditur.

Ph. *Brunſuicenſ. Danica.*

VIS & USUS ex *ingrediente* ſimplici jam notus, in commodiori hac forma magis conducit.

OBSERV. Variæ *Mannae* exſtant compoſitiones, uti *Manna tartariſata* præparatur e *Mannae calabrinae* Unc. 12. *Aquae fontan.* Unc. 6. ſolutis & ad tabulati conſiſtentiam evaporatis addatur *Cremor. Tartari* Unc. dimid. e quo formentur inde *Morſuli.* Ph. *Danica.*

Man-

Manna liquida ope additæ *Aquae commun. bullient.* & *Cremor. Tartari* diſſolvitur, filtratur, ſcopo *laxante.*

Manna cum *Caſſia* præparatur ad *Pfingſten*, e *Manna* Unc. 2. *Pulpae Caſſiae* Unc. dimid. *Ciner. clavellator.* Drachm. 1. & dimid. quæ ſolvantur in *Aquae fontanae* Unc. 5. tum filtrantur; ſcopo leni *laxante* una vice ſumendi.

MANILUVIUM LIXIVIOSUM PLENCK.

Rec. *Salis Alcalini* e *Tormentis Vitis*, Drachm. 1.
Extract. Myrrhae Drachm. dimid.
Aquae fontan. Menſur. 1. Miſceantur.

VIS *vulneraria*, *diſcutiens.*

USUS in *panaritio ſinuoſo*, & tota manu pluribus locis *exulcerata* commendari poteſt. *Plenck.*

MARTIS, SEV LIMATVRÆ MARTIS *praeparatio*,

Rec. *Limatur. Ferri* non rubiginoſæ, ope *Magnetis* ſelectæ, quantum libet. Hæc rite calcinata in mortario ferreo teratur in pulverem ſubtiliſſimum. *Alcoholiſata* portio, cemiculi tenuiſſimi ope obtenta, ſervetur. Ph. *Herbipolitan.*

Plura cæterum vide *Aethiops martialis.*

VIS *tonica*, *roborans.*

USUS in reſtituendo *tono* & elatere partium ſolidarum; in *chloroſi*, *cachexia*, ſanguinis motum, calorem, & ruborem augendo.

Ad *reſtaurandam vim* languentem, *haematopoeticam*, a laxitate ſolidarum & fluidarum partium tenuitate, *Tralles*: ad anomalias materiæ *podagricae Werlhof*; ad *menſtruorum* obſtructionem a laxitate *Tiſſot*, ad *vermes*; *Werlhof.* v. *Doevern*; ad malum *hypochondriacum* & *hyſtericum*, *Sydenham.*

DOSIS

DOSIS a Gran. 6 - 10 - 15.

Alia quæ exſtant *Praeparata Martialia* ſunt. *praecipua* hæc.

MARTIS CRASSAMENTVM, vide *Extractum Martis Pomatum*.

OBSERVAT. *Succo Pomorum Decoctum ſaturatum Tamarindorum* ſubſtitui poteſt.

MARTIALES FLORES, vide *Flores Martiales*.

OBSERVAT. Reſiduum a ſublimatione florum martialium humido loco liquatum appellatur tum *Liquamen Martis*. Ph. *Roſſica*.

MARTIS, SEV FERRI LIMATVRA TRITA, fit, ſi *Ferri Limatura* piſtillo ferreo, in mortario ferreo, in pollinem teritur, ad Ph. *Roſſicam*.

MARTIS SAL, vide *Sal Martis*.

MARS SEV FERRVM SACHARATVM eodem modo paratur uti confectio *Cinae Seminis*, marte tantum in ſubtiliſſimum pulverem trito. Ph. *Herbipolitan*.

MARS SOLVBILIS.

Rec. *Limatur. Martis* puriſſim. *Cryſtallor. Tartari* ana part. æqual. *Aquae pluvial.* quant. ſuffic. ut formetur maſſa in *balneo arenae* exſiccanda, quæ dein trita, madefacta, & aliquoties exſiccata, fatiscit tandem in pulverem impalpabilem.

USUS remedium *roborans*, unde *fomentis roborantibus* additur. *Plenck*.

MEDVLLA OSSIVM, vide *Axungia viperina*.

Mel

MEL DESPVMATVM.

Rec. *Mellis crudi* Unç. 12. coque in
Aquae fontanae puriſſimæ Unc. 24. deſpuma
& ad *Syrupi* conſiſtentiam redige, per
pannum colatum conſerva.

VIS *incidens*, *diſſolvens*, *diuretica*.

USUS ad *denſitatem ſanguinis*, ad *craſſos humores*, ad *excretionem* per *urinam* promovendam.

In *febribus acutis*, inſtar *potus ordinarii*, ad *fluida humoribus noſtris melius* miſcenda, olim jam & nunc in uſu eſt. *Piderit.*

Cæterum ad *incorporanda electuaria*, *clyſmata*, *gargariſmata*, ad alia *Mellum genera*, rarius per ſe exhibetur.

Externe ad *fomentandas* partes *luxatas*, *fractas*, *contuſas*, & *inflammatas*, qua *inflammationi optime reſiſtens* & *ſugillationes auferens*, etſi quidam recentiorum uſum ejus abrogant. *Piderit.*

OBSERVAT. 1) Ob additum *Acetum*, *Hydromel* adhuc ſuperant *Vires Oxymellis ſimplicis*, de quo plura jam dicta ſunt ſupra: vide *Acetum Vini concentratum.*

2) Ph. *Roſſica Mel depuratum* ita præſcribit, ut *Mel* quod non ſatis purum eſt, liqueſcat calore balnei, coletur & ſpuma *emergens* auferatur. *Mel Oxycocci*, eadem quoque præſcribit e Succo *Oxycocci*, cum puriſſimi mellis parte æquali, in vaſculo vitreo leni calore ut miſceatur: & *Mel Vitis Ideae* pari modo ut præparetur.

Ph. *Würtenberg.* ſuadet ut *Mellis* Unc. 48. cum *Aquae fontan.* Unc. 8. ebullient, deſpumentur, & per pannum colatum Mel ſervetur tum uſui.

MEL ROSARVM SIMPLEX.

Rec. *Mellis deſpumati* Unc. 12.

Muchari Roſarum ſ. *Infuſi Roſarum* Unc. 9. coque ad *Mellis* ſ. *Syrupi* conſiſtentiam & cola. *Pi:terit.* Ph. *Auſtriac.*

VIS eadem cum *Hydromelle*, niſi quod a *Roſarum Mucharo*, gratiam acceperit quandam.

Vulnerarium cenſetur, cæterum *adſtringens* leniter, *putredini reſiſtens.*

USUS ad *aphthas purgandas*, cum *acido Vitrioli;* & in *Gargarismatibus*, quæ contra *anginam* conducunt, ad Uncias aliquot præſcribitur *putredini reſiſtens;* ad *oris ulcera detergenda;* ad *collutoria.*

Sic adhibetur quoque, in *collyriis* ad *injectiones lenes mundificantes*, *detergentes*, in *fiſtulis;* ad *ulcera detergenda.*

Adhibetur, in *faucibus*, *lingua*, *palato*, aliisque partibus vicinis læſis, & quovis modo excoriatis: uti & in *clyſteribus* pro abſterſione.

Additur quoque *digeſtivis*, & ſi *ulcera*, a *veſicatoriorum* applicatione inducta, *purganda* & *detergenda* ſunt.

OBSERVAT. 1) Ph. *Londin.* & *Würtenb.* ſuadent *Roſarum rubrar.* immaturar. demptis unguibus, celeriter arefactarum Unc. 4. *Aquae bullientis* Unc. 36. *Mellis deſpumat.* Unc. 60. ut macerentur *Roſae* in *Aqua* per aliquot horas, tum liquori colato admiſceatur mel, & coquatur deſpumando ſimul ad debitam ſpiſſitudinem, melle paulo liquidiorem.

Ph. *Roſſica* præparationem ſuadet e floribus *Roſarum rubrarum* celeriter ſiccatar. Unc. 12. *Aqua fluviatil. bullient.* Unc. 36. ut macerentur per horas 12. ac colaturæ leniter expreſſæ ut addentur, *Mellis* Unc. 60. quæ leniſſimo igne ſunt coquendæ ad Mellis conſiſtentiam.

Ph. *Suecic.* ſuadet ad *Mellis Suecic.* Unc. 70. Flor. *Ro-*

Roſar. rubr. Unc. 6. & *Aquae fluviatil. bullient.* Unc. 36.

Ph. *Herbipolitan.* tantum *Infuſi Roſarum* part. 1. ad *Mell.* part. 2. coquendas præſcribit in conſiſtentiam, melle paulo liquidiorem.

Plenck ſuadet ut *Mel. deſpumati* qu. plac. cum *Aquae Roſarum* quarta parte coctum & deſpumatum coletur, & ad *Syrupi* conſiſtentiam coquetur.

OBSERV. 2) *Mel Roſarum ſolutivum*, e *Liquore Roſarum damaſcenarum* Unc. 72. conſtat & *Seminum Cymini* parum contuſorum Unc. 1. *Sachari rubri* Unc. 48. *Mellis* Unc. 24. ut coquetur liquor expreſſus ad trium Librarum menſuram, circa finem adjectis ſeminibus, linteo deligatis; dein, addito *Sacharo* & *Melle*, leniter decoque ad *Mellis* liquidi ſpiſſitudinem. VIS & USUS qua *laxans* per ſe patet. Ph. *Londin.*

Pharm. *Würtenberg. Mel Roſarum ſolutivum* præſcribit e *Succi Roſarum pallidarum*, Unc. 36. *Mellis deſpumat. optim.* Unc. 24. Mixta diſſolvantur, deſpumentur, & ad juſtam conſiſtentiam leni igne, evaporentur. USUS raro interne; plerumque additur *clyſmatibus*, ab Unc. 1-2. in *obſtructis menſibus*, in uteri *affectibus*, & fluore albo continuo.

Mel Anthoſatum, e Flor. *Rorismarini* & *Melle.*

Mel Mercuriale e melle cum herba *Mercuriali.*

Mel Sambuci, e *Sambuc.* cum *Melle*;

Mel Violarum, e *Violis* cum *Melle* ad Ph. *Würtenb.*

Mel Chelidonii, e *Mell. deſpumat.* Unc. 12. *Succi Chelidonii* Unc. 3. quæ coquuntur ad conſiſtentiam *Syrupi. Plenck* qua *detergens* magis quam *Mel roſatum* commendat. ideo injectionibus vulnerariis confert.

Sic *Mel Aegyptiacum* Pharm. *Londinenſ.* ſuadet ex

 Aeru-

Aeruginis minutiſſime triti Unc. 5. *Mellis* Unc. 14. *Aceti* Unc. 7. ut coquantur omnia ſimul leni igne ad idoneam ſpiſſitudinem, & colorem ſubrubrum: hujus mixturæ poſt aliquot tempus pars craſſior ſubſidet; quod vero ſupernatat, vocatur *Mel aegyptiacum.*

Pharm. pauper. *Pragenſ. Mel* habet *Armoraciae* e *Succ. Armorac.* Unc. 12. *Mellis* Unc. 24. quæ inſpiſſentur leni igne ad congruam conſiſtentiam. VIS *reſolvens, diſcutiens.* USUS in *angina maligna,* ad *gargarismata*; in *ulceribus putridis.*

MERCVRIVS ALCALISATVS BVRTON,

ſ. *Mercurius* cum *Lapidibus Cancrorum praeparatis contritus.*

Rec. *Mercurii vivi depurati* Unc. 1.
Lapidum ſ. *Oculorum Cancrorum* Unc. 2.
Mixta terantur intime in mortario lapideo, uti *Aethiops antimonialis Huxhami*, ad *extinctionem globulorum. Piderit, Guy & Mellin.*

VIS *detergens & exſiccans.*

USUS ad *ulcera* difficulter *ſananda* inſpergenda, ad *impuritates* humorum *venereas corrigendas*, ad *gonorrhoeam*, *bubones* & alia *inquinamenta*. In *viſcerum obſtructionibus*, *lentore humorum*, & *accumulatis humoribus pituitoſis.*

DOSIS a Scrupulo dimid. ad Drachm. dimid. & ne *ſalivatio* excitetur, *purgantia* e. g. *R ſina Jalappae* ei addenda ſunt. *Piderit.*

MERCVRII CALX,

paratur, ſi *Hydrargyri* & *Aquae fortis* partes æquales miſcentur, digeruntur in phiala ſuper arenam, ut fiat ſolutio limpida. Solutio hæc leni igne tum evaporet in maſſam albam ſiccam, quæ aſſervanda eſt. Ph. *Herbipolitan.*

VSVS

USUS ad varia præparata *chemica* mercurialia.

MERCVRIVS CALCINATVS SIMPLEX,

ſ. *Mercurius Praecipitatus* per ſe

oritur, ſi in cucurbita vitrea alta, lata, anguſti orificii, charta leviter obtecta, ne ſordes illabantur, detinetur *Mercurius depuratus*, in modico & continuo arenæ calore, per plures menſes, donec in *pulverem rubrum* redactus ſit, & aëre *dephlogiſticato* imbutus. Ph. *Suecica, Londinenſ. & Plenck.*

VIS *antivenerea, haemocatarctica.*

USUS ad *ſummum luis venereae gradum.* *Leviſon.*

DOSIS a Gran. 1 - 2 - 3. ſenſim datus. *Plenck.*

OBSERV. Plura vide *Mercur.* præcipitatum *rubrum*, ſ. *Calcinatum corroſivum rubrum.*

MERCVRIVS CINEREVS VEL NIGER,

ſ. *Mercurius Praecipitatus Cinereus Saunder.*

Rec. *Mercurii dulcis,*
Alcali volatil. e *Sale Ammoniac.* præparati,
ana partes æquales.

Miſce diligenter in mortario vitreo, l. marmoreo, diu Aqua pura lavetur donec prorſus inſulſus appareat, exſiccetur primum ſuper lapidem cretaceum, dein in loco ſicco reponetur uſui. *Halyt.*

VIS *purificans, haemocatarctica, reſolvens.*

USUS in *ſiphylitide*, ſ. *lue venerea, gonorrhoea*, *Angli* permultum eo utuntur & inprimis *Saunder* ad *Mixturam* ſuam *antiſyphyliticam*, & ad *pilulas* ejus *antivenereas*, uti ad *unguentum* ejus *mercuriale:* quæ hocce modo præparantur.

Mixtura antiſyphylitica Saunder conſtat e Pulver. *Mercur. Ciner.* Gran. 12. *Gummi Arabic. Mell. optim.* ana Drachm. 2. *Aquae fumariae* l. alius,

 Unc.

Unc. 8. Miſce detur mane & veſper. Cochlear. 2.

Pilulae antiſyphyliticae Saunder e Pulver. *Mercur. Ciner.* Drachm. 1. *Sapon. Venet.* Scrupul. 1. Miſce & cum *Mucilagin. Gumm. Arabic. f. pilul.* Nro. 40. De quibus mane & ad veſper. ſumat æger pilul. 1 - 2.

Unguentum mercuriale Saunder, e Pulver. *Mercur. Ciner.* Drachm. 1. *Axung. porcin.* Unc. 1. Miſce fiat *unguent.* in inguine illiniendum, in *ſiphylitide, gonorrhoea.* Vid. *Will. Saunders* append. ad *Plenck.* tract. de ſolubili Mercurius. London 1772.

MERCVRIVS CORROSIVUS ALBVS, vide *Mercurius ſublimatus.*

MERCVRIVS CORROSIVUS FLAVUS, vide *Turpethum minerale.*

MERCVRIVS CORROSIVUS RVBER, vide *Mercur. Praecipitatus Ruber.*

MERCVRIVS DVLCIS, SEV CALOMEL, ſ. *Panacea Mercurialis*, ſ. *Aquila alba*, ſ. *Mercurius ſublimatus ſaturatus Mercurio vivo.*

Rec. *Mercurii ſublimati corroſivi* Unc. 12. In mortario vitreo l. lapideo, cum adſperſis interdum *Aquae* guttulis quibusdam, terantur in pulverem, quibus dein addantur *Mercurii vivi depurati* Unc. 10. qui intime ſenſim miſcentur terendo, & ſub tritura cum *Spirit. Vini* hinc inde parumper humectentur, & ſollicite permiſcentur ita, ut globuli nulli amplius appareant mercuriales, ſed *pulvis* tantum *nigricans*, evitato pulvere volatili. Pulvere hoc vitra impleantur potionibus medicis dicata, ſ. phia-

phialæ oblongæ ne quid parietibus adhæreat, ita quidem, ut 2 - 3. partes eorum vacuæ relinquantur, hæcque tunc in cupellam ferream l. crucibulum *Arena* impletum imponantur; ad ſublimationem, cui dein ignis levior gradus admoveatur, ſenſim vero is magis augeatur, usque dum *Mercurius* plane ſit elevatus, in forma cryſtallina. Ad *humidi* plenariam expulſionem aperta relinquuntur orificia vitrorum, tum charta convoluta clauduntur.

Sublimatione finita, vitra, panni ope, eximuntur & panno aqua humectata tum involvuntur, ut eo levius frangi poſſint: qua corpus tum albicans ponderoſum, *Mercurius dulcis ſuperius* a *Mercurio vivo* adhæret, & a *partibus flaveſcentibus rubentibus* lateraliter, provide eſt abjiciendus, ſeparatus; eximitur, *nigrore* ſuperiore loco adhærente abjecto, & addita de novo

Mercurii vivi depurati Unc. 1. iterum ſecunda vice ſublimatur, eodem modo, quo ante tractatur & hoc 3 - 4. ter rurſus ſublimetur, & pulveriſetur tum tenuiſſime.

Altera hac ſublimatione *Mercurius dulcis* jam ſatis purus, & ſi in forte reſtaret ſaporis metallici aliquid, præſtabit illum *Aqua* deſtillata ſimplici edulcorare, quam ſæpius ſublimando debilitare, purus redditus ita fuit, & reiterata *ulterior ſublimatio*, qua *ſuperflua* poteſt conſiderari. *Piderit.* Ph. *Herbipol. Würtenb.*

Mercurius hic rite *dulcificatus* cum *Aqua Calcis*, l. *Oleo Tartari* per *Deliquium* tritus non flaveſcit, ſed nigreſcit; nec ſaporem habere, nec in *Aqua* frigida ſolubilis eſſe debet.

Mercurius dulcis ſexta l. ſeptima ſublimatione defunctus vocatur, ſed immerito *Calomel*, *Calomelas*. Cujus vis *mitior* eſt. Hoc vero cum

Spiritu Vini diu digeſtum vel quindecies ſublimatus, immerito vocatur *Panacea Mercurialis*, reiterata ſublimatione enim ſublimatus mercurius ſe diſſolvit, pars mercurii ſe amittit, & reſiduum ſit corroſivum.

VIS *antivenerea*, *haemocatarctica*, *abſtergens*, *alterans*, *anthelmintica*, *reſolvens* potenter *mucum*, *ſalivationem excitans*, & in majori doſi *alvum* laxat, aliasque *excretiones* promovet. Cæterum qua *abſtergens*, *ſubcorroſivum*, *minutiſſimos obſtructos tubulos* ac meatus reſerat.

USUS ad *venereos morbos*; *luem ipſam*, *fluorem album malignum*, *pertinacem gonorrhoeam malignam*, *ſcabiem veneream*, aliaque inquinamenta *venerea*, in *morbis* ab *obſtructione glandularum* & *viſciditate lymphae* ortis; ad *arthritidem chronicam*, ad *cancrum*, *cataractam*, ad *infarctus*, *obſtructiones viſcerum*, *ſcirrhos*, *ſcrophulas reſolvendas*, ad *vermes necandos*, qua *reſolvens* multo efficacius, quam *Calomel* alias præparatum.

In *hydrophobia* a *morſu canis rabidi* orta, conjunctis aliis congruis remediis; uti in *hydrope*, ad *infarctus* & *obſtructiones* non ſolum qua *reſolvens*, ſed *viſcidos* & *tenaces* quoque *humores incidens*, & *excretiones* per *urinam promovens*; ſic in febre quartana diuturna.

Externe confert *Mercur. dulcis* ad *ulcera venerea* purganda - ſananda, inprimis circa *glandem* & *praeputium* membri virilis, & in *genitalibus* mulierum, atque ita ut Drachma 1. cum *Aquae Calcis* Unc. 8. miſceantur.

Interius aſſumtum blandum eſt *purgans*, *lympham* potenter fundit, pituitam tenacem *incidens* & *expellens*, nec non ſalivationem interdum *excitans*. *Obſtructiones* reſerat, a *viſcido glutinoſo*, ſanguinem depurat, & in *vermibus* maxime convenit.

Ad-

Adhibetur cum uſu in *obſtructione glandularum* & *viſcerum*, in *obſtructione menſium* pertinaci, *hydrope*, *febre* quartana, *morbis venereis*: ad *ſanandam luem veneream* infantum nutricibus propinari ſolet: Cæterum confert quoque in *gonorrhoea virulenta*, *Bicker*.

Maritatur cum *abſorbente* quodam v. c. Conchis præparatis ſ. *Magneſia alba*; doſis Grana 3-6. & ultra, ſi *ptyaliſmum excitare mens* eſt, ad Grana aliquot cum *Sacharo*, & addit. Rad. *Jalapp.* & *Mercur. dulc.* efficaciſſimum tum exhibet remedium ad expellendos *lumbricos* & *aſcarides*. *Bicker.*

Externe in omnibus *morbis venereis*, in *fiſtulis inveteratis thoracis*, *abdominis*, *lumborum*, *perinaei*, & *vaginae* cum exitu *urinae*; in antiquis *ulceribus cruris*, in *auri fluxu foetido*, in *ſpina ventoſa*, *eryſipelate chronico*, *angina gangraenoſa*, & *membranacea*, in *hydrocephalo* interno: in *chronica gonorrhoea*. *Plenck.*

Forma *pulveris* inſpergitur *ulceribus verminoſis* & *venereis caſeoſis*. --- *Morbos venereos* curat, ſi quotidie Gran. 3. cum ſaliva humectata digiti ope l. apicis linguæ internæ buccarum ſuperficiei infricentur. *Solutio* applicatur *ulceribus*, injicitur ſinubus fiſtuloſis. --- Ad *bubones reſolvendos*, *tophos* aliosque *tumores*, cum *axungia* in *linimentum* redactus. *Plenck.*

In *maculis corneae Mercurii dulcis* & *Aloes* ana Grana 3. *Sachari candi* Drachm. 2. ad pulverem ſubtiliſſimum rediguntur: Oculo cum penicillo madido applicatur. *Plenck.*

DOSIS eſt utplurimum a Grano 1-2. ſemel l. bis in die in forma pilulari l. omni trihorio Granum 1. in ſolutione aquoſa; - *Aquae* Unc. 2. ſolvunt Gran. 1. *Mercurii dulcis*. Scopo purgandi

dantur *Mercurii dulcis* Grana 10. Qualis doſis, addito ſemper Grano, ita augetur & continuatur, usque dum *ſalivatio* ſit excitata, qua orta, ita doſis ejus ſenſim ſenſimque, uti auĉta fuit, minuitur. *Salivatione* vero hacce via excitata utplurimum corpus ab ea magis læditur, quam a morbo ipſo, quem auferre debet, dum alio modo eundem præſtat effectum *Mercurius dulcis;* Methodus hæc hinc plane eſt improbanda ob *ſuffocationis* metum, aliaque gravia ſymptomata ſalivatio valde eſt incommoda; uti & ob *Mercurii* nimis celerem elapſum e corpore valde incerta & inefficax; & ob *Mercurii* facilem metaſtaſin ad varia corporis loca, valde timenda. *Salivatio* vitetur itaque, niſi ob ſymptomata maxime urgentia, & ubi ex largiori *Mercurialium* uſu, & *morbi venerei* gradu inſigniori, in quo facilius, quam alibi ſalivatio movetur, ea evitari nequeat.

Adhibetur itaque optime *Mercurius dulcis* a Grano 1 - 2 - 4 - 12. & pro ſtatu morbi adhuc majori quantitate; ita vero, ut ſi ſalivatio quædam apparuerit, per aliquot dies, *Mercurius* non porrigatur, & ſi hoc non ſufficit, eccoprotice *laxans* quoddam addetur. *Camphora* interdum l. *abſorbentia*, l. *ſulphurea* utiliter adduntur, l. exceptis idoneis decoĉtis *ſanguinem purificantibus.* Pro quovis morbi ſtatu tam diverſo *doſis* vel minuenda l. augenda eſt.

OBSERV. Cæterum *nocet Mercurius*, ſi ſub ejus uſu *diarrhoea* oritur; *Mercurius* enim hic uti per ſalivationem nimis cito e corpore expellitur: Sic in *debilitatis viſceribus*, & *alvo* ſemper *laxa Mercurialia* interne nocent, hinc inunĉtio *Mercurii* in eis præferenda eſt:

DOSIS

DOSIS *Mercurii dulcis reſolvendi* ſcopo in *pulvere*, a Grano 1-4-12. in commoda *Sulphur. aurat. Antimon.* l. *Kermes mineral.* conjunctione, vel cum extr. quodam laxante, *Jalapp.* in forma *pilulari*, vel cum *conſerva Roſarum* aut alia, in boli forma, aut pulvere ſalino abſorbente. *Scopo anthelmintico* vero confert *Mercurius* infantibus a Grano 1-3. cum idoneis purgantibus: crebrior vero Mercurialium uſus teneris iſtis nocet. Adultis ſcopo *laxante* a Granis 5-12. cum idoneo alio *laxante* ut radic. *Jalapp.* rec. *reſinoſ.* Scopo *catharctico* ad Grana 15. pro doſi.

OBSERV. Ad faciliorem *variolarum* decurſum, ante earum eruptionem ad Grana quædam, eadem valent, quæ de *Aethiope antimoniali* ſupra jam ſunt dicta.

OBSERV. 1) *Nocet mercurialium* uſus in *variolis malignis*: in omni *humorum* nimia *ſolutione*, *ſcorbuto*, ſaburra acida atque auſtera, in *primis* viis obvia: uti & in affectibus *arthriticis*, *podagricis*, debiliori nervorum ſyſtemate præditis, *hyſtericis*, *hypochondriacis*, *gravidis*. &c. Frequentiori cæterum *Mercurialium* uſu & longiori *dolores* facile oriuntur *rhevmatici* & *arthritici*, a reſtitante Mercurio in corpore orti. *Cautus* itaque requiritur *Mercurii dulcis* uſus.

2) In *mercurialium* uſu *abſtinere* ſemper debet æger ab omnibus *acidis*, *auſteris*, *ſalſis*, difficilis concoctionis & *aëre frigido*; primæ viæ antea eccoproticis ſunt purgandæ; in *plethoricis* vena ſecanda; & per aliquot dies, *acres humores corrigentia* e. g. ſerum lactis, decocta demulcentia. Ne *corroſivam* accipiat indolem *Mercurius dulcis*, cum *Salibus* minime eſt miſcendus. Ob dentium facilem læſionem, *pilularis* forma omnibus aliis eſt præferenda.

OBS.

OBSERV. 3) *Mercurius dulcis* eſt magis *acris* & *penetrans*, in quo partes acres *Mercurii ſublimati* non plenarie ſaturatæ & mitigatæ ſunt, uti in *Calomel*, multo mitius, repetita ſublimatione, quo propriam vim amittit, & magis qua *diaphoreticum* efficit. - Egregium remedium caute, in non nimia doſi, quod in omnibus morbis a *ſpiſſitudine* humorum tenuiorum oriundis, cum ſucceſſu datur. *Catharcticos* quoque edit effectus; ſecure infantibus exhibetur, & vanus quorundam metus, in præſentia acrimoniæ in primis viis infantum. - Qua potentiſſimum *reſolvens nocet* in *putridis morbis*, & in *ſcorbutica* diſpoſitione humorum, - ſi febris fuit conjuncta, profuit jam, *ſalivationem* mox promovendo. *Selle.* Qua remedium leniter *corrodens*, *ulceribus venereis lardaceis* ſ. *caſeoſis* inſperſum cito puritatem adfert. *Aqua* dilutum egregie *ulcera venerea* curat.

4) Ph. *Auſtriac.* præſcribit partes æquales *Mercurii ſublimati corroſivi*, & *Argenti vivi.*

Ph. *Roſſica* vero *Mercurii corroſivi albi* partes 27. ad *Mercurii vivi* partes 22.

Ph. *Suecica* ſimplicem hancce ſuppeditat compoſitionem, e *Mercurii* depurati, *Acidi Nitri diluti* ana Unc. 6. --- In cucurbita vitrea mixta, poſt digeſtionem aliquot horarum ut coquantur, vas ſubinde agitando ad *Mercurii* plenariam ſolutionem. Liquor adhucdum *fervens* decantetur in vas vitreum, cui antea ſit inditus alius liquor *fervens*, qui habet *Salis communis* Unc. 4. *Aquae deſtillat.* Unc. 96. Liquor tum effundatur limpidus *ſupernatans*, ſi pulvis prius albus adfundum vaſis ſit præcipitatus & pulvis *remanens* affuſa ſæpius *Aqua* calida abluitur, donec plenarie inſipidus ſit. Charta bibula exceptus leni calore tum ſiccetur. Ad

Ad Pharm. *Würtenberg. Mercurii ſublimati corroſivi* & *vivi* anaticæ partes præſcribuntur: Cæterum uti ſupra præparatio inſtituenda eſt valde accurate & omni cura. *Acidum* enim *Salis* in *Mercurio corroſivo* contentum, ut omni, quem recipere poteſt, *Mercurio* ſit ſaturatum, neceſſe eſt: & etſi Unc. 9. *Mercurii vivi* Unc. 12. *Mercurii corroſivi* ſaturando plerumque ſufficiant, præſtat tamen præſcriptam anaticam portionem ſumere, Mercurius enim ſuperfluus in ſublimatione ſub forma materiæ nigricantis, altius ſublimatæ, ſeparari poteſt.

Göttling in præparatione *Mercurii dulcis* commendat, ut *Mercurio ſublimato corroſivo*, nondum plenarie *Mercurio vivo ſaturato*, portio quædam *Mercurii vivi* admiſceatur, & de novo ſublimetur: *Mercur.* hic ſublimatus vulgo ſatis edulcoratus, ſ. *Mercurio ſaturatus* eſſe cenſetur, ſi in parte ſuperiori vaſculi ſublimatorii globuli adhuc quidam *Mercurii vivi* deprehenduntur, ad quod requiruntur vulgo *Mercur. ſublimati* partes 4. ad partes 3. *Mercurii vivi.* Poſt primam ſublimationem ob intimiorem commixtionem repetitio ſecunda requiritur. ---

Ad plenariam convictionem, ne ullus *Mercur. ſublimatus* amplius inſit, ſuperfunduntur hinc *Mercurio ſublimat.* partes quædam *Aquae commun. fervidae*, per noctem, cui addi quoque poteſt ad *Beaume*, e *Salis Ammoniaci* parum.

Scheele commendat aliam commodam quoque *praeparationem* ſine *ſublimatione*, via quidem humida; ut *Mercur. vivi* Unc. 6. & *Aquaë fortis* Unc. 6. miſceantur, in cucurbita roſtro longo & epiſtomio chartaceo prædita, quæ balneo arenæ relinquenda eſt in igne leni prius, dein aucto ad punctum coctionis per 3-4. horas, tum deni-

denique ad plenariam coctionem liquoris, cui ſolutio *Salis Culinar.* pur. Unc. 4. & dimid. in *Aquae commun.* Unc. 3 - 4. fervide in vaſculum figulinum priori ſolutioni mercurii miſcentur, ſub perpetuo motu. *Præcipitatione* facta liquidum decolatur, cui præcipitato *Aqua* calida affunditur, & toties edulcoratur, usque dum aqua ſupernatans plane inſipida appareat: filtrantur omnia ope chartæ bibulæ, exſiccatur reſiduum leni calore, quod eſt *Mercurius dulcis*, unica ſublimatione intimius junctus inter ſe, *Aquam Calcis nigreſcens* dein. Qua via *Mercurius vivus* facilius adhiberi poteſt, non tam leviter *Mangoniſandus* quam *Mercurius ſublimatus*, aliasque adhibetur ad *Mercurium dulcem*.

Quædam pars *Mercurii* ſoluti, præcipitato *Mercurii dulcis*, hac via præparati, ſupernatans, in aqua ad decantandum affuſa decolari poteſt, & huic ſolutioni pars tantum quædam *Salis Ammoniaci* ſoluti addi poteſt, quæ *Oleo Tartari* per *deliquium* tum præcipitari poteſt, præcipitatum hoc vero *Aqua* pura edulcorari, exſiccari & ad *Mercurium* præcipitatum album adhiberi poteſt. *Göttling.*

Beaumé obſervavit quemvis *Mercurium dulcem* aliquid a *Mercurio corroſivo* retinere, etſi portio *Mercurii vivi* haud exigua ei additur, hinc ſuadet - ut *Mercurius dulcis* bene teratur, cui *Aqua* calida eſt ſuperfundenda, ut pars adhuc *remanens Mercurii ſublimati* extrahetur.

OBSERVAT. 5) *Mercurii dulcis probitas* hocce modo eo certior fit, ſi recipiuntur *Mercurii dulcis* Unc. 1. quæ pulveriſata teratur cum *Salis Ammoniaci* Drachm. 1. in ſufficienti copia *Aquae fontanae* ſoluti. *Aqua* a pulvere per chartam bibulam ſeparetur, pulvisque *Aqua fontana* abluetur & iterum ſiccetur. *Piderit.* Co-

Color niger, qui oritur, ſi cum *Aqua Calcis vivae Mercurius dulcis* miſcetur, non ſemper de *probitate Mercurii dulcis* teſtatur; *Aquae* enim *Calcis vivae* cum *Mercurio ſublimato corroſivo* mixto, *Arſenico* inprimis adulterato, & a *Batavis* proveniente eundem induit colorem *nigrum.* Si *Mercurii dulcis* commixtio cum *Aqua Calcis* non *nigrum* colorem acquirit, tum non ſtatim *Mercurius* iſte *dulcis* eſt cenſendus, ex *Aqua* enim *Calcis* non proba, facile id fieri poteſt. *Piderit.*

Ph. *Auſtriaca* & *Würt.* probitatem *Mercurii dulcis* hocce modo indicant, ſi *Mercurius dulcis* rite dulcificatus cum *Aqua Calcis* l. *Oleo Tartari* per *deliquium* tritus non flaveſcit, ſed nigreſcit, nec ſaporem habet, & omnis metallici ſaporis expers eſt; nec plane ſolubilis eſt in *Aqua frigida:* nec ſolvitur, ſi *Aqua fervida* coquatur, quod *Oleo Tartari* per *deliquium* poteſt præcipitari.

MERCVRIVS FLAVUS EMETICVS,

vide *Turpethum Minerale.*

MERCVRIVS GVMMOSVS PLENCK,

ſ. *Solutio Plenckiana.*

Rec. *Mercurii rectificati*, ſ. *Vivi depur.* Drachm. 1.
Pulveris *Gummi Arabici* Drachm. 3. Terantur probe, donec omnes globuli mercuriales diſparuerint, tunc addatur
Syrupi Diacodii ſ. *Cichor. Rhab.* Unc. dimid.
Miſceantur, conterantur in mortario marmoreo donec *Mercurius* penitus in mucum abeat.

VIS *antiſiphylitica*, *ſolvens*, *ſialagoga*, *anthelmintica.*

USUS *Interne* ad *omnes morbos venereos*, ejus Unc. 8. *Aquae dilutae* & ad aliquot cochlearia interdum da-

datis feliciſſime fugavit: uti *externe* ad *lotiones* adhibuit *Plenck*, ad *phymoſin*, *ophthalmiam*, *ozoenam* cum lacte coctus, forma fomenti, l. balnei; ad *anginam veneream* & forma *gargarismatis*. In *gonorrhoea* & fluore albo ad injectiones. *Selle*, & *Plenck*.

In *tetano* a læſione nervi; in *morſu canis* rabidi; *ſpina ventoſa*; *tinea* capitis; *dysphagia* a glandulis deſophagi induratis; in *morſu* viperæ *Italicae*, forma *linimenti Plenck:* ad *lumbricos rotundos* expellendos, infantibus optime datur *Bicker*.

Externe ad *morbos venereos Aqua* l. *lacte* dilutus, forma *lavamenti*, *peniluvii*, *gargarismatis* l. forma *linimenti* adhibuit *Plenck*.

DOSIS una pars *Mercurii* cum partibus 3. *Gummi Arabici* & *Syrup. Rhabarb.* conterantur in mucum, e quo addita mica panis albi Uncia dimidia fiant pilulæ, quarum 10. mane ac veſperi æger capiat, & ſic augendo.

OBSERV. Eximie confert ubi ob nimiam irritabilitatem ſalia nocent, in *morbis oculorum venereis*. Ubi *Mercurii vivi* pars 1. & *Gummi Arabici* partes 3. accurate miſcentur, trituratione & addito *Syrupo* de *Cichorio* cum *Rhabarb.* usque dum omnis *Mercurius* in mucum commixtus eſt: qui *Crude*, l. cum *Aqua dilutus*, ſ. *Mica panis* in forma *pilulari* ſumendus eſt, omni mane & ad noctem Grana 10. ab initio ad plura. *Selle*.

MERCVRIVS NITROSVS.

Rec. *Mercurii vivi* qu. plac. qui ſufficienter
Spiritu Nitri ſaturandus &
Mixtus aſſervandus eſt. *Selle*.

VIS fortiter *reſolvens*, *emetica*, *purgans* in fortiori doſi, in mitiori *diuretica*.

USUS

USUS *Interne* in *inveterata lue venerea;* morbis *oſſium* eximius; ad *Selle* obſervata, præferendus *Mercurio ſublimato.*

Externe in *ulceribus* valde impuris *venereis*, uti interne in hiſce affectibus ſimul. *Plenck.*

DOSIS a Guttis 3 - 5. *Aqua dilutus.*

OBSERV. 1) *Mercurius Nitroſus* eſt eſſentiale Eſſentiæ mercurialis *Charas*, ſ. *Mercurii liquidi Pharmacopoeae Pariſienſis*, ſ. *Aquae gryſeae Gohlii*, *Liquoris Belloſti*; ſ. *Unguenti citrini Pariſienſis*; *Syrupi mercurialis Belleti.* *Selle.*

2) *Spiritus Nitri* probe ſaturandus eſt Mercurio, diverſæ ejus qualitates portionem diverſam ad Mercurium requirunt, accurate determinandam. Si in Uncia 1. *Spiritus Nitri*, Drachm. 2. & Scrupuli 2. Mercurii contenti ſunt, tum proportio eſt uti 1. ad 3. continent hinc Grana 3. ſolutionis granum 1. Mercurii. Iſtius ſolutionis guttæ 2. in ſufficienti quantitate *Aquae* puræ deſtillatæ dilutæ, ſufficiunt in initio mane & ad veſperam. Si duæ guttæ emeſin. ſ. purgationem efficiunt, gutta una ſufficit, aſcendendo ſenſim ad 4 - 5. guttas.

3) *Aqua* ſufficiente diluta ſolutio hæc, exhibet egregiam *Aquam phagadaenicam.*

4) Adipe mixta hæc ſolutio, exhibet præclarum *Unguentum* ſ. *Linimentum* ad *ſcabiem ſanandam.* *Selle.*

MERCVRIVS PRÆCIPITATVS ALBVS, ſ. *Coſmeticus.*

Rec. *Mercurii vivi* depurati Unc. 4. ſolve in
Acidi Nitri, ſ. *Aquae fortis* Unc. 8. ſolutum diluatur
Aquae commun. deſtillat. Unc. 48. & ſenſim ei inſtilletur ſequentis ſoluti tantum, donec nil amplius præcipitabitur.

 Reci-

Recipe tum *Salis Ammoniaci* Unc. 2.
Salis Tartari depurat. Unc. 1. ſolve in *Aquae commun. deſtillat.* Unc. 48. & filtra ſi præcipitatio hac ſolutione finita eſt, ſolutioni tum mercuriali, ad perficiendam ulteriorem præcipitationem, inſtilla
Olei Tartari per *deliquium* quantum ſufficit, ad præcipitationem ſufficienter peragendam: Albiſſimus ille *pulvis* ad fundum præcipitatus, filtro tum chartaceo immittatur, atque ita *Aqua* frigida affuſa edulcoretur, ut *Aqua*, qua cum *Mercurius* ablutus eſt, *Acetum Saturni* non turbet, ſi ei inſtilletur.

VIS *mitior* quam *Mercurii Praecipitati rubri calcinati;* cæterum *corroſiva* in majori doſi, alias *antivenerea.*

USUS non *interne*, qua irreſolubile in *humoribus* corporis humani; qua emeticum forte; ſecuriora enim, ad *internum uſum* exſtant remedia *mercurialia*, *ſialagoga.*

Externe ad *unguenta mercurialia*, in *morbis venereis* inprimis *oſſium;* in *ulceribus* & *bubonibus mundificandis*, *venereis;* in affectibus *oculorum venereis*, *maculis* & *varicibus corneae;* in *emolliendis tumoribus induratis;* in *tinea* & *ſcabie* l. aliis foedis *cutis inquinamentis*, in forma *unguenti*, ſed caute. *Plenck*, *Piderit.*

In *lichenibus*, *pruritu*, *herpete* in *ſerpiginoſis exanthematibus*, *ulceribus*, *ſcabie* a *ſcrophuloſa acrimonia ortis*, & in *tophis venereis.* *Selle.*

DOSIS

DOSIS Gran. 1. cum Gran. 10. *Sachari* albi puriſſ. diu triti in mortario vitreo, detur omni trihorio. *Mönch.*

OBSERVAT. 1) *Probitatis* ſigna vide *Mercur. praecipitat. rubrum.* - Caveatur cæterum a nimia ſecundæ ſolutionis adfuſione, quæ præcipitatum mercurium rurſus diſſolvit:

A Pharmacopolis vitiatus *Amylo* vendi ſolet, l. *Terra*, quod ex levitate & carboni poſt fuſionem relicto poterit cognoſci. *Biedermann.*

2) Alii ad ſolutionem *Mercurii* in *Spiritu Nitri* affundunt *Spiritum Salis culinaris*, cum quo Mercurius junctus fundum petit, inſtar calcis, non tam valde corroſivi, in quo acida ſalis culinaris pars leviter Mercurio cohæret. *Selle.*

3) Ph. *Auſtr.* & *Herbipol.* ſuadet *Mercurii ſublimati corroſivi* quant. plac. ſolve in *Aquae communis* ſuffic. quantit. *Spiritum Salis Ammoniaci* vulgar. affunde ſucceſſive, donec nihil amplius præcipitetur. Pulvis albus, aqua calida ſimplici in filtro aliquoties ablutus, & ſiccatus ſervetur uſui.

Göttling & *Wiegleb* ſuadent leviorem & ſimpliciorem hancce præparationem, ut *Mercurii vivi* Unc. 4. ſolvantur calore leni in quantitate ſufficiente *Aquae fortis*, quo ſolutio diluitur *Aquae commun.* Unc. 48. Quo dein ſolvuntur *Sal. Ammoniac.* puri Unc. 1. in *Aquae commun.* Unc. 12. & miſcetur hæc ſolutio priori, quo dein omnis *Mercurius* ſolutus præcipitatur ope *Salis fixi ſoluti alcalini.* Simulac plenaria facta eſt præcipitatio, a præcipitato in fundo decolatur lixivium ſalinum *ſupernatans*; *Aqua* tum edulcoratur pura præcipitatum, quamdiu ſaporem edit *ſalinum*, quo dein leni exſiccatur coctione. In hac præparatione præcipue re-

 qui-

quiritur, ne nimium affundatur de hac ſolutione alcalina, ne flaveſcat præcipitatum. Qua præparatione acquiruntur facile Unc. 5. *Mercurii praecipitati albi.*

Ph. *Roſſica* compoſitionem ſuppeditat e *Mercurii corroſivi albi*, & *Salis Ammoniaci* æqualibus partibus in *Aqua* ut ſolvantur, & e ſolutione filtrata, infuſo *Lixivio lignorum* præcipitetur pulvis *albus*, qui *Aqua* tum edulcoretur & abluatur ad perfectam dulcedinem.

Ph. *Edinburgenſ. Mercur. ſublimat. corroſiv.* quant. plac. ſoluto in *Aqua* calida, addendum præſcribit *Spiritus Salis Ammoniaci* quantit. ſufficientem, donec deſinat dejici pulvis *albus*, qui ſæpius abluatur *Aqua* calida.

MERCVRIVS PRÆCIPITATVS RVBER,

ſ. *Mercurius Calcinatus* per ſe *Londinenſium.* ſ. *Arcanum Corallinum.* ſ. *Mercurius Corallinus.* ſ. *Mercurius Corroſivus ruber.*

Rec. *Mercurii vivi* depurati Unc. 4. ſolve in *Acidi Nitri.* ſ. *Aquae fortis* Unc. 8. Per *balneum Arenae* lento igne in cucurbita vitrea evaporetur ad ſiccitatem. Maſſa hæc ſicca, alba, pulveriſata, in crucibulo vitreato ignis debito gradu, cum perpetuo ſpatulæ ligneæ motu, tamdiu calcinatur, ſ. torreatur ſenſim aucto igne, donec parum cochleari vitreo exemptum, & refrigeratum, *ſquamulas* nitidas *rubras* referat; Materia vero aſſidue bacillo vitreo agitetur, ut omnes ejus partes æqualiter calefiant, & mutationem dictam ſimul ſubeat, qua apparente vas ab igne amoveatur.

Ph. *Auſtriaca*, *Edinburg.* & *Piderit.*

VIS

VIS *corrodens*, *acris*, *ſeptica*, *exſharotica:* dilutus *abſtergens ſcrophuloſa ulcera; reſolvens tumores duros; purificans externe.*

USUS *externe* ad *carnem luxuriantem* abſumendam; ad *excreſcentias carnoſas*; ad *ulcera venerea ſordida calloſa* & *fiſtuloſa* purganda, eorumque *ſuppurationem* promovendam; ad cutis defoedationes, ad *unguenta* ophthalmica in affectibus *oculorum venereis:* & ad *balſamum ophthalmicum rubrum.*

Cæterum in *morbis venereis*, & in *maculis corneae*, confert Granum I. ad Adipis Scrupul. I. - Globuli rubri non ineſſe debent ne irritent. Ad *ulcera ſordida mundificanda*, *ichorem venereum* & *carnem luxuriantem abſorbendam* - *ſpecificum* in *ophthalmia*, in qua materia puriformis e glandulis palpebrarum exſudat. In complicatione *morbi venerei* cum *diatheſi humorum ſcorbutica*, qua ſpecificum *Hundertmark* laudat combinat. *Cortic. Winterani*, ob *vim balſamicam*, putredini reſiſtentem, illamque coercentem, ne amplius & latius ſerpat, *pituitam incidentem*, & valentiori motu vaſis, humores vehentibus, blandius irritatis, impreſſo, materiam morbidam per ſudorem l. urinam l. exſcreationem e corpore ejicientem.

Mercurius eſt quoque cauſticus, non tam facile ac ſublimatus abſorbetur, hinc forma *adſperginis* l. *unguenti* ad *morbos venereos* & *carnem fungoſam* adhiberi ſolet. *Plenck.*

OBSERV. I) *Genuini*, & non *adulterati* calcinatione, *Mercurii praecipitati rubri* cum *Minio*; uti & albi cum *Ceruſſa* l. *Magiſterio Marcaſitae*, notæ ſunt præcipuæ, ſi in cochleari ferreo, ſupra ignem plane nullis partibus remanentibus deflagrat. *Piderit.*

Mercurius praecipitatus ruber & *albus* nec non *Saturninis* partibus corrupti proſtant ſæpe ſæpius; & *Mercurius* quidem *albus*, *Ceruſſa*; *ruber* autem *Minio*; cujus color rubicundus admixtione Minii longe pallidior evadit ac antea.

Optime hoc *adulterium experies*; ſi tertiam Cinerum clavellatorum partem, cum una ſuſpecti præparati mercurialis, commixtam & crucibulo infuſam tamdiu torres, donec fumus non amplius edatur, & miſcela liqueſcat. Igne jam crucibulo ſubacto, ſi quid antea admixtum fuerit *plumbi*, forma metallica fundum crucibuli tum occupabit.

Mercurius praecipitatus ruber, cum *Cinnabari* commixtus, *detegitur* igni appoſitus, editis vaporibus enim crebrioribus hoc additamentum *apparet*; & Sublimatione etiam a Cinnabari mercurius purgari ſolet. - Nonnunquam etiam latere pulveriſato *Vitriolo martis* ad rubedinem calcinato, & *Croco martis* adulteratus venditur. Hanc eodem modo atque Minii corruptionem prodere poteris. *Biedermann.*

OBSERV. 2) Si quis illum interne exhibere velit, *Spiritu Vini alcoholiſato* aliquoties deſuper abſtrahat, quo mitior evadet; hinc iſto modo præparatum *Mercurium praecipitatum rubrum* ob colorem vocant quidam *Arcanum corallinum*. Alias interne per ſe adhiberi nequit, ob *vim* ejus tam *acrem*, in parca doſi Grana 2. cum decocti *Bardanae* Unc. 48. emeticam leviter, in *forma pilulari* comodius ad *morbos venereos - chronicos, pertinaces obſtructiones, tumores oſſium.*

3) Ph. *Herbipol.* præſcribit *Calcis Mercurii* quant. plac. In crucibulo gradatim eousque calcinetur, donec ex albo in fuſcum, tum in flavum tan-

tandem auctiore igne in *pulverem* eleganter *rubrum* abierit.

Mercurium calcinatum, Ph. pauper. *Hamburgenſ.* ſ. *praecipitatum rubrum*, ita præſcribit, e *Mercurii vivi purificati* quant. plac. In cucurbita vitrea lata, cum longiſſimo collo, cujus orificium leviter tectum ſit, ne ſordes illabantur & parvam aperturam habente, ponatur in igne arenæ per plures menſes, donec in *pulverem rubrum* calcinatus ſit. DOSIS octava Grani pars ad granum 1.

Pharmac. *Roſſica* cupit tantum ut ſolutio *Mercurii* in *Acido Nitri Aqua diluto*, evaporata & exſiccata, igne continuo, ſub motu urgeatur ad colorem *rubrum*.

Ph. *Suecica* vero *Hydrargyri* Unc. 2. ad *Acidi Nitri diluti* Unc. 3.

OBSERV. 4) *Mercurius praecipit. ruber D. Bouz* ad *Elwert Magazin*, paratur e *Mercur. vivi* depurati Unc. 36. immiſſis in retortam vitream menſurarum duarum, cui ſuperfunde *Aquae fortis* concentrati Unc. 60. digere per 2. dies quo menſtruum prius turbidum clareſit. Solutionem hancce adhuc calidam immitte in retortam amplam arenæ balneo & deſtilla ad ſiccitatem. Quo tempore digeruntur in alio apparatu *Mercurii vivi* Unc. 36. cum *Aquae fortis* Unc. 60. quæ ſolutio ſuperfunditur ſuperiori ſicco præcipitato, de quo tum deſtillatur *Aqua fortis*. Abſtracta hæc *Aqua fortis* ad novam ſolutionem adhibetur; addita tantum ad quasvis Unc. 12. *Aquae fortis* puri Unc. 3.

Ad ſolutionem hancce requiritur cupella e ferro, ſex retortas continens; in quibus ſolvantur *Mercurii vivi* Unc. 36. in 6. dierum ſpatio, in tribus retortis calcinandæ, adaptatis ſingulis

 fur-

furnis. *Mercurio* quant. libet hoc modo ſoluto & deſiccato impletur furnus carbonibus, adaptatis in eo retortis, clauſis accurate omnibus aperturis, & continuato igne per tri-horium, flores ſublimantur ſucceſſive in parte retortæ ſuperiori. Poſt 3. horarum ſpatium denuo furnus impletur carbonibus, & ſublimatio continuatur per 3. horas, in quo tempore flores mercuriales, ulterius tranſeunt in partem anteriorem colli retortæ.

Tertia vice furnus impletur carbonibus non omnibus vero clauſis aperturis, in tanto ignis gradu & tanta fixitate mercurii, ut retortæ color appareat flavus, tum *aurantius* & denique Cinnabris inſtar *ruber*. Quo dein ignis gradus plane minuitur, & in retorta deprehenditur poſt refrigeſcentiam optimæ notæ *Mercurius praecipitatus ruber*, coloris valde nitentis & omnes continentis qualitates. *Aqua fortis* vero in receptaculo, calcinationis tempore, coloris fit cœrulei a partibus forte arſenicalibus mercurii, plane dein evaneſcentibus.

OBSERV. 5) *Mercurius praecipitatus per ſe.* paratur e *Mercurii vivi* puriſſ. Unc. 4. In phiala vitrea pura fundi plani, orificii patuli, colli eousque longi, ut *Mercurius* aufugere nequeat, immittatur igni *Arenae*, ignito catino, qui gradus caloris per 2 - 3. menſes protrahatur eousque, donec *Mercurii ſufficiens* portio in *calcem rubram Vivo Mercurio* incumbentem abierit, quæ collecta ſervetur.

Ad multiplicandam operationem variæ phialæ Mercurio onuſtæ, eodem tempore eidem balneo longo, committantur. Ph. *Herbipolitan.*

Mercu-

MERCVRIVS PRÆCIPITATVS VIRIDIS,
ſ. *Mercurius* cum *calce Cupri* intime mixtus.

Rec. *Mercurii vivi* puriſſimi Unc. 4.
Cupri Unc. dimid. ſolvantur ſingula ſeorſim in qu. ſuffic. *Spiritus Nitri.* ſ.
Aquae fortis, miſceantur ſoluta, & *Aqua fortis* in vaſculo vitreo, igne *Arenae* evaporetur ad ſiccitatem
Maſſæ *Salinae Aceti deſtillati* Unc. 12. affunde, digere & ſolve, *Acetum* abſtrahe, reſiduam maſſam viridem in pulverem tere & ſerva. Ph. *Würt. Brunſuic.*

VIS *ſeptica* fortis.

USUS *Externe* in *ulceribus venereis mundandis*, ad *venenum reſiſtendum*; & *ſepticum* ſi requiritur, confert qua *pulvis* eximie, caute tamen in partibus nervoſis applicandus eſt, ne ſpasmi oriantur.

Interne qua ſpecificum jam laudatum eſt in *gonorrhoea* & aliis *morbis venereis* a quibusdam, ob vim vero ejus valde *emeticam* & *draſticam* interne magis nocet quam confert.

MERCVRIVS SVBLIMATVS CORROSIVUS,
ſ. *Corroſivus albus.*

Rec. *Mercurii vivi* depurati, Unc. 4. in cucurbitam vitream immiſſa ſolve in
Acidi Nitri ſ. *Aquae fortis* Unc. 8. & evapora ſolutionem in maſſam, albam penitus ſiccam, tum adde cautione ſufficienti, in mortario vitreo l. lapideo.
Vitrioli communis calcinati,
Salis communis probe *ſiccati* ana Unc. 8.
Sublimatio tum hoc mixto ſuſcipitur aucto per gradus igne, per 6-7. horas, in phiala ad tertiam partem impleta, ſeu Vitris me-

medicis dicatis ad dimidiam impletis, *Mercurio dulci*, arenæ ita impoſitis, ut cucurbita fundum cupellæ adtingat, orificium vaſis ſublimatorii apertum relinquatur ad omnem humiditatis exhalationem; tunc charta contorta obturetur.

Finita ſublimatione, refrigeratis prius vitris maſſa eximetur albiſſima, ſplendens, cryſtallina, compacta, parti ventris cucurbitæ ſuperiori adhærens, quæ probe aſſervanda eſt. Sublimatio alias repentenda eſt, ut hanc indolem acquirat. *Viderit.*

VIS præcipua *antiſiphylitica; veneni diriſſimi cauſtica* in minori efficaciſſima; multa nempe *Aqua abſtergens, ſolvens, reſolvens, incidens, ſtimulans, antivenerea, coſmetica.*

VIS *Praeparati* hujus *mercurialis*, *acido Salis* concentrati divitis, in ſenſilibus ſalivationem excitat.

USUS *Interne* in *morbis venereis*, *Swieteniana* methodo, *Spiritus mercurialis Swietenii*, ſi *Mercurii ſublimati corroſivi* Grana 12. ſolvuntur in *Spiritus frumenti* Unc. 24. de qua mixtura datur mane & veſperi l. de die cochlear 1-2-3. plenum, ſuperbibendo Unc. 6-12. Decocti cujusdam demulcentis: *Hordei* l. *Bardanae* &c. in copia maxima: quo modo *morbi venerei*, aliis mercurialibus rebelles, plane ſunt ſublati, cum hiſce præcipuis commodis, ut, (quum *Mercurius ſublimatus* nullas ſenſibiles excretiones per cutim excitet;) raro ſalivationem, nec talis non cogatur, ſe hypocauſto calido includere, ſed exeuns ſimul rebus ſuis commode vacare poſſit. Valide cæterum per *urinam* efficit; & curatio modo *primo* jam *menſe* abſolvitur, modo vero usque ad tertium.

Placet aliis *Mercurii* ſolutio loco *Spiritus frumen-*

menti in *Spiritu Vini;* aliis ſolutio *aquoſa;* aliis tandem *pilulae Jacobi* l. *Hoffmanni.*

Solutionem *Mercurii ſublimat. corroſiv. aquoſam* omnibus aliis exhibendi modis præfert *Bicker*, ſenſibilibus quoque ſine moleſtia.

Confert quoque eximie usus *Mercur. ſublim. corroſiv.* in *carcinomate*, inprimis methodo *Swieteniana*, per *diuturnum* quoddam tempus, ſi *Mercurii ſublimati* Grana 4. in *Spiritus Frumenti* Unc. 48. ſolvuntur, atque ita & mane & veſperi ad Unciam 1. cum Decocto quolibet demulcenti, diapnoico porrigitur. Cæterum confert quoque in *vehiculis aquoſis* & *mucilaginoſis* ſ. in pilulari forma ſ. cum mica panis. Confert quoque eximie in *arthritide* cum *rheumatiſmo* juncto, *Vogel.* In *ulceribus pedum*, *hydrope*, *ſcirrhis* & ipſo *cancro* tam occulto quam aperto, in *ſtrumis* & *ſcrophulis. Spielmann.*

Externe forma adſperginis non adhibetur, qua ſal ſumme *cauſticum*, producit enim *gangraenam*, *convulſiones*, *mortem;* in pauca vero quantitate *Aqua* l. alio liquido ſoluta tuto adhibetur externe, ad *injectiones* varias in vulneribus &c. & aliis externis affectibus. *Plenck.*

USUS *externus* cæterum eadem reſpicit quæ jam ſupra dicta ſunt de *Aqua phagadenica* & *Aqua ophthalmica*, quorum eſt ingrediens.

In *morbis venereis* inprimis *oſſium* & *vaſorum* minimorum; in *maculis corneae*, *herpete* & *ulceribus* chronicis crurum aliarumque partium; in *vitiis* variis *cutis*, & lymphæ inquinamentis. *Plenck.* --- Raro cæterum *Mercurius corroſivus* in ſubſtantia *externe* adhibetur & præſcribitur ſolum. *Piderit.*

USUS *Mercurii ſublimat. corroſivi* cæterum eſt ad *ſolutionem ſublimati tenuem* ex *Aquae* Unc. 12. &

& *Mucilaginis Gummi Arabici* Unc. 1. & *Mercurii ſublimat. corroſivi* Gran. 1. & dimid. qua egregium remedium in *gonorrhoea* urethræ, in *fluore albo* vaginæ, in *ozoena* naribus injecta. Forma *fomenti ulceribus, bubonibus, tophis venereis;* forma *gargariſmatis, ulceribus venereis faucium* applicatur cum uſu eximio, uti ad *ſolutionem ſublimati fortis* confert ex *Aquae* 1. *Eſſent. Maſtichinae* Unc. 2. & *Mercur. ſublimat. corroſiv.* Gran. 6. ad *ulcera concreſcentia inguinum,* & *ulcera carioſa venerea ſordida, cruſtoſa,* ad *peſſima ulcera faucium* ſi bis in die penicillentur; ad *ulcera cacoëthea, corneae opacitatem.* &c.

Inſervit præcipue adparandum *Mercurium dulcem,* & *Aquam phagadaenicam,* e Mercurio ſublimat. corroſiv. & *Aqua calcis vivae*, parata; quæ confert in *ulceribus venereis, calloſis,* luxuriante carne tumidis, in *excreſcentiis venereis.* *Bicker.*

DOSIS Granum medium *Mercurii ſublimati* in Unc. 2. alicujus decocti bis de die datur.

OBSERV. 1) *Mercurii ſublimati corroſivi uſus nocet* in ægris affectis *tuſſi ſicca,* aut quibus ſolutio *ardorem circa pectus* excitat; uti & *haemorrhagiis narium* ſubjectis; debilibus ſenſibilibus, & in quibus *ſitim, cephalalgiam* & *tormina* creat.

2) *Ratione diaetae* & præparationis corporis eadem quoque probe obſervanda ſunt & valent, quæ ſupra diximus de *Mercurio dulci;* ſimulque ut jungatur *Decoctum demulcens.*

3) *Mercurius ſublimatus corroſivus*, ac *dulcis corrumpitur* ſæpe *Arſenico* , hinc Pharmacopoeo cuique *cavendum* eſt, ne Mercurialia externis locis præparata emat, ſed potius quantum illi horum medicamentorum in officina opus eſt, ipſa debet e laborare.

Ne-

Nequitia iſta ita patet, ſi de ſuſpecto *Mercurio ſublimato*, in *Aqua bulliente* ſolvitur, ſolutio *Alcali fixi* pellucidi tum admiſcetur, qua materia quædam nigra præcipitatur, *Arſenicum* continens; *praecipitatur* autem quid coloris *citrini*, nihil tum *Arſenici* continet.

Cavendum autem eſt probe, - ne fraus quædam oriatur in abſentia *Arſenici*, ſi ſolutio *ſalis alcalini nimis* ſaturata eſt, & Mercurius ipſe antea citrinus, nigreſcens præcipitatur. *Biedermann.*

Mercurium ſublimatum ſuſpectum in ignem conjici jubent quidam, quo facto adulteratus *fumum* & *odorem alliaceum edit.* Si tertia pars pulveris flor. *Sulphuris* ei admiſcetur, in igne fucatus omnino apparet Mercurius. Si pariter *Mercurius ſublimatus, corroſivus* vel *dulcis* in mortario vitreo cum duplo pulveris *fluxus nigri & limaturae Martis* ſubtiliter miſcetur, & tum vaſi fuſorio, ad ardeſcentiam exponitur, ad colorem usque album, & tunc nec inter fundendum, nec poſtea ulla mutatio, in *limatura Martis* percipitur, mercuriale tum hoc præparatum ſincerum, *nec* cum *Arſenico adulteratum* eſſe, exploratum habeas. *Biedermann.*

OBSERV. 4) Multum *nauſeoſae* ſuæ indolis amittit *ſolutio mercurialis*, ſequenti modo commixta, ſi recipiuntur *Mercurii ſublimati corroſivi* Gran. 12. quæ ſolvendæ ſunt in *Spiritus Vini* concentratiſſ. Unc. 6. *Aquae Cinnamom.* ſpirituoſ. Unc. 6. ut *metallicus* vero *nauſeoſus Mercurii* ſapor obnubiletur ſ. involvatur; præſcriptionis tum tempore, quælibet ſolutionis Unc. 1. cum Drachm. 2. *Syrupi emulſivi* miſcetur. Non tantopere enim timenda eſt ſolutio hæc mercurialis, mane & veſperi ad cochlear 1. datum, quod ſyrupo admixto, nondum Grani quartam par-

partem de *Mercurio* continet, *Mercurii* enim corroſiva indoles jam *Spiritu Vini* & *Aqua Cinnamomi* moderatur, & tum admixto *ſyrupo* adhuc magis obvolvitur.

Laeſio ventriculi cum continua *nauſea* & *ardore* ſi forte *Mercur. ſublim. corroſiv.* excitetur, tum melius eſt ab interno uſu hujus remedii abſtrahere, & in alio quærere juvamen medicamine, nec alia ſub forma venenum iſtud ingurgitare.

Cæterum *Mercurialium uſus*, & imprimis hujus præparati mercurialis uſus requiritur cautus.

OBSERV. 5) *Plenck* præſcribit *Mercur. vivi* Unc. 60. cum *Olei Vitrioli anglici* Unc. 36. abſtracto per retortam liquore adſiccitatem, maſſæ reſiduæ albæ in mortario vitreo, admiſceantur, *Salis marini decrepitati* Unc. 54. ſublimentur in cucurbita capaci, alembico inſtructa.

Ph. *Roſſica* & *Wittwer* præſcribunt ut *Mercurius* in *Acido Nitri* ſolutus, æqualibus partibus *Aquae* dilutus, ſolutione evaporata & exſiccata cum æquali portione *Salis muriatici* decrepitati ſublimetur.

Ph. *Suecica* ſuadet ut *Mercurii depurati*, & *Acidi Vitrioli* concentrati ana Unc. 6. in vaſculo vitreo coquantur ad ſiccitatem; maſſa *remanens* vero pulverata miſceatur cum *Salis communis* ſicci pulverati Unc. 9. & e cucurbita vitrea, ad tertiam tantum partem repleta, ſublimetur, calore ſenſim aucto: quo maſſa cryſtallina alba ad ſuperiora cucurbitæ hærens a ſcoriis purgata ſervetur. Simulac maſſa hæc ſatis cryſtallina non apparet, *Salis communis* parum addito, ſublimatio iterum ſuſcipitur, donec cryſtallina & pura fiat.

OBSERV. 6) Solutio *Mercurii ſublimati* in *Spiritu Vini* debili exhibet *Spiritum Swieten.*

Mer-

MERCVRIVS SVBLIMATVS SATVRATVS *Mercur. vivo*, vide *Mercurius dulcis.*

MERCVRIVS SACHARATVS.

Rec. *Mercurii* depur. - *Sachari albi* ana Unc. dimid. *Olei deſtillat. Tanacet.* Gutt. 16. In mortario vitreo eousque tere, donec globuli mercuriales diſpareant, ne armato quidem oculo conſpicui. Ph. *Herbipolit.*

USUS ad *vermes*, ad *obſtructiones* glandularum *meſenterii*, & ad alios morbos, in quibus uſus *Mercurii* indicatur.

DOSIS Drachm. 1. aliquoties in die.

OBSERV. Quidam uti *Pfingſten* ſine *Oleo deſtillato Tanaceti* præſcribunt.

MERCVRIVS TARTARISATVS.

Rec. *Mercurii vivi* part. 1. *Cremor. Tartari* part. 2. Miſce accurate & tere probe in mortario marmoreo ad æqualem maſſam: ob

VIM *haemocatarcticam*, commendat *Selle.*

USUM in affectibus *venereis*, in humorum acrimonia *ſcorbutica.*

OBSERV. 1) *Mercurius* hic *Acido Tartari* ſolutus cum *Manna* & *Gummi Arabico* junctus exhibet *pilulas* celebr. *Kaiſeri antivenereas.*

2) *Plenck Mercurium tartariſatum* e *Mercurio vivo ſulphure* juncto commendat qua *attenuans*, *antivenereum*, *anthelminticum*, in *ſcabie*, *ſcrophulis*, *lue venerea*, *phtiſi venerea:* ad Scrupul. 1. quotidie pro doſi.

MERCVRIVS VIVUS,

ſ. *Hydrargyrus depuratus*, ſ. *Argentum vivum purificatum.*

Igni ſubmiſſo *Mercurius* in excipulum tranſcendit, qui finita deſtillatione ſeparetur & uſui ſer-

ſervetur. --- Cavendum probe eſt, ne ignis ſit tam *vehemens*, ut *Mercurius* quidquam ſecum in ſublime rapiat. Ph. *Suecica. Vide it.*

VIS *ſalivationem excitans & alvum; antiſiphylitica.*

USUS in *humorum impuritatibus*, *obſtructionibus*, *variis* & *affectibus venereis*, pilularum maſſis a Granis 4 - 12 - 20. & ultra additur.

Cæterum ad *emplaſtra* & *unguenta* varia confert, uti & ad varios labores chemicos.

OBSERVAT. 1) Ph. *Londinenſ.* ſuadet ut *Mercurii* quant. libet, deſtilletur, e retorta, dein ſordes *Aqua* ſalſa l. *Aceto* abluantur.

Ph. *Roſſica Mercurii depurationem* ita ſuadet, ut *Mercurius* depuretur l. *preſſione* per corium, l. *lotione* cum *Aceto*, l. *Spiritu Vini*, l, *Lixivio;* a metallo admixto ſeparetur deſtillatione, data in vas recipiens aqua.

Ph. *Brunſuicenſis Mercurii depurationem* optima ſuadet methodo, ubi cum Sale *Alcali*, l. *Calce viva* deſtillatur, trajectio enim per corium non ſufficit.

2) *Mercurius vivus*, qualis plerumque *venalis* proſtat uſui medico minime idoneus eſt; pharmacopolæ enim emunctores, ad pondus ipſius augendum *plumbum* vel *ſtannum* admiſcent, quæ viliora metalla ille ſolvit & in ſe recipit eadem manente fluiditate.

Adulteratio autem hæc mox ita apparet, *Mercurius* nempe ille *vivus*, qui pellicula quaſi textus ſpiſſe fluit, filumque quaſi trahit, ſuſpectus eſt, & impurus, qui dein *aceto* tritus ſaporem dulcem recipit. Facilius autem deſtillatione, utpote quæ *Mercurium* hoc additamento liberat, & uſibus medicis magis accommodat, fraudem detegere, immo facillime quantitatem admixti metalli reperire poteris, quod detracto

Mer-

Mercurio fundum retortæ occupat. Alii etiam *Mercurium* corio percolantem examinant, quo magna metalli copia in corio remanet. *Spielmann.*

Alii *Mercurium ſuſpectum* in cochleare, vel aliud vas infundunt, ignique imponunt, tunc & *Mercurio* conſumto materies aliena in cochleari remanet; quale optimum ſane experimentum eſt valorem *Mercurii* dijudicandi. *Mercurius* enim *vivus* ope *Biſmuti* ita poteſt adulterari *Saturno*, ne quidquam quisquiliorum, colando in corio remaneat. *Biedermann.*

OBSERV. 3) In *Ileo Mercur.* depurat. ad Unc. 12. adhibendi ſemper improbandum eſt, uti & modus amuleti more geſtandi *Mercurium*, ad *Lac* in nutricibus l. prohibendum l. augendum.

MINIVM

Paratur e *Ceruſſa citrina* ad rubedinem calcinata.

USUS ad varia *Emplaſtra.*

MILLEPEDES, SEV ASELLI PRÆPARATI.

Rec. *Millepedes* qui panno cannabino rariori incluſi ſuſpendantur, in vaſculo clauſo ſuper *Spiritum Vini* calefactum, ut a vapore necati friabiles reddantur. Ph. *Edinb. Londin.* & *Danica.*

VIS *alterans*, *aperiens*, *reſolvens*, *abſtergens*, *diuretica*, *alcalina.*

USUS *externe* in *ophthalmia*, *palpebrarum inflammatione*, in *amauroſi* & *cataracta* incipiente, in *ulceribus cacoëthicis* & *tumoribus mammarum*, in *hydrope*, *ictero*, *ſtranguria calculo.*

In *ſcrophulis* & *ſtrumis reſolvendis* cum teſtis ovorum calcinatis angli præſcribunt cum uſu. *Bicker.*

In *febre* quartana, *ictero*, *aſthmate*, *hydrope*, *ſpasmis*, in *urina pellenda.* *Plenck.*

DOSIS *Succus* ex 100. inſectis exprimatur, & cum juris Unc. 12. detur. *Pulvis* minus eſt efficax. A Scrupul. 1. ad Unc. dimid. porrigitur in connubio Squillæ l. abſorbent l. in ſucco expreſſo l. infuſo vinoſo. *Plenck.*

OBSERV. 1) *Millepedes* recentes ſunt meliores quam antiqui, hinc tempore hyemali *Conſerva* magis conducit & *Succus* tempore æſtivali.

2) Ad Ph. *Würt.* ab omni immunditie repurgati *Millepedes* imprægnentur *Vino* albo, & leni calore exſiccati ſerventur.

Ph. *Brunſuicenſ.* præſcribit tantum ſine *Vino*, ut ad uſum ſerventur.

MIVA CYDONIORVM.

vide *Panis Cydoniorum.*

MIXTVRA ANTISCORBVTICA. DRAWIZ.

vide *Spiritus antiſcorbuticus.*

MIXTVRA ASTHMATICA BRVNER.

Rec. *Gummi Ammoniac.* puriſſimi Drachm. 2.
ſolvuntur in
Aquae Hyſſopi cohobat. Unc. 4.
Vini Rhenani ſ. alius genuini, bonæ notæ. Unc. 2.

Terantur & miſceantur. Ph. *Brunſuicenſ.*

VIS & USVS e titulo patent.

OBSERVAT. Aliæ compoſitiones quæ exſtant in aliis *Diſpenſator.* ſunt nimis compoſitæ, e variis *Aquis* deſtillatis, ſuperfluis.

MIXTVRA SALINA VOLATILIS,

vide *Alcali Ammoniacum acetatum.*

MIXTVRA SIMPLEX.

Rec. *Spiritus Tartari*, e *Tartaro* purificato deſtillati Unc. 12.

Spiri-

Spiritus Vitrioli rectificati Unc. 3.

Mixta deſtillanda ſunt per retortam adſiccitatem; *Spiritus prodiens volatilis, ſulphureus* & *anodynus* probe commiſcendus eſt cum *Spirit. Theriacal. Camphorat.* Unc. 20. & in vitro probe clauſo ſervandi ſunt. Ph. *Würt.*

VIS *diaphoretica, alexipharmaca, carminativa, anodyna.*

USUS in *febrib. acutis, exanthematicis, rhevmaticis, variolis*, ubi leniter tranſpiratio promovenda eſt; in morbis *pectorum*, cum *tuſſi* non proficui.

DOSIS Guttæ 60 - 80 - 120.

OBSERVAT. 1) *Mixtura* exſtat quoque *ſimplex Camphorata*, non rectificata, & rectificata, e *Spiritu Theriacal. Camphor.* & non camphorato conſtans; vel e ſimplic. *Spirit. Camphorat.*

2) Ph. *Roſſica Mixturam* quoque *ſimplicem*, ſub cognomine *Diatrion* communicat, e *Spiritu Vini Camphorat.* Unc. 5. *Acidi Tartari* deſtillati Unc. 1.

MIXTVRA TONICO - NERVINA STAHL.

Rec. *Spirit. Cornu Cervi* rectificati Unc. 1.
Tinctur. Antimon. acris ſ. *tartariſat.* Unc. 2.

Miſceantur & ſerventur uſui in vitro probe claudendo. Ph. *Würtenb.*

VIS potenter *reſolvens*, qua *Tinctura Alkalina*, non *nervina* & *roborans* immediate, ſed ſingulo vaſculo tantum ſe expandente ſublata iſta obſtructione, uſus hinc in morborum chronicorum *declinatione*, poſt excretiones quasvis graviores & viſcerum oppletiones: ad *infarctum* &c.

Ad *reſerandas* viſcerum abdominalium *obſtructiones* & reſtituendum ipſis *tonum* confert.

DOSIS bis in die ad Guttas 20 - 50.

OBSERVAT. *Melius* per Species præſcribitur hæc *Mixtura*, ut *Liquor. Cornu Cervi* Drachm. 1. cum *Tinctur. Antimon. acri* Drachm. 2. intime miſceantur.

MOSCHATÆ NVCIS PRÆPARATIO.

Rec. *Moſchat. Nuc.* quant. v.
In taleolas ſciſſa loco nonnihil calido exſiccetur, ut in pulverem redigi poſſit. Ph. *Herb.*

MORSVLI ANTHELMINTICI, ſ. AD VERMES.

Rec. Pulver. Semin. *Cinae*, - *Muſci Corallin.* ana Unc. dimid.
Aethiop. mineral. - *Jalapp. reſinoſae* ana Drachm. 3. ſeu
Reſinae Jalappae, pineis exacte tritæ Scrupul. 2.
Cinnamomi Scrupul. 4. commiſceantur omnia pulveriſata cum
Sachar. albi in *Aqua Roſarum* ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati cocti Unc. 7.
Fiant Morſuli. Ph. *Herbipol. Würtenb.*

VIS & USUS e nomine - ad *infantes defraudandas*, qui remedia reformidant *anthelmintica.*

DOSIS *infanti* a Drachm. 1 - 2.

OBSERVAT. 1) Quælibet Uncia habet *Aethiopis mineral.* Scrupul. 1. & totidem *Jalappae.*
2) Conditum *Semin. Cinae* ſæpius interdum magis prodeſt, quam *Morſuli* iſti *anthelmintici.*

MORSVLI ANTIMONIALES KVNKEL.

Rec. *Sachari albi* Unc. 6. coque in
Aquae fontan. Unc. 4. ad conſiſtent. tabulati & adde
Antim. Crudi puriſſimi ſubtil. pulver. Unc. 1.
Flor. *Caſſiae* groſſe trit. Drachm. 1. l. ejus loco
Cinnamom. acuti minutim inciſi Scrupul. 4.
Effun-

Effunde tum ſub perpetuæ ſpathulæ ferreæ motu, ne *Antimonium* in fundum ſecedat, in formam huic rei dicatam, & tum divide in tabulas ſ. morſulas Drachm. 2. ponderis. Ph. *Herbipolit. Piderit.*

VIS & USUS ex *Antimonii Crudi ſimplic.* qualitatibus patet.

Magnæ tribuntur *vires haemocatarcticae* his morſulis, ad acrimoniam & ſpiſſitudinem *lymphae;* ad *ſcabiem ulceroſam;* ad reliquias a variolis; *gonorrhoeam* maletractatam, affectus *convulſivo* & *ſpaſtico-arthriticos*, & *rhevmaticos* rebelles. Delicatioribus ad *corrigendam maſſam* humorum, in variis morbis chronicis. In *triſmo* a *ſcabie* retropulſa *Bicker.*

DOSIS a Drachm. 2-4. quavis die & veſperi ante ſomnum, in combinatione cum *Decoctis Lignorum.*

OBSERV. 1) Quidam addunt *Amygdal. Cardamom.* uti *Diſpenſat. Würtenb.* & *Spielmann.*

2) *Antimonium* confert in morbis *lymphae*, ubi *Oleoſa*, ubi *Amygdalae* non tantum conducunt, & ubi tum *Sulphur Antimonii auratum* in exigua doſi magis confert variorum practicorum obſervat.

3) *Mellin* hocce modo præſcribit *Morſulas Antimon. Kunkelii* ex *Antimonii Crudi.* - *Amygdalar.* dulc. excortic. ana Unc. dimid. Condit. *Cortic. Citri* Drachm. 2. fiant cum ſuffic. quant. *Sachar.* in *Aqua ſolut.* lege artis *Morſuli*, dividendi in 8. partes, ad Drachm. 1. ponderis.

MORSVLI AROMATICI.

Rec. *Amygdalar.* dulcium decorticatar. & minutim conciſarum

Conditi *Corticis Aurantii* conciſi, *Citri* ana Unc. 1.

 Cin-

Cinnamomi Unc. dimid. - 1.
Zingiberis Scrupul. 1 - 2. omnia conciſa miſceantur cum
Sachari albiſſimi ad conſiſtentiam tabulati cocti, Unc. 12.

Fiant Morſuli. Ph. *Roſſica.*

VIS *ſtomachica*, qua ori gratum remedium.

USUS in *debilitate ventriculi*, *Aquas minerales* bibentibus.

OBSERVAT. *Diſpenſat. Würtenb.* ſuppeditat *Morſulos Imperatoris* e *Cinnamom.* acut. Drachm. 2. *Specier. Imperator.* pro morſul. groſſe inciſar. Drachm. 6. - *Cortic. Aurant.* Conditor. - *Carnis Citri* condit ana Unc. 1. - *Amygdal.* dulc. Unc. 1. & dimid. Condita & *Amygdalae* mundatæ minutim incidantur, & tum cum *Sachari* in *Aqua Roſarum* ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati cocti Unc. 16. mixta fiant *Morſuli.*

MORSVLI CITRI.

Rec. *Sachari* albiſſimi pulverati Unc. 4. leniter calefacto adde
Succi Citri concentrati Unc. dimid.

Fiant Morſuli. Ph. *Suecica.*

USUS ad *guſtum* delectandum, *ſitim* fallendam, *viresque* refocillandas.

Pharm. *Spielmanni* præſcribit *Carnis Citri* conditæ inciſæ, - Flavedin. *Cortic. Citri* recent. ana Unc. 1. - Quintæ Eſſent. *Citri* Scrupul. 1. - Succ. *Citri* Unc. 1. immiſceantur, - *Sachari canarienſis* Unc. 16. in *Aqua ſolutis* ad conſiſtent. tabulandi ſpiſſiorem coctis, & ſub perpetua agitatione ſemirefrigeratis, conficiantur lege artis *Morſuli.*

MORSVLI CHINATI.

Rec. *Sachari albi* Unc. 12. coque in
Aquae fontan. Unc. 6. ad conſiſtentiam tabulati, & adde *Cor-*

Cortic. Peruvian. pulveriſat. Unc. 3.
Cortic. Aurantior. conditi in tabulas ſecti Unc. I.
Specier. pro *Morſulis Imperatoris* Drachm. 3. effunde tum in idoneam formam, ut fiant *Morſuli* ponder. Drachm. 2.

VIS & USUS convenit cum *Cortic. Peruv. ſimplic.* Cæterum iis conducunt qui *Pulverem* vel *Electuarium* e *China reformidant*, & inprimis ubi magna doſis requiritur.

In uſu *acidularum* qua *ſtomachicum* egregium confert, & quotidie 2-3-4.

Infantibus ad *Vermes* necandos. *Pfingſten.*

MORSVLI IMPERATORIS.

Rec. *Sachari albi* Unc. 16. coque in
Aquae fontan. Unc. 8. ad tabulati conſiſtentiam, & adde
Succi Citri recent. expreſſ. Unc. dimid.
Amygdalar. dulc. excorticatar. & in fruſtula ſecatar. Unc. 2.
Cortic. Aurantior. in fruſtula ſecatar.
Cortic. Citri conditi, in fruſtula ſecatar. ana Unc. I.
Specier. pro *Morſulis Imperatoris* Drachm. 3.
Miſceantur & fiant uti Morſuli chinati.

VIS *ſtomachica*, *carminativa*.

USUS ſub uſu *Aquarum Soteriarum*, & in genere ubi *ſtomachi vires* ſuſtendandæ & roborandæ ſunt.

Aliæ compoſitiones quæ exſtant, ſunt nimis compoſitæ e variis aromatibus.

MORSVLI MARTIALES.

Rec. *Sachari albi* Unc. 6. coque in
Aquae fontan. ſ. *Roſarum*, Unc. 4. ad conſiſtentiam tabulati, & adde

Limatur. Martis depurat. ſubtiliſſime pulveratæ Unc. 1.
Florum Caſſiaè groſſe pulveriſator. Drachm. 1.
Cæterum fiant uti *Morſuli Kunkelii Antimonial.* *Pideri it.*

VIS & USUS convenit cum *Martis* qualitat. ſimplicibus.

Morſuli 1 - 3 - 4. per diem dantur, in morbis, in quibus martialia, & *Extract. Martis* præcipie confert.

OBSERVAT. 1) Ph. *Brunſuicenſis* compoſitio nimium aromatis continet e *Cinnamomo*, *Cardamomo*, Flaved. *Cortic. Aurantior. Amygdal. dulc.* non ſemper tam proficuis.

MORSVLI MENTHÆ PIPERITIDIS.

Rec. Herbæ *Menthae piperitid.* ſubtiliter pulveriſat. Unc. 1.
Spec. Imperator. Drachm. 2.
Amygdalar. dulc. longitudinal. diſciſſar. Drachm. 6.
Sachari albi in *Aqua Menth. Piperitid.* ſoluti ad conſiſtent. incocti, & ſub perpetuo motu refrigerat. Unc. 12. In quo momento effuſionis adduntur
Olei deſtillat. Menth. piperitid. Drachm. 1. quale mixtum ad formam morſulor. conformandum eſt. *Pfingſten.*

VIS *diſcutiens*, *reſolvens*, *antiputredinoſa*, *antiſpasmodica*, *roborans* eximie univerſum ſyſtema nervorum & viſcera.

USUS in *ſpasmis*; *convulſionibus*; affectibus uteri; ventriculi; debilitate ſpasmo; in *febr. intermittent. chloroſi; intumeſcentia; diarrhoeis* & inteſtinorum debilitate.

DOSIS bis quotidie 3 - 4. Morſul. pro morbi conditione.

OBS.

OBSERVAT. 1) *Amygdal.* poſſunt iis commode omitti, qui eas ferre nequeunt.

2) Ph. *Brunſuicenſis* & *Spielmann.* Speciales haſce duas communicat *Morſul. Species.*

a) *Purgantes Morſul* e *Reſinae Jalappae* Drachm. 1. quæ teratur optime cum *Amygdalar. dulc.* excorticatar. Drachm. 3. addantur terendo Pulv. *Cardamomi* minor. Scrupul. 1. - *Cinnamomi* acuti Scrup. 2. qui omitti quoque poſſunt ad *Spielmann.* *Sachari* in *Aqua Roſarum* ſoluti Unc. 8. Miſceantur lege artis, ut fiant Morſuli. Quorum Unc. 1. Morſulorum Grana 8. Reſinæ circiter continet.

b) *Morſuli* de *Rheo* e Rad. *Rhabarb.* optim. pulveriſat. - Cryſtallor. *Tartari* ana Drachm. 2. Flavedin. *Cortic. Citri* recent. Drachm. dimid. *Sachari albi*, - *Aqua* florum *Naphae* ſoluti Unc. 4. Miſceantur & fiant lege artis Morſuli.

Ph. *Brunſuic.*

MVCHARVM ROSARVM,

ſ. *Infuſum Roſarum.*

Rec. *Flor. Roſar.* rubrar. recent. Unc. 12. in *Aquae fontan.* Unc. 12. per aliquot dies digere, exprime, cola & ſerva. *Piderit.*

USUS conficiendis, etiam extra florendi tempus, *Syrupis*, & *Melli roſato.*

OBS. 1) Foliis *Roſarum* in vitris longis collectis, ſuperfunditur oleum, ad leviorem eorum conſervationem, ſi *ſyrupus* debet præparari oleum tum effunditur, ad eo meliorem ſucci conſervationem, effervescentiam avertendam.

Syrupus de *Roſis* ſiccis præſtat quam de antiquis.

Cæterum *Mucharum Roſarum* eſt *Extractum* de *Roſis*, in hyeme eo melius conſervandis.

OBSERV. 2) Ph. *Würt.* ſuadet ut *Florum Roſarum Damaſcenar.* recent. Unc. 216. ſ. Libr. 18. infundantur & macerentur, horis 24. in *Aquae Clarae* ferventiſſimæ totidem Libris, tum eximantur, & in vaſculis anguſtioribus, oblongis collis præditis, ſuperaffuſo *Oleo olivarum* modico ſerventur.

MVCILAGO CYDONIORVM SEMINVM.

Rec. *Seminum Cydoniorum* contuſor. Drachm. 1.
Aquae commun. l. Flor. *Roſar.* Unc. 1. affuſa, coque leni igne, donec *Aqua* fere inſtar albuminis ovi lenteſcat, ad emulſum mucilaginoſum, tum per pannum linteum trajice.

VIS *demulcens, involvens, obliniens, obtundens, inviſcans, refrigerans.*

USUS in *inflammatione* & *excoriatione oculorum* a ſolis æſtu, *palpebrarum* l. *papillarum* in *mammis,* ad *ambuſta. Plenck.*

OBSERV. 1) Eodem modo paratur *Mucilago* ſemin. *Pſyllii. Gummi Arabic.* Radic. *Altheae.*

2) *Mucilago Camphorata,* Rec. *Camphorae* Unc. 2. *Mucilaginis Gummi Arabici* Unc. 12. diligenter terendo miſceantur. USUS ad *ulcera putrida, gangraenoſa* & *calloſa Collin* & *Plenck.*

3) *Mucilago Ophthalmica,* Rec. *Mucilagin. Sem. Cydonior.* Unc. 6. Flor. *Zinci* Drachm. 1. Miſce fiat mucilago. USUS ad *ophthalmiam* curandam & *excoriationem* a decubitu natam. *Plenck.*

MVCILAGO MERCVRIALIS PLENCK.

Rec. *Mercur. vivi* puriſſimi Drachm. 1.
Gummi Arabici Drachm. 2.

Miſce, tere in mortario lapideo, affunde dimidium cochlear *Aquae deſtillatae,* continua motum

motum, donec Globuli mercuriales omnes in mucilagine diſparuerint.

USUS Hoc modo *Mercurius ſimplex* cum *Aquis deſtillatis*, *Syrupis*, *Extractis* & *Unguentis* commode poteſt miſceri, & novam conſtituit methodum, *morbos venereos*, aliosque, quibus mercurialia opponuntur, bono cum ſucceſſu, & quidem plerumque ſine *ſalivationis metu*, tractandi.

Decocta ſanguinem purificantia pro more conjunguntur.

DOSIS *Mercurii* Grana 3 - 6. bis de die. Ex. Gr. *Mixturae* e Drachm. 1. *Mercurii* in *mucilaginem* redacti, cum *Aquae deſtillatae* Unciis 8. & *Syrupi* Unc. dimid. compoſitæ, bis quotidie cochlearia 2. ſumere licet.

OBSERVAT. 1) Confert hæc mixtio, - *Salivationem* citius præcavendam, quam aliis mediis: excepta doſi fortiori ſæpe ſine laxante ſalivationem excitare valet. Succedaneum *Mercurii dulcis*. Cæterum *Jacobi* methodus præfertur, *Mercurii* nempe *corroſivi* uſus, in combinatione decocti ſanguinem purificantis.

2) Ph. *Edinburg.* communicat peculiariter *Mucilagines* haſce duas.

a) *Gummi Arabici Mucilagin.* e *Gummi Arabici* pulveriſati triti Unc. 4. *Aquae ferventis* Unc. 6. diligenter terendo miſceantur & per linteum exprimentur. USUM ad præparata varia pharmacevtica & *interna* & *externa*.

b) *Gummi Tragacanthae Mucilagin.* e *Gummi Tragacanthae* triti Unc. 1. *Aquae fervent.* Unc. 8. poſt macerationem per horas 24. dein miſceantur, diligenter terendo & per linteum exprimuntur. USUM ad præparata varia pharmacevtica & *interna* & *externa*.

Naph-

NAPHTHA NITRI, SEV NITROSA, ſ. *Oleum Vini nitroſum.*

Rec. *Spiritus Vini rectificatiſſimi* ſ. *Alcohol.* part. 2. aſſunde

Nitri Acidi partem 1. in vaſculo vitreo capaci ſatis amplo, & probe clauſo. Aliquot poſt horas denuo adde exiguam portionem, (Drachm. 1. forte,) ejusdem *Acidi*, & quidem ter omni nychthemero, augendo ſenſim *Acidi* adfundendi copiam.

Naphtha, dehinc generata, ſuperius liquori innatat, ante adfuſionem novi *Acidi*, ſingulis aufertur vicibus, & ubi jam omnis collecta eſt, ex *Aqua* cum tantillo

Alkali ammoniacalis ſ. *Sal. Alkal. volatil.* rectificatur, & ſervatur tum in vitro probe clauſo.

Labor hic optime fit tempore hyemali, ob ſumme penetrantes qualitates.

VIS *excitans*, *nervina.*

USUS in *ſopore*, *apoplecticis* affectibus.

DOSIS Guttæ 6 - 8.

OBSERVAT. Præparatio *Olei* hujus ſumme *volatilis*-artificialis quamplurimum e *Spiritu Nitri* fumante & *Alcohole* conſtans, cauta commixtione ad *Güttling* præſcript. tempore frigido optime præparatur, ſed via nimis oneroſa & longa.

NAPHTHA ACETOSA, SEV ACETI, ſ. *Oleum Vini acetatum.*

Rec. *Aceti radical.*

Spiritus Vini rectificatiſſ. ana partes æquales.

Mixta digere, & tum e retorta leni igne ad dimidias deſtilla. Liquori abſtracto adde

Alcali Lignorum ſ. *Cineres Clavellatos*, partes 16.

Aquae

Aquae partibus 4. ſolutis; *Naphtha ſupernatans* ſervetur.

VIS *antiſpasmodica*, *ſedans*, *leniens*. Præfertur ejus vis a quibusdam *Naphthae vitrioli*: in morbis *inflammatoriis* a putrido ſtatu; in *dyſenteria*, putrida, *viatriolis malignis*.

USUS in *ſpasmis*, *convulſionibus* & *doloribus* iſtis concomitantibus. Quidam *Acetum Weſtendorſii* concentratum præferunt.

DOSIS Guttæ 10 - 15 - 20. in *Aqua communi*.

OBSERVAT. Plura vide *Acetum Vini concentratum Weſtendorſii*. De quo *Aceto* concentrato Unc. 12. ut miſceantur ad *Pfingſten* cum *Alcohole Vini* totidem Unciis, & digerantur per quasdam dies in vaſculo probe clauſo, ſine igne ſ. calore, usque dum mixtura acceperit, nec odorem *Aceti* nec *Vini* ſed proprium ſui generis valde amoenum; qualis mixtura tum igne leniſſimo ad dimidium deſtillatur, & in recipiente trangreſſo ſpiritui affunditur, *Sal Tartari Alcalinum* Drachm. 6. in *Aqua* frigida commun. ſolut. Quo dein vitrum percutitur perpetuo, & *Naphtha* a ſe ipſo ſe ſeparans, in vitro probe clauſo epiſtomio vitreo, probe aſſervetur.

NAPHTHA VITRIOLI,

ſ. *Aether Vitrioli*, ſ. *Aether Frobenii*, ſ. *Oleum Vini*.

Rec. *Acidi Vitrioli* concentr. glacial. (*Nordhuſani*,)
Spiritus Vini rectificatiſſ. ana Unc. 8.

Spiritui in lagenam vitream infuſo inſtilletur ſucceſſive *Acidum Vitrioli*. In cella l. alio loco frigido ſtent dein per 4. hebdomades, probe clauſis vaſculis, deſtilletur tum e retorta vitrea, igne moderato & debili ad dimidias.

Naphtha tum ſeparetur, quæ nec *ſaporem acidum* amplius poſſidet nec odorem ſulphu-

phureum, colorem tunc album habet, nec ulteriori rectificatione indiget.

Spiritus Vini rectiſicatiſſimi Unc. 4. ad reſiduum iterum adduntur, & deſtillatio repetitur, ubi tunc rurſus *Naphtha* acquiritur, quæ lege artis eſt ſeparanda, & in vitris probe munitis aſſervanda.

VIS & USUS jam determinatus eſt ſupra, qua multo fortius & efficacius, ubi ſermo erat de *Liquore anodyn. mineral. Hoffmanni.*

Cæterum vis *anodyna*, *analeptica*, *ſtomachica*, *carminativa.*

USUS præcipue *conveniens* cum *Liquore anodyno miner. Hoffmann.* & quidem in *moleſtiis ſpasmodicis* - *hyſtericis*; morbis *putridis*; *humorum tenacitate* - lentore; in affectibus *ſoporoſis* - *apoplecticis* - *paralyticis*: ad varios *dolores*, *colicam*, *arthritidem*, *podagram*, *cephalalgiam*; *diarrhoeam*, *dyſenteriam*; ſæpius in connubio cum *Laudano Sydenhami* liquido, ſ. *Oleo animali Dippelii*, ſ. *Liquore Cornu Cervi* ſuccinato, puerperis *anodynum* - & *partum promovens.* *Piderit.*

In *odontalgia* quoque, ad *atrociſſimos* dentium dolores *ſedandos goſſypio* exceptum, denti carioſo impoſitum: quo ægroti ſe frigus glaciale exinde ſentire dicunt. *Plenck.*

Cæterum in *tuſſi convulſiva*, *arthritide*, *rheumatismo.*

OBSERV. 1) *Nitri Naphtha* cum *Vitrioli conveniens*, eodem modo paratur, commixtis tantum *Spiritus Vini rectiſicatiſſimi* in majori vitro contentis Unc. 12. *Spiritus Nitri* concentrati Unc. 6. ſenſim affuſis: & pari modo *Naphtha Salis communis* addito *Spiritu Salis dulci*, *Alcoholi Vini* concentrato, deſtillatione acquiritur.

OBS.

OBSERV. 2) Plura vide *Liquor anodynus.*

3) Ph. *Roſſica* ſuadet *Spiritus Vini*, in *Aetheris vitriolici* rectificatione ſecundo loco acquiſiti, ut *Aqua* diluatur, quo tum a ſe dimittet *Naphtham.* Si reſiduum primæ deſtillationis, e quo æther fuit acquiſitus, novæ deſtillationi ſubjicitur, addito ſabulo & *Aqua*, nova obtinetur *Naphthae* portio, addito pauco *Alkali Lignorum* rectificanda.

4) Variæ adhuc exſtant in *Diſpenſator. Naphtharum* compoſitiones, ex tempore facile præſcribendæ l. non tanti *uſus*; e. gr.

1) *Naphthae - Acetoſellae* ex acido *Acetoſellae Alcoholi* mixtum.

2) *Lignorum* ex acido *Ligni Alcohole* intime juncto,

3) *Sachari* - - *Sachari* cum *Alcohole* juncto,

4) *Nitri* - - *Nitri* & *Alcohole*,

5) *Salis* - - *Salis Culinaris* & *Alcohole*,

6) *Urinae* - - *Urinae* & *Alcohole*,

7) *Vitrioli* - - *Vitrioli* & *Alcohole* uti in *Liquore anodyno miner. Hoffmann.*

NIHILVM ALBVM, SEV POMPHOLYX.

Eſt *Zinci* flos albus, inter fuſionem minerarum Zinci ſuperne lateribus camini adhærens, atque inter fuſionem Orychalci, inſtar fumi albi rimas fictilium penetrans.

USUS ad *collyria* & *emplaſtra exſiccantia*; ad *oculorum inflammationes* ob vires *exſiccantes* & *repellentes.* *Plenck.*

OBSERVAT. *Nihilum Gryſeum* ſ. *Tutia* eſt *Zinci ſublimatum cinereum* in præparatione Orychalci inferne lateribus fornacum adhærens.

NITRVM ANTIMONIATVM,

ſ. *Stybiatum*, vide *Antimonium diaphoreticum.*

Nitrum

NITRUM CRYSTALLISATUM,
ſ. *depuratum.*

Rec. *Nitri commun.* Unc. 36. ſolve in
Aquae fontan. fervid. Unc. 144. ſaltim in majori quant. haud, quam *Aquae* ad ſolutionem neceſſariæ, donec gutta in laminam vitream cadens, cryſtallinas habeat fibras: tum Liquor per nychthemerum quieſcens, adhuc calidus per chartam emporeticam, coletur, loco frigido reponetur, ad cuticulam prius evaporatum, ubi tunc ſtatim elegantiſſimæ, puriſſimæ, a *Sale communi* ſatisque denſæ ac longæ *Cryſtalli pyramidales* oriuntur, quæ colligantur, ſupra chartam evaporeticam in aëre libro ſiccentur, uſuique ſerventur, e quibus priores ſemper puriſſimi.

VIS *temperans*, *antiphlogiſtica*, *reſolvens*, *antiſpasmodica*, *carminativa*, *relaxans* ſolida, *irritationem minuens*; hinc *temperans*, *diuretica*, leniter *laxans*.

Nitri nonniſi hac ratione depurati ad uſus internos, & quidem

USUS in *orgasmo ſanguinis*, in *ſanguine* denſo, morbis *inflammatoriis*, *febribus ardentibus*: in *variolis*, *purpura*; uti & in *affectibus ſpasmodicis*, infimi inprimis *ventris* & *flatulentiis*, fibras eximie relaxando, debilitando, orgaſmum minuendo. --- Cruda in primis viis *incidens bilem temperat*, *alvum ſtimulando* ſollicitat, convenit in *obſtructionibus* & *alvi ſegnitie*, ſpasmis inprimis ſ. ſumma fibrarum ſtrictura junctis: & quidem a Granis 20 - 60.

In *faucium* & *tonſillarum inflammatione* ad *Gargarismata*, & ad *Enemata*, ſcopo irritante ad Drachm. 3 - 6. & in *Aqua temperante*, ubi lenis

his temperis requiritur, in majori inflammatione. in cohæſione fortiora requiruntur, uti acida *Vitrioli*, & *Sulphur Antimonii auratum.*

In *morbis inflammatoriis* caute exhibenda eſt tempore criſeos, motus enim naturæ ſalutares nimium compeſcit, & facile criſin turbat.

In initio *gonorrhoeae malignae* & *ſluoris albi maligni* in emulſione cum ſeminibus *cannabis* l. *amygdalis* dulcibus. *Bicker.*

In connubio *Camphorae Tralles Nitro* utitur, & in omnibus *acutis* morbis larga manu utitur *Nitro*, omnibus aliis temperantibus præferente.

Cæterum *externe* ad *gargarismata* & *clysmata antiphlogiſtica.* *Plenck.*

OBSERV. 1) *Nocet Nitrum depuratum* ob *vim* ejus valde *relaxantem* & *debilitantem* fibras in *febribus putridis* & *malignis*, uti quoque in *lentis* & *hecticis*; pari modo caute in *haemorrhagiis*, qua *temperans* inſigni fibrarum *debilitate* juncta; in *depravata digeſtione*; in *diarrhoeis*, *dyſenteriis*, *alvi fluxibus.*

2) *Nitrum Vitriolatum*, vide *Arcanum Duplicatum.* Reſiduum poſt diſtillationem *Spiritus Nitri Glauberi* ſolve Aqua calida, per chartam cola, & *Sal* in cryſtallos redige. Ph. *Londin.*

3) Exſtat quoque in *Diſpenſatoriis* quibusdam,

1) *Nitrum Ammoniacale*, e *Nitri* acido cum *Sale* alcalino volatili ſaturato.

2) *Nitrum cachecticum*, e *Martiali* cum *Tartaro* vitriolato.

3) *Nitrum cauſticum*, e regulo *Antimonii* martiali cum *Calce viva.*

4) *Nitr. cubicum*, e *Nitri* acido cum *Alcali* minerali.

5) *Nitrum fixum*, e *Nitro* detonato, *carbonibus.*

6) - - *flammans*, *fulminans* - *regeneratum* - *tabulatum.*

Partim *exoletae* officinales *praeparationes;* partim ad *uſum chemicum* deſtinatæ.

OCVLI CANCRORVM PRÆPARATI, vide *Lapides Cancrorum Praeparati.*

OLEVM ABSYNTHII DESTILLATVM *Viride*, *eſſentiale.*

Rec. *Summitat. Abſynthii* recent. parum & modice ſiccatar. Unc. 300. Inciſæ & conquaſſatæ macerentur per triduum in

Aquae fontanae Unc. 900. additis

Salis communis Unc. 36. deſtillentur dein e veſica, ad tertiam partem repleta, Aquæ innatans caute ſeparetur, gradatim aucto igne, *Oleum* viridis coloris - & amari ſaporis. *Pideriт*, Ph. *Danica.*

VIS *tonica*, *roborans*, *ſtomachica.*

USUS in *languore* poſt febres, *concoctione depravata;* in *affectibus verminoſis*, *ſpasmis*, variis *evacuationibus praeternaturalibus*, *torminibus*, *ſingultu* uti e. gr. ad *vomitus* & infimi ventris *ſpasmos* ſiſtendos conducit *Mixtura* hæc concentrata omni 2-3 horio ad Guttas 15-20-30. ex *Olei Abſynthii deſtillati* Drachm. 1. ſolut. in *Spiritus Vini rectificatiſſimi* & *Liquor. anodyni miner. Hoffmanni* ana Unc. dimid.

Externe in *doloribus ventriculi*, *diarrhoea*, & ad *lumbricos* necandos, abdomini illitum prodeſt. *Aſcarides* in inteſtino recto injectione adhibitum *necat.* *Plenck.*

OBS. 1) Conſueto more *Olea deſtillata*, ita propinantur, ut, ſub *Elaeoſachari* forma, dentur ita, paucis exceptis, quæ ſuis locis occurrunt, ad

ad *Sachari canarienſis* Unc. 1. *Olei deſtillati* præſcripti Guttæ 16 - 20. veniant: quæ ad 4. doſes plerumque exhibentur, ita, ut æger in quavis doſi, *Olei* guttas 4 - 5. capiat. In varia doſi adduntur *Elaeoſachara* hæc, l. *ſola*, l. pro corrigendo ſapore; vel qua *coadiuvantia* aliis remediis, a pharmacopolis ad præſcriptionem qua recentia parentur.

OBSERV. 2) Ph. *Auſtriaca* præſcribit ut Unc. 12. Herb. *Abſynth.* infuſione cum *Olei Olivarum* Unc. 48. macerentur & coquantur, quo non purum tum acquiritur *Oleum Abſynthii*, ſed *Oleo Olivarum* mixtum.

3) Adulterantur *Olea Eſſent. deſtill.* triplici modo:

a) Commiſcentur cum *Oleis expreſſis*, quod detegitur, ſi *Olei* guttula, in chartam papyraceam infunditur, & hæc atramentum tunc non admittit: Vel ſi *Oleum deſtillatum* in *Spiritu Vini rectificatiſſimo* ſolvitur, & ei admixtum, expreſſum in parvas guttulas, ſeparatum apparet.

b) Cum *Oleo Terebinthinae* adulteratur, quod ex odore vero mox patebit. *Terebinthina* affuſo *Spiritu Vini* rectificatiſſimo præſens ſe prodit.

c) Cum *Spiritu Vini* quandoque combinatur, quod vero patet: ſi *Oleum* cum *Aqua* commiſcetur, quo tunc *Aquam albam* & *lacteam* reddit, ſi *Spiritus Vini* ei additus fuerit. Ph. *Danica.*

Non minus obnoxia ſunt *depravationibus Olea deſtillata aetherea*, - *Oleum Cajeput*, - *Caryophyllorum*, - *Lavendulae*, - *De Cedro*, - *Rutae*, - *Juniperi*, - *e Chamomillae*, - *Succini*, & id genus alia corrumpuntur *Oleo Vini*, l. *Spiritu Vini* rectificatiſſimo, l. *Oleo balſami* de *Copaiva*, & ſicut *Terebinthina* vel ante, vel poſt deſtillatio-

nem cum aliis villioribus oleis commiſcentur. e. gr. *Oleum Caryophyllorum - Oleo piperis Jamaicenſis*, quod colorem obſcuriorem, & odorem longe debiliorem habet.

Oleum Lavandulae, - *Oleo Rosmarini*, l. etiam oleis pinguibus, e. gr. *Oleo - Nuciſtae*, - *Amygdalarum* dulcium, qui nimio *Oleo - Olivarum* & *Lini*. *Oleum* autem *Nucis Moſchatae - Spermate Ceti* vel *Sevo* commiſcetur. *Biedermann*.

OLEVM ABSYNTHII per INFVSIONEM,

l. *Coctionem* paratur quoque, ſi

Herbæ *Abſynth. rec.* junior. Unc. 12. inciſæ & contuſæ infunduntur in

Olei Olivarum Unc. 24. digeſta per triduum, leni igne coquuntur perpetuo ſub motu cum ſpatula lignea, ad omnis humiditatis conſumptionem, quod patet, ſi olei hujus parum prunis injectum ſtatim ſine ſibilo & ſtrepitu flammam concipit, tunc cito ab igne removeatur, ſacco ingeratur, & ſub prelo calefacto omne oleum exprimatur, quod poſt refrigerationem quietam a fæcibus decantatum ſervetur. Ph. *Herb.*

Et ad Ph. *Würtenb. Roſar. rubr.* Unc. quædam addendæ præſcribuntur.

OLEVM AMYGDALARVM EXPRESSVM.

Rec. *Amygdalar.* dulcium aut amarar. commun. non rancidar. qu. plac. in mortario lapideo contundantur & ſacculo cannabino panno piloſo involvendo includantur, & inter laminas ferreas frigido prelo exprimatur *Oleum*, in frigido loco aſſervandum. *Piderit.*

VIS *demulcens*, *antiſpasmodica*, *reſolvens*, *relaxans*; *diſcutiens*, *emolliens*, *lubricans*, *obvolvens*, *anodyna*; *amygdalarum amararum* magis *ſtimulans*, *relaxans*, *obtundens*, *anthelmintica.*

usus

USUS ad partes *criſpatas* & *induratas relaxandas*; in *nephritide calculoſa*, *colica ſpaſmodica*, *tuſſi*; l. ad *acrimoniam obtundendam*; in *urinae ardore*; *pectoris aſperitatibus*, a Drachm. 1. ad Unc. dimid. l. in *emulſionibus oleoſis*; vel in majori doſi Unc. 1. in juſculo calido exhibetur. *Piderit.*

Ad *clyſmata* in *cruciatibus* ab *aſcaridibus* in ano ortis: caute vero interne; largiori enim & continuato uſu iſtorum oleorum primæ viæ debilitantur leviter, quo humorum lentorum & pituitoſorum generatio ſit lævis, & ex iis vermium fomes.

Tamdiu ac ſaburra biliosa l. auſtera primarum viarum adeſt. Uſus oleorum & hujus quoque *Olei* eſt intermittendus.

Cæterum ad *vermes* uti omnia oleoſa, in juſculo calido ab Unc. 1 - 2. imo plures.

In ſumpto *veneno rodente*, larga oleorum deglutitio, ſi mature dantur, obvolvendo partes acres, funeſtos eorum effectus ita impediunt, ut ad eorum plenariam deſtructionem & expulſionem tempus detur.

Externe ad *injectiones lenientes* in *dyſuria*, *iſchuria*; ad *anchyloſin* a rigiditate *ligamentorum* & *tendinum*; ad *maculas corneae* & *cutis*. *Plenck.*

Ad *clyſmata emollientia*, *relaxantia*, *antiſpaſtica*, Unc. 1 - 2. *Olei* hujus addit.

Nephriticorum uti & *Hydropicorum abdomini* externe utiliter *Olea*, & inprimis quoque hoc infricatur; & ſic *auribus* inſtillatum ad *animalcula*, quæ irrepſerunt; & ad *ſordes* earundem *induratas* emolliendas; ad *unguenta* & *linimenta* emollientia. *Piderit.*

OBSERV. 1) Perinde eſt an ex *amaris* an e *dulcibus* paretur *Oleum*, unius enim naturæ ſunt & parum fere differunt. *Piderit.*

OBSERV. 2) *Oleum Nucum Juglandium- Lini-* & *Olivarum* paratur uti *Oleum Amygdalarum* expreſſum. Pharmacopolæ non ipſi parant, ſed ab aliis in copia præparantibus uſu quoque œconomico emunt, & *Olivarum Oleum* ex *Italia*, *Gallia*, & *Hiſpania* acquirunt.

Vires generatim ſunt eædem, ex iis tamen *Oleum Olivarum* non tam levem acquirit rancidam naturam, nec ventriculum gravat, ac alia.

3) Cæterum curandum eſt, ne æger *Olea rancida* acquirat, hinc a pharmacopolis, *Oleum Amygdalarum* ſemper in minima doſi exprimendum eſt, quæ non ultra aliquot dies durat.

Olei Amygdalarum uſus & inprimis *abuſus nocet*, ſi *recens natis* & *puerperis* in variis regionibus porrigitur, *ventriculum* non ſolum onerando & debilitando; ſed & ob *ſaburram* iſtam, in recens natorum inteſtinis hærentem - acrimoniam quandam generando, ad varia hinc tormina anſam præbet.

Si puerperis a *ſtricturis dolorificis* vexatis porrigitur variorum ſuaſu medicorum, in quibusdam regionibus, reſpiciendum tum eſt, ne *ſaburra biliosa* l. *auſtera* in primis hæreat viis, *Olea* enim rancidam induunt leviter indolem.

OLEVM ANETHI DESTILLATVM.

Rec. *Semin. Anethi* contuſi Unc. 48. infunde cum *Aquae fontanae* Unc. 182. adde
Salis commun. Unc. 12. ſtent per triduum, tum deſtilla e veſica, ad tertiam repleta partem, & *Oleum Aquae* innatans ſeparetur.

VIS uti *Aniſi* & *Fœniculi* eadem, *aromatica*, *ſtimulans*, *diſcutiens*, *carminativa*, *paregorica*, *anodyna*.

USUS *Interne* caute, in variis infimi *ventris vitiis*, *cardialgia*, *colica*, e. gr. in *torminibus*, *flatulentia*, in

in *ventriculo debilitato*; ſed caute, nullo præſente *acido*; uti & ad pertinacem *ſingultum*.

Externe, in *Clyſteribus* contra *ſpasmos* & *flatus*, una cum *Oleo Olivarum* ad Scrupul. 1. l. Drachm. dimid. loco conſuetorum *Oleorum* coctorum addi poſſunt; nec non ad *tormina infantum* cum *unguentis* & aliis *carminativis*.

OBSERV. 1) Si *Olea* hæc *eſſentialia Jalappae reſinae* adduntur, eam tum in corpore noſtro ſolubiliorem reddunt.

2) Pari modo parantur e *Seminibus Aniſi* - *Oleum Aniſi*; e *Seminibus Fæniculi* - *Oleum Fæniculi*, quæ plerumque e *Thuringia* jam parata, acquiruntur: cæterum easdem vires poſſident cum *Oleo Anethi*.

Oleum Aniſi quoque butyraceum, album & penetrantiſſimum *ecchymoſibus* ſummo cum effectu illinitur.

OLEVM ANIMALE DIPPEL.

Rec. *Olei Cornu Cervi* foetidi qu. plac. Leni igne e cucurbita vitrea cum impoſito alembico deſtilla, & quod primum exſtillat aquæ inſtar, *Oleum limpidum*, ab inſequenti magis jam flaveſcenti, & ita ſecundum a tertio, probe mutato, excipulo ſeparetur.

Ad primam acquirendam portionem limpidam plane rectificandam, una tantum ſufficit deſtillatio, leni igne: poſteriores binas plerumque requirunt, tam accuratiſſime clauſis pice aut cera ſigillata, vaſculo deſtillatorio, in quibus itidem pars limpida, ſeparanda eſt, mutato tantum excipulo, ab inſequenti impuriori, quo modo labor eſt continuandus, uti in omnibus oleis empyrevmaticis, usquedum omne *Oleum*, limpidum & album fluit.

Ne olei hujus color limpidus brevi tempore, aëris acceſſu, in *flaveſcentem* & ſucceſſive in *nigrum* mutetur, in *turbidam* & *graveolentem*, priorem *aſſervandum* hinc eſt in *vitris parvis*, Drachm. 1 - 2. capientibus, & probe munitis epiſtomiis vitreis; in arenam inverſe poſitis, l. in aquam *alumine* ex parte ſaturatam.

Et ſi color inopinato mutatus eſt in limpidum, unica deſtillatio reiterato iſtum colorem ſubito reſtituit, limpidum.

VIS *penetrantiſſime reſolvens*, *nervina*, *roborans*, *tonica; ſudorem excitans* & *ſedans; antiſpasmodica*, *anodyna; nervis amiciſſima*, *tonica*, *excitans*, *exhilarans*.

USUS *Interne*, in morbis *nervorum* motus inordinatos compeſcit; uti in omni *ſpasmorum* genere, *convulſionibus*, *epilepſia*, *paralyſi*, *hydrophobia*.

Confert eximie quoque qua forte *reſolvens*, *antiſpasmodicum* in *cephalgia*, *hemicrania*, *otalgia*, *odontalgia*, ſi a cauſis *pituitoſis*, l. *ſpasmo* ortæ ſunt, uti & in oculorum ſuffuſione, in tuberculis *arthriticis*, *podagra* & *rhevmatiſmo*, ſi *plethora* l. inſignis inflammatio non adeſt. In *febribus intermittentibus* quartanis, & quidem *viribus* ſuccumbentibus in *frigoris* ſtadio, ante *frigoris paroxysmum* cito & actuoſe vires auget cordis, & *diaphoreſin* promovet, ſi aliquot horas ante acceſſum datur, ſæpe modo ægri *paroxysmum* ſentiunt. *Piderit.*

In *glandulis induratis*, *tumoribus* cyſticis & oſſeis *reſolvendis;* in partibus *ſpasmo* contractis l. agitatis. *Plenck.*

Qua *ſpecificum* remedium *antepilepticum* crebra experientia comprobatum commendat. *Spielm.*

Ad *taeniam Roſenſtein* & ad *paſſionem hyſtericam* ad *ſpasmos ſopiendos.*

Ex-

Externe qua *reſolvens* in tuberculis, poſt morbos *arthriticos* in *tophis*, *exoſtoſibus* & *glandulis induratis* magis ad *Beaumer* quam *Cicutae emplaſtro.*

Oleum hoc ante *paraxyſmum* febrilem *ſpinae dorſi* inunctum, eximie imminuit *frigoris ſenſationem*, uti *Oleum Cornu Cervi* foetidum, *Succini* & *Terebinthinae.*

Unguentis antiſpasmodicis & *anodynis* conſulto *Oleum* hoc additur cum uſu haud exiguo. *Piderit.*

DOSIS Guttæ quædam in initio ad 30 - 40. aſcendendo, l. in *vehiculo largiori*, l. *Saccharo* exceptas, interdum addito *Liquore anodyno minerali*, l. *Naphtha Vitrioli.*

OBSERV. 1) *Simplicem* præſcriptionem habet Pharm. *Danica*, ope additæ *Aquae commun.* triplæ partis ad *Olei Cornu Cervi* qu. ſuffic. ut retorta vitrea ad dimidium repleatur, leni igni deſtillatione prius facta & protracta, quamdiu oleum prodit fluidum: qualis deſtillatio quinquies eſt repetenda, mutato ſemper recipiente; donec limpidum, album & odore gratius evadat oleum. Quod nova deſtillationi addita *Aqua* ſubjiciendum eſt, ob colorem *Olei* acquiſiti obſcuriorem. Quale oleum rectificatum diſtribuatur per vaſcula vitrea Drachmam continentia, quæ probe obturata ſub *Aqua* aſſervanda ſunt.

2) Si *Oleum Cornu Cervi* foetidum leniter per ſe deſtillatur, tum acquiritur primum *Spiritus Cornu Cervi*; & tunc *Oleum album*, valde volatile & penetrans. Sub hoc nomine ab inventore notum. *Selle.*

3) *Olei* hujus uſu utplurimum ſomnus largus ſequitur, & ægri roborati expergeſiunt. Cæterum congrua ſunt præmittenda, in uſu hujus remedii tam penetrantis.

Nocet in *plethora* l. *vaſorum turgeſc.* l. in *inflammat.*

In *juvenibus* & *plethoricis* uſus ejus valde eſt limitandus, l. multo magis prohibendus.

OBSERV. 4) *Liquor Cornu Cervi* ſubtilis cum *Spiritu Nitri* fit amœnior.

5) *Göttling* præparat *Oleum Animale Dippelii* tempore hyemali, ex *Oleo de Oſſibus animalium* Unc. 24. deſtillationis ope in cucurbitis vitreis, gradatim aucto igne & rectificatione reiterata, cum Aquæ partibus quibusdam, continuata, usquedum oleum tranſiens non amplius pellucidum tranſit; & tum penetrans *Oleum* ab *Aqua* ſeparetur ope vitri ſeparatorii, & tum ab omni aditu aëris eſt muniendum, uti ſupra, & ab omni mutatione coloris tam pellucidi in fuſcum, accedente aëre dephlogiſticato, ſ. aëre igneo, ad *Scheele*.

OLEVM ANISI DESTILLATVM.

Rec. *Semin. Aniſi* contuſ. qu. ſuffic. ut cucurbita ad quartam partem impleatur.

Aquae commun. l. *Aquae deſtill. Aniſi* ad cucurbitæ tertiam partem vacuam, maceratur per 12 horas, dein deſtillentur ſub continua *Aquae* ebullitione *Oleum*, quod ab aqua debite ſeparatum ſervetur. Aqua vero prolecta ad iterandas, ſuper novis ſeminibus, deſtillationes, ut ſupra monitum, adhiberi poteſt.

VIS *Olei* hujus ætherei, *aromatica*, odorem & ſaporem *Aniſi* referens, *attenuans*, *diſcutiens*, *reſolvens*; *carminativa*, *diaphoretica* leniter.

USUS *Interne*, in *ventriculi* affectibus & inteſtinorum, a cauſa frigida ortis; & in *flatibus diſcutiendis*; in *pectoris* morbis a *pituita* craſſa viſcida natis.

In

In *debilitate ventriculi* - inteſtinorum; in aſſumtis *venenis acribus* ſpecificum Gutta 1 - 30. una vice. *Selle.*

In uſu *purgantium* irritamen nimium mitigatur irritabilibus perſonis uſu *Olei* hujus *antiſpasmodici.*

Externe ad *pediculos capitis*, guttulæ quædam; ad *tumores cyſticos reſolvendos.* *Plenck.*

Externe aliis appropriatis mixtum mediis, *abdomini* & *ventriculo inungitur*, uti & *renibus* & *pubi* pro *urina* pellenda.

DOSIS a Guttis 2 - 4. &c. l. in *vehiculo*, l. cum *Sacharo*, l. *Elaeoſacharum* inde paratur.

OLEVM ANTIMONII, l. ANTIMONIALE,
vide *Butyrum Antimonii.*

OLEVM CORTICVM AVRANTIORVM
expreſſum. ſ. *Neroli* - & *Citri.*

In *Italia* & *Gallia* meridionali, e *Corticibus Aurantiorum* & *Citri* recentium per expreſſionem paratur, & ad nos optime advehitur, & e *Gallia* meridionali, aut *Italia*, qua multo valentius ſuavius & fragrans, quam e noſtris deſtillatis corticibus; conſultius hinc pharmacopæi ex iſtis regionibus ſibi procurant.

VIS *fragrans*, *nervina*, *ſtomachica*, *carminativa*, *antiſpasmodica*, *ſtimulans.*

USUS *Interne* caute in omnibus infimi *ventris affectibus ſpasmodicis*, *hyſtericis* & *flatulentiis*, ſi eis ſuaviora remedia non plane ſunt contraria.

Pro *Sachari* Unc. 1. ſufficiunt ejus Guttæ 12.

Cum *Elaeoſachari* ex his *Oleis* paratis, alia remedia gratiora redduntur, & *purgantibus* addita, vires eorum aliquo modo corrigunt: cui ſcopo in pharmacopæis *Sacharum* canarienſe, pomis *Aurantiorum* l. *Citreis* affricatur, donec odore & ſapore bene ſit imbutum. *Piderit.*

Alias

Alias *Doſis* guttatim l. in vehiculo aſſumtum.

OBSERVAT. 1) *Oleum Citri*, ſub nomine *Olei* del *Cedro* ex *Italia* adnos accedens, cum noſtro quidem convenit, viribus tamen multo debilius eſt.

2) *Oleum Aurantiorum* Corticum *deſtillatum* paratur e *Cortic.* exterior. recent. *Pomor. Aurant.* qu. plac. cum quadruplo *Aquae commun.* l. *Cortic. Aurant. deſtillat.* e cucurbita vitrea; inſtituatur, ſine prægreſſa maceratione, quo *Oleum innatans aquae*, & *Aqua deſtillata* ſeorſim probe ſervanda ſunt.

Pari modo *Oleum Citri deſtillatum* paratur.

OLEVM CACAO EXPRESSVM,

vide *Butyrum Cacao.*

OLEVM CAJEPVT,

ex *India Orientali* & e *Belgio* optimum, jam paratum ad nos advehitur, & quidem e *Cardamomo medio*, peregrinatorum recentionibus.

VIS eximie *nervina* - *anodyna*, *tonica*, *carminativa*, *antiſpasmodica*, *reſolvens.*

USUS *Interne*, caute, in affectibus *ſpasmodicis*, *hyſtericis* & *hypochondriacis*, *colica flatulenta*, *cardialgia podagrica*; motibus *convulſivis*, *catalepſia*, *chorea St. Viti*, linguæ *paralyſi*, *nervorum debilitate*, & menſium *ataxia*, *ſpasmodica* irregularitate præmiſſis congruis remediis ante uſum tam calidi remedii.

Externe ſugillationes & *ſuffuſiones* potenter diſcutit, & conſulto *unguentis nervinis* additur.

In *odontalgia* ſed caute, in ani *varicibus*, & *ſugillatione.* *Plenck.*

DOSIS a Guttis 4 - 6. cum appropriato vehiculo, l. *Elaeoſachari* forma iſta, uti ſupra in *Oleo Abſynthii* vidimus.

OBS.

OBSERVAT. *Oleo adulterato Cajeput* colorem ſuum *viridem* reſtituit Reſina, ope *Spiritus Vini* ex *Millefolio* extracta, qui evaporatus *Spiritus Vini reſinam Millefolii* relinquit, cui *Oleum Cajeput* affundunt: quo facto, ſoluta hæc reſina oleum colore viridi tingit. Hic modus quidem noxæ nihil affert, ſi modo certi eſſe poſſumus, illud non cum addito *Oleo Rorismar.* commixtum eſſe.

Multæ interea harum fraudum, niſi perquam cautæ commiſſæ ſint, arte ſua exercitatus facile detegere poterit, comparatione ſuſpectorum oleorum cum iis, de quorum integritate veritas conſtat. *Spiritus* enim *Vini Oleis Aethereis* admixtionem, inſtillatione ſuſpecti *Olei*, in aquam cognoſcito, quippe quæ *Spiritum* quidem *Vini*, non vero *Oleum* recipit. *Spiritus* etiam *Vini* ab *Oleis* ſecerni poteſt deſtillatione.

Adulterationem Oleorum Aethereorum, cum *Oleo Terebinthinae*, vel *Pini*, odore penetranti animadvertito. Melius etiam hanc *fraudem* intelliges, idem *Oleum* ſuſpectum ſi per aliquod temporis ſpatium tranquille repoſitum fuerit, & aliquod ejus guttulæ, chartæ puræ infuderis, tunc charta ſupra carbones ardentes, vel in fornacem calefactam poſita, paulo poſt oleo calefacto, *odor Terebinthinae* ſtatim ſeſe manifeſtabit, in cochleari ſi oleum accendas magnam copiam materiæ *piceae* relinquet. *Biedermann*

OLEVM CAMPHORATVM SVECORVM.

Rec. *Olei Olivarum* recent. Unc. 2.
Camphorae Unc. dimid.
Miſce ut ſolvatur *Camphora*. Ph. *Edinb. Suecica.*

VIS *diſcutiens*, *emolliens*.

USUS ad *cruſtam* & *fiſſuras labiorum linguae*, in *febribus* ardentibus; ad *rhevmatismos diſcutiendos*;

in

ad in*ſecta* meatum auditorium quæ ſubierunt necanda; ad *odontalgiam* ſedandam.

Olim quoque ad *morbos inflammatorios* & *malignos.*

OBSERV. 1) Eodem paratur modo cum *Oleo Lini* ad *Plenck*, & ad Ph. *Danicam* cum *Oleo Amygdalarum dulcium.*

2) *Spielmannus* hancce communicat præſcript. e *Camphorae* Drachm. 2. *Olei Amygdalarum dulcium*, *Alkannae* tincti, Unc. 1. quibus addatur Quintæ *Eſſentiae Citri* Scrupul. dimid.

Aliud quoque *Oleum Camphoratum*, *Lemery* dictum ſuppeditat, e *Camphorae* Unc. 2. quibus immittantur *Spiritus Nitri* Unc. 3. digerantur in vaſe probe obturato facta ſolutione *Oleum* ſupernatans ſeparetur. Ph. *Danica*

Ph. *Brunſuicenſ.* ad *Camphor.* Unc. 6. *Boli* l. *Terrae Argillaceae* ſiccæ Unc. 24. deſtillandas ſuadet. Qua ratione in *Oleum* verſa *Camphora* ſeparetur ab *Acido*. Quod commendat ad *ſarcomata fungoſa*, & *ulcerum calloſas margines.*

OLEVM CARMINATIVUM ÆTHEREVM, *Danorum.*

Rec. *Oleorum deſtillatorum Chamomillae*,
- - *Menthae piperitid.* ana Unc. 2.
- - *Carvi*, - l. *Cumini*,
- - *Aniſi*- *Fœnic.* ana Drachm. dimid.

Miſceantur probe.

VIS *carminativa.*

USUS *Externe* ad *clysmata carminativa*, uti & umbilico illinitum *dolores* colicos & ventriculi lenit, ſi ulla ſaburra primarum viarum adeſt.

Intus tum quoque a Guttis 6 - 8. cum *Sacharo* aut *Vitello Ovi.*

OBSERVAT. Ph. *Würtenb. Oleum carminativum* ſcopo carminativo externe tantum, abdomini illinitum infantum, nulla præſente ſaburra prima-

marum viarum, ſuppeditat e Herbis recentib. *Aneth*, *Menthae*, *Abſynthii*, *Pulegii*, Flor. *Chamomill* vulgar. ana Unc. 4. Inciſis coquendi cum *Olei Olivar.* Unc. 24. ad humiditatis conſumtionem, expreſſis ut addantur *Olei Laurini* Unc. 3. dein depurentur per ſubſidentiam.

OLEVM CARYOPHYLLORVM

Aromaticorum deſtillatum

Rec. Semin. *Amomi* Unc. 12. cum
Aquae fontan. Unc. 204. deſtillatione ſubjiciuntur, & tunc
Caryophyll. aromat. Unc. 24. tritis affunduntur
Aquae ſupra ſemen *Amomi* abſtractæ Unc. 142. in quibus
Salis commun. Unc. 4. ſolutæ ſunt. In loco calido reponuntur tum, per aliquot dies, dein deſtillantur e veſica ad tertiam partem repleta, igne paulo fortiori aucto, ob ſpecificum *Olei Caryophyllorum* gravitatem & difficilem aſcenſionem; quo tunc una cum *Aqua Oleum* prodit, quod uti Oleum florum *Caſſiae*, Ligni *Saſſafras*, & *Macis* omnis coloris expers, fundum petit.

Unica quum vix deſtillatio omne *Oleum* e Caryophyllis eliciat, *ſecunda* quin *tertia* quoque inſtituenda eſt deſtillatio, & ita quidem, ut *Aqua* a priori *Oleo* ſeparata illis ſemper admiſceatur.

Nec adeo *magna Caryophyllorum quantitas* deſtillationi ſubjiciatur, ne ab igne diutius protracto pars *Olei* deſtruetur. *Piderit.*

VIS valde *cauſtica*, *ignea*, *nervina*, *ſtimulans.*

USUS *Externe* in *ſphacelo*, *gangraena*, *carie oſſium.* *Cariem dentium* & *dolores* eo ortos imminuit, goſ-

goſſypio inſtillatum - denti carioſo inditum, ſi nervum contigerit, per *quoddam* tempus, ne *frequentiori* iſtorum acrium oleorum uſu dentibus noceatur ſanis.

Cæterum *externe* Olea hæc *aromatica*, ſunt *cephalica*, *nervina*, *antiſpasmodica*, *ſtomachica*, *carminativa*, & *balſamica*.

Raro *interne* ſumuntur *Olea* hæc *aromatica ſanguinem* enim - calido inprimis temperamento præditis, & *plethoricis* - nimium commovent.

Guttæ enim quædam *Sacharo* inſtillatæ, & *Elaeoſacharum*, pulveribus quod additur, vel ad *gratum ſaporem* conciliandum, vel ad *vires* augendas, nonnunquam præſcribuntur.

Unguentis nervinis Olea hæc deſtillata pretioſiora adduntur.

OBSERV. 1) *Genuina* ut habeantur *Olea* hæc *pretioſiora*, deſtillatio ab ipſis pharmacopæis deberet inſtitui, omnia enim, quæ e *Batavia* advehuntur, adulterata plerumque ad nos accedunt.

Adulteratur enim a) *Oleo Amygdalarum*, quale maculam remittit, uti ab *Oleo ſimplic.* ordinar. luci immiſſum; quo genuinum nullam relinquit, ſed omne avolat luci ſuper immiſſum.

b) *Oleo Terebinthinae* adulteratum, remittit *Odorem Terebinthinae*, volæ manus immiſſum calidæ, nauſeoſum, & diu quidem, non tam amœnum uti in genuino, mox avolantem.

c) *Piper jamaicenſe* deſtillat. oleum præbet, odore, calore, & ſapore oleo *Caryophyllorum* haud *diſſimile*, ideoque fere aptiſſimum illud adulterandi.

Mox autem id apparebit. - *Oleum* enim *verum Caryophyllorum* colore magis ſulphureo gaudet, ſaporeque longe vehementiori & aromatico.

d) *Oleo Olivarum* adulteratum innoteſcit, ſi quid hujus ſuſpecti *Olei* in loco frigido ſeponitur;

pro-

protinus tum *Oleum Caryophyllorum* fundum petet, relicto *Oleo Olivarum* in ſuperficie. Guttulis etiam aliquot hujus fucati *Olei Caryophyllorum Spiritui Vini* inſtillatis inque vitro bene agitatis, & *Spiritus Vini Oleo* intime mixtis, *Oleum Olivarum* ob lævitatem ſpecificam in ſuperficie, forma globulorum luſceſcentium apparebit. *Biedermann.*

OBSERV. 3) Alias *Caryophyllorum* aromaticor. ſummitat. contuſ. qu. v. macerentur per nychthemerum cum quadruplo *Aquae communis*, dein inſtituatur deſtillatio per retortam vitream ex arena ad dimidium; *Oleum*, quod *Aquae* fundum petit, ab *Aqua* ſeparatum ſerva, *Aquam* vero eandem *Caryophyllis* in retorta relictis reaffunde, iterumque deſtilla, ut, ubi adhuc olei portio prodiit, obtineas cum priore ſervandam, ad Ph. *Auſtr. Suecicam* & *Herbipolit.*

4) Ad Ph. *Danicam* hocce præparatur modo, *Oleum Caryophyllorum*, e *Caryophyll.* aromatic. recent. contuſ. Unc. 24. *Sal. commun.* Unc. 4. *Aquae ſimplic.* Unc. 144. In loco calido per quatriduum macerata deſtillentur per retortam. Poſt quietem aliquot dierum, *Oleum* in *fundo haerens* ſeparetur cauta *Aquae* effuſione. *Ignis gradus* ſemper paulo fortior requiritur in hac deſtillatione, ubi ſimul præſtat, non adeo magnam portionem pro tempore deſtillationi ſubjicere, ne diuturniori ignis adminiſtratione pars Olei deſtruatur. Unica deſtillatione non omne *Oleum* exhauritur, bis l. ter requiritur, ſuperfundendo ſemper *Aquam*, de qua *Oleum* fuit ſuperatum.

OLEVM CASSIÆ FLORVM,

Præparatur e *Floribus Caſſiae*, uti *Oleum Caryophyllorum deſtillatum*, omiſſo tantum *Semine Amomi*

 vis

VIS *nervina*, *tonica*, *roborans*, *ſtimulans*, *reficiens*, uti *Oleum Cinnamomi;* cæterum quoque *aphrodiſiaca.*

USUS caute in collapſis *gravidarum*, *parturientium* & *puerperarum* viribus, nulla *febre* - l. *inflammatione* præſente, aut in ſanguinis fluxu immoderato, uti *menſium*, *lochiorum*, &c.

In affectibus *ſpasmodicis* abdominis, a retrogreſſa materia *arthritica*, *podagrica*, l. *rheumatica* ortis.

In *lipothymiis* ab inſigni virium defectu - toleratis morbis. *Piderit.*

Externe in *carie oſſium;* ad potenter *ſeparandas* partes *carioſas;* qua ſpecificum potentiſſimum, uti Oleum *Ligni Saſſafras*, in *carie* venerea tam utile.

DOSIS Guttæ 8. ad *Sachari* Unc. I. l. ſolum, l. cum *Aqua* quadam deſtillata grata.

OBSERV. 1) In *juvenibus* & *plethoricis* ob tam validam naturam calidam caute adhibendus eſt.

2) In celebri *Pulvere ſolari* cellenſi Oleum *Cinnamomi*, ſ. Florum *Caſſiae* ſolum præcipuum eſt efficiens. *Piderit.*

OLEVM CAVSTICVM CAMPHORÆ.

Rec. *Camphorae tritae* Unc. 3.
Spiritus Nitri fumantis Unc. 6.

Digerantur in vaſculo probe obturato. *Oleum* ſupernatans facta ſolutione probe ſeparetur.

VIS *cauſtica.*

USUS *liquoris* hujus *cauſtici* ad *ſarcomata fungoſa*, & *ulcerum calloſos* margines tollendos. *Plenck.*

OBSERV. *Oleum* hoc *Cauſticum* probe differt ab *Oleo Camphorato.*

OLEVM DEL CEDRO, vide *Oleum Citri.*

OBSERVAT. *Oleum* del *Cedro* præcipue *Oleo Olivarum*

rum aliisque Oleis vilioribus *adulteratur*, eodem ut antea jam indicavi modo, etiam hæc fraus detegi poteſt, adjectione ſcilicet *Spiritus Vini* rectificatiſſimi. Nec minus, ubi Oleum de *Cedro* ſuſpectum, Aquæ mixtum e retorta deſtillas, in fundo hujus Oleum alienum remanebit.

OLEVM CERÆ DESTILLATVM.

Rec. *Cerae flavae* Unc. 12. ſcindantur in fruſtula tam parva, ut retortæ orificio commode immitti queant, eisque repleatur, ad dimidium, tum infundatur tantum

Aquae puriſſimae, quantum capit venter retortæ, in ea lente calefacta cera liqueſcit, & arenam imbibit; quo *Arenae* fumo imponitur, & applicato excipulo deſtillatio ſuſcipitur.

In primo leni Ignis gradu prodit *Aqua acidula*, foetens, pauca, una cum *Spiritu*; calore tum aucto, aſcendit *Oleum* tenue, & dum deſtillaverit, in excipulo, inſtar *Butyri* concreſcens; quod ignem fortiorem - ſupreſſorium requirunt, quo tum mox aſcendent ſub *Butyri* forma, tota *Cerae* maſſa, in excipulum.

Iterato *Oleum* hocce deſtillatur, ſine ullo additamento, limpidum & tenue, a butyraceo mox ſeparandum, & ſic rectificatum ſervandum.

VIS eximie *balſamica*, *detergens* & *ſanans*; *reſolvens*, *lubricans*, *emolliens*, *aperiens*.

USUS *Externe* in *vulnerum* curatione inſignis, cavendo tantum in *inflammatione* ingenti, vel præſenti l. metuenda; ad mala *papillarum nervoſarum*, quæ in cute extrema denudata ſunt; ad *anchyloſin*; ad *fiſſuras labiorum* oris - *papillarum* mammæ; in *lactantibus*, ad digitorum & mammarum *rhagades*, *tumores*, *perniones* a frigore inductos, qua *reſolvens*; ad *tendines contractos*, qua *lubricans*; in *colica*, *hyſtericis* - *uterinis* affectibus abdomini illinitum. *Piderit*.

OBSERV. *Butyri* ad inſtar craſſum, *Linimentum* hinc *molliſſimum* & emollientiſſimum, quod illitu ſuo *membra* contracta *paralytica*, cutim *fiſſam*, & *frigore* & *igne* ambuſtam ſanat.

Interne a Guttis 3-6. ſatis valide *urinam pellit*, nimia vero ejus acrimonia uſum ejus vetat, interne.

2) Oleum *Cerae* paratur quoque e *Cerae flavae*, *Calcis uſtae* pulverat. ana ponder. æqual. in retorta vitrea deſtillationi ſubjecta. Ph. *Suecica*.

3) Ph. *Herbipolit.* amplam habet præſcript. de *Butyro Cerae*, tum ex hoc, uti inſtituatur *Oleum Cerae*.

OLEVM CHAMOMILLÆ VULGARIS,
& *Romanae deſtillatum caeruleum.*

Præparatur e *Floribus Chamomillae* recent. uti *Oleum Abſynthii deſtillatum.*

VIS *emolliens*, *laxans*, *diſcutiens*, *carminativa*, *antiſpasmodica*, *anodyna.*

USUS *Interne*, in affectibus *ſpasmodicis*, *flatulentis*; in inordinato *haemorrhoidum* & *menſtruorum fluxu*; in *cardialgia*, *colica flatulenta.*

Externe aliis remixtum, *ſcrobiculo* cordis & abdomini illitum; cum *bombace* inditum in *aurium doloribus.*

DOSIS *Interne* guttatim l. in vehicul. l. cum ſacharo.

OBSERV. 1) *Oleum Chamomillae* genuinum ſolo *ſucceſſu temporis* & *ſine* frequentiore *aëris* acceſſu *colorem* ſuum *amoene-coeruleum* deponit: errant hinc varii, qui hunc coloris defectum adulterationis ſignum eſſe putant, uti in Oleo *Millefol.*

2) Oleum *Chamomillae coctum* cum Oleo *Olivarum* Flor. *Chamomillae coct.* ad anaticas partes, exhibet Oleum *ſuaveolens* & efficax, minus pretioſum quam deſtillatum. VIS & USUS idem uti deſtillatum.

Oleum

OLEVM CINNAMOMI DESTILLATVM.

Rec. Cortic. *Cinnamom. elect.* contuſ. Unc. 24.
Sal. comm. Unc. 4. (Quod etiam amitti poteſt.)
Aquae ſimplic. Unc. 144. per quatriduum in loco calido maceratæ deſtillentur per retortam, & poſt quietem 3-4. ſeptimanarum, *Oleum* ſubſidens cauta *Aquae* decantatione ſeparetur. Ph. *Danica.*

VIS *irritans*, *tonica*, *nervina*, *ſtomachica*, *cephalica*, *cardiaca*, *carminativa.*

USUS ad *Elaeoſachara reficientia*; additur quoque *purgantibus*, tum pro gratia concilianda, tum pro impediendis *flatibus* & *torminibus*. *Balſama* & *Linimenta* quoque *cardiaca*, *ſtomachica*, & *carminativa* ingreditur. *Plethoricis* ſanguineis nocet.

Externe in *carie oſſium*. *Plenck.*

DOSIS ad aliquot Guttas.

OBSERV. E *Caſſia lignea*, l. e Florib. *Caſſiae* l. e *Pipere Jamaicenſi*, deſtillatur *Oleum* multo vilius & in majori copia acquiritur, hinc & quædam pars Olei *genuini* additur, & omnis copia pro genuino *Cinnamomi Oleo* venditur. Interdum mangoniſatur quoque *Oleo de Been.*

OLEVM CITRI

Paratur e Malis *Citri* uti Oleum *Aurant. Corticum.*

OLEVM CORNV CERVI, ET SAL,

& Spiritus Cornu Cervi, ſ. *Liquor Alcalinus.*

Rec. *Cornu Cervi raſi* quant. placet.
E retorta lutata l. cucurbita ferrea, alembico terreo vitreato, cum adaptato vaſculo ſatis amplo & tubo intermedio, munita, ſuſcipiatur deſtillatio, igne ſenſim, tum ad ſummum fere aucto, ad ignitionem retortæ l. cucurbitæ, quo aſcendunt, *Aqua ſubtiliſſima ſalina*,

Liquor Alcalinus & tum *Sal ſiccus*, *volatilis* cum hoc ad finem usque *Oleum empyrevmaticum.*

Deſtillatione ceſſante, & vaſis fere frigefactis, *Oleum* a reliquis productis ſeparetur, ſeorſim ſervandum.

Liquor purificatur deſtillatione iterata, ſi ab *Oleo* & *Sale* ſeparatus, exiguo adhibito calore iterum deſtillatio ſuſcipitur.

Sal vero *purificatur*, ſi cum *Alcali lignorum* depurati, pari pondere mixtum, ſublimatur. ſ. ſi *Sal* collectus nova ſublimatione ut albus evadet, depuratus ſerv. *Spiritus* vero iterata deſtillatione e *B A.* rectificatus tum acquiritur.

Caput *Mortuum* peracta deſtillatione in retorta reſi tum, in crucibulo ad albedinem usque calcinetur, & ſervetur uſui.

Ad Ph. *Suecic. Herbipolit.* quæ præſcribit quoque *Oleum Cornu Cervi rectificatum* e *Capite Mortuo Cornu Cervi* ad albedinem calcinati, quant. ſuffic. ut repleatur retort. vitreæ quarta pars. Inſtilletur tum *Olei Cornu Cervi foetidi* qu. ſuffi. ut dimidia pars retortæ vacua maneat.

Retorta balneo arenæ commiſſa, & recipiente agglutinato excitetur ignis lenis, tum auctus.

Pari modo & toties denuo *rectificetur Oleum* collectum deſtillatione finita, ad ſummum gradum limpiditatis, & omnis empyrevmatis abſentiam.

OBSERVAT. 1) *Göttling* ſuadet præparat. e conciſis *oſſibus animalium*, in retorta tubulata ferrea.

Ad acquirendum *Spiritum Cornu Cervi rectificatum* deſtillatio reiterata ſuſcipitur, *Spiritus* prima deſtillatione acquiſiti foetentis, qui *Sale* & *Oleo* adhuc foetens privatur addito *Calce viva*: quo *Sal* in initio, in forma puriori, in recipienti apparebit vitreo, cui dein *Spiritus Cornu Cervi rectificatus* ſuccedit.

Sal

Sal ita acquiſitum, partim purificatum - extempore obſcurum, facile acquirit colorem, cui prævenit optime *Aqua* addita, quo mutatur id *Sal* in *Spiritum Cornu Cervi* liquidum.

Alio modo *Sal Cornu Cervi artificiale* poteſt præparari, quum *Sal volatile Cornu Cervi* cum *Oſſium Sale* volatili conveniat, & ſine detrimento, levius æque extrahetur. Hinc *Göttling* & alii ſuadent ad præparationem *Salis Cornu Cervi*, ſi *Sal volatile Salis Ammoniaci* ope Cretæ ſublimatione ſeparatur, & ſi hinc miſcelæ e *Sale Ammoniaco* & Creta, ante ſublimationem additur copia quædam *Olei Cornu Cervi* ſ. *Olei Oſſium* ex animalibus, acquir. tum ſublimatione *Sal volatile*, minime differens a vero *Spiritu Cornu Cervi*. Si miſcentur nempe *Sal. Ammoniac. deſiccat.* part. 4. cum Cretæ ſiccæ partibus 5. cui miſcelæ ad libras ſumtæ adduntur *Olei* ex animalium *oſſibus* deſumti, Unc. 1. ad Drachmas 10. quo tum omnia deſtillantur in vaſculis congruis ferreis deſtillatoriis, igne ſatis valido, & recipiente non nimis magno, ad eo meliorem ſalis formam acquirendam. --- Unciæ 40. *Sal. Ammoniaci* cum Unc. 60. *Cretae* mixtæ exhibent Unc. 24. *Sal. volatilis genuini Cornu Cervi.*

Si exigua tantum pars *Salis* hujus præparanda eſt, ſumuntur Unc. 4. *Sal. Ammoniac.* ſicci & Unc. 8. *Ciner. Clavellat.* ſiccat. cum *Olei Oſſium Animal.* Drachm. 1. balnei arenæ ope, cæterum præparanda uti ſupra. *Götling.*

OBSERVAT. 2) *Spiritus volatilis Cornu Cervi* ſimilis acquiritur, ſi *Spiritus Salis Ammoniaci* volatilis, l. *Creta*, ſ. *Sale Tartari*, ſine Calce vero præparati, Unc. 96. vel ſi *Salis Ammoniaci*, *Ciner. Clavellat.* ana Unc. 24. ſolvuntur in *Aquae commun.* Unc. 96. quibus addentur *Cornu Cervi*

crudi, ſ. *Spiritus volatilis Oſſium* Unc. 48. quæ deſtillantur omnia, uti in rectificatione *Spiritus Cornu Cervi*, & tum detrahitur *Spirit.* qu. ſuff. filtrandus poſt aliquot dies, qui *diutius pelluciditatem* retinet, quam

A *Spiritu Cornu Cervi* puro præparatus, tum uti verus facile hinc turbidus fit, & foetens. *Vires medicae* non convenient plane cum ordinario, qua non tantum *Olei* continente, & quidem indolis potius craſſioris - crudioris, non tam ſubtilioris, & levioris acquiſitionis foetoris, nauſeoſæ indolis ad vomitum, & minoris pelluciditatis.

3) *Mangoniſatio Spirit. Cornu Cervi* fit quoque, ſi *Cornu Cervi crudum*, ſ. *Spiritus* ex *Oſſibus volatilis* cum *Calce viva* deſtillatur, uti ſupra, qui ad uſum externum - qua odoramentum forte valde acre ſine noxa convenit, interne vero nimis eſt acris, & ob minorem copiam *Salis volatilis*.

Qualis *Mangoniſatio* ſubito patebit, ſi *Spiritus Vini* rectificatiſſimus affunditur, ubi non ſtatim miſſcendo *Spiritus Vini* ſcintillulæ ſplendentes apparent, fundum petentes, *Calce viva Spiritum* adulteratum eſſe tibi perſuadeas; ubi autem hæ particulæ fundum petentes apparent, & ignis calori appoſitæ iterum evaneſcunt, de ſinceritate *Spiritus Cornu Cervi* convictus eſſe potes; pulvis vero præcipitatus immutatus in cohleari jacens, *Calcis* & aliorum quisquiliorum additamenta teſtatur. *Königsdörfer.*

Sal Cornu Cervi adulteratur, ex parte genuino plane conveniens, nec colore nec odore mutatum; ſi *Salis volatilis Salis Ammoniaci* Unc. 72. & *Cretae* Unc. 6. miſcentur cum *Olei* e deſtillatione *Spiritus Oſſium* acquiſiti Unc. 24. ſublimanman-

mantur, & ſeparatur tum pars alba a fuſco, ad alteram ſublimationem adhibendo.

Mangoniſatio vero iſta *Sal. Cornu Cervi* patebit quiete, & colorem tum album recipientis, cæterum non tam noxii, excepto eo, quod Oleum indolis ſit purioris & ætherei, cæterum colorem albedinis magis retinens, nec foetorem tam leviter aſſumens ordinario, cui eſt anteponendum multo vilioris pretii, & levioris præparationis. *Königsdörfer.*

OLEVM CORNV CERVI FOETIDVM & *rectificatum.*

Rec. *Cornuum Cervi* conciſ. in fruſtas quant. plac. Immitte retortæ lutatæ, alembico probe munitæ terreo vitreato, & igne aperto ad gradum ita auctæ, ad retortæ igneſcentiam; quo prodit *Phlegma*, in ſecundo ignis gradu & tertio *Sal volatile*, & *Spiritus*, itemque *Oleum empyrevmaticum* ſubtilius: in quarto tandem Oleum *foetidum - craſſum - nigricans*, quæ omnia ſingulatim probe aſſervanda ſunt, mutato ſemper recipiente.

Sal volatile dein ſublimetur, & iſto modo *rectificetur*, *Spiritus* denique de iſto de novo abſtrahatur.

VIS *penetrans*, *reſolvens.*

USUS *Interne* in *pauperibus* tantum, qua *ſuccedaneum Olei animalis Dippel.*

Externe pro odoratu *mulieribus hyſtericis*; ad *unguenta* cæterum *reſolventia.*

OBSERV. Ph. *Roſſica* & *Suec.* præſcribunt, ut *Oleum Cornu Cervi* deſtillatione ſicca acquiſitum, iterum & reiteratis vicibus e vaſculo probe mundato ad limpiditatem, ſ. ad *Spiritum* inſtar tenuem & limpidum usque deſtilletur, quo acquiritur tum *Oleum Cornu Cervi rectificatiſſimum*,

 in

in vaſculis exiguis vitreis, epiſtomiis probe munitis, accurate ſervandum.

OLEVM FOENICVLI DESTILLATVM

Præparatur e *Seminibus Foeniculi* uti *Oleum Anethi deſtillatum.*

VIS *aperiens, attenuans, diſcutiens, carminativa, ſtomachica, diuretica, diaphoretica.*

USUS *colicae*; & ad *Elaeoſachara, Linimenta,* & *Olea ſtomachica - carminativa.* Ph. *Argentorat.*

OLEVM HYOSCIAMI

Præparatur e *Seminibus* & Herba *Hyoſciami,* uti *Oleum Amygdalarum.* Ph. *Suecica* & *Würtenb.*

VIS *anodyna, paregorica,* affluxum nimium cohibet, recenter paratum.

USUS ad *Emplaſtra anodyna,* & de *Hyoſciamo;* ad *odontalgiam, ſcorbuticos dolores, cephalalgiam* ſed caute, Ph. *Argentorat.*

OBSERVAT. A ſe ipſo mixtura hæc - Olei *Olivarum* cum herba & ſemine *Hyoſciami* flammam jam concepit, & ſe inflammavit, uti Oleum *Cannabis* cum fuligine. Caute hinc ſemper in loco non periculoſo incendio non tam prono, eſt præparandum. *Pfingſten* obſervat.

OLEVM HYPERICI MANLII.

Rec. Florum ſ. Summitat. *Hyperici* recentium maturor. parum ſiccatorum Unc. 36.
Olei Clari ſ. *Olivarum* Unc. 24 - 36.
Vini albi Unc. 6. Mixta ſtent per 3. dies in maceratione leni igne, decoquantur ad omnem humidi conſumtionem, expreſſis addantur
Terebinthinae larigen. l. *Venet.* Unc. 12.
Croci minutim conciſi Drachm. 2.

Elap-

Elapſis 24. horis coletur, ſerv. uſui. Ph. *Danica.*

VIS eximie *vulneraria*, *paregorica*, & *balſamica*, *anodyna*, *digeſtiva*, *emolliens*, *reſolvens.*

USUS *externe* ad *vulnerum* & *ulcerum* ſanationem promovendam, tam ſubitaneam vim *anodynam* exſerit, ut ſymptomata inde orta, ſubito ceſſent, vulneribus applicatum; in quibus *nervorum laeſio* ſimul adeſt, uti & in *dolor. articulorum.*

Pro *parvis vulneribus*, qua *domeſticum* remedium nil pulchrius invenitur. *Piderit.*

In *affectibus nervorum* a *convulſione* & *luxatione* ortis præclarum. Cæterum tamen caute in *vulneribus oſſium*, qui facile nigreſcunt.

Inſervit pro *injectione*, ſi in *vulneribus* ſuppuratio debet promoveri, hinc eſt *digeſtivum liquidum.*

In *colica* & *verminatione infantum.*

OBSERV. Ph. *Suecica* commendat ſummitat. *Hyperici* Unc. 12. cum *Olei Olivar.* Unc. 24. ut macerentur in vaſculo vitreo per aliquot dies, usque dum colorem *rubrum* Oleum acquiſiverit, quod tum colandum eſt.

OLEVM JASMINI,

E *Gallia* meridionali aut *Italia* multo fragrantius acquiritur, quam e noſtris flor. deſtill. acquiſitum.

VIS & USUS e *plantae* tam *volatilis ſubtilis* qualitatibus patet per ſe.

OLEVM LAVRINVM ſ. LAVRI BACCARVM *deſtillatum.*

Rec. *Baccar. Lauri* maturar. recent. quant. plac. Tritæ in *Aqua fontana* coquantur, & fortiter exprimantur, refrigeratum Oleum, pinguedinis inſtar, *Aquae* ſupernatans colligatur.

Cæterum raro l. nunquam apud nos paratur, ſed ex *Inſulis Fortunatis* & ex *Italia* nobis adfertur plerumque.

VIS

VIS *diſcutiens*, *carminativa*, *nervina*, *roborans*, *ſopiens.*

USUS *Externe* ad *ſpasmos, flatus;* ad *ſpasmos flatul.* inprimis gravidar. *colicam flatulentam*, *tormina*, addita inprimis *camphora;* ad *lumbricos infantum;* ad *roborandos articulos*, *nervos*, *tumores reſolvendos;* ad *aurium dolores* & auditus gravitatem; uti & ad *dolores* poſt partum pubis regioni. Olim cum *Oleo Amygdal.* blando; & qua *emmenagogum*, ad *foetum* mortuum pellendum; ad *affectus uteri- hyſtericos* commendabatur.

OLEVM LAVENDVLÆ DESTILLATVM,
ſ. *Quintae Eſſentiae.*

Præparatur e Flor. recent. *Lavendulae*, uti *Oleum Abſynthii deſtillat.* ſine præmiſſa deſtillatione. Magis fragrans vero acquiritur e *Gallia* meridionali aut *Italia.*

VIS *nervina*, *roborans*, *reſolvens*, *cephalica*, *uterina*, *diuretica*, *carminativa.*

USUS ad *unguenta nervina;* in *inveteratis grandinibus*, & *palpebrarum tumoribus cyſticis.* **Plenck.**

OLEVM LINI EXPRESSVM,

Præparatur e Semin. *Lini uſitatiſſimi*, uti *Amygdalarum dulcium expreſſum*, cum quo

Virium ratione convenit, ſæpius præferenda eſt, ob non tam lævem inclinationem ad ranciditatem, uti in aliis. Præ cæteris ventriculum valde onerat interne ſumtum. Melius ab *Aleourgis* comparetur.

VIS *emolliens*, *relaxans*, *obvolvens*, *leniens*, *antiſpasmodica*, *anodyna.*

USUS *Externe ad clysmata emollientia* in *herniis*, præcipue a *ſpasmo* in carceratis; ad *odontalgiam* qua *anodynum;* in *ſpasmis*, *pleuritide*, calide *regioni dolenti* applicatum; ad *ambuſtiones*, ſubi-

ſubito applicatum cum albumine ovi, ad *unguentum* redactum, antequam inflammatio orta eſt ibi; ad *haemorrhoidum caecarum dolores*; ani affectus; ad *convulſiones articulorum, muſculorum, nervorum cervicis duritiem mitigandam*; ad *pterygia* & *ambuſta* Ph. *Argentorat.*

Interne olim *pleuriticis* adhibebatur, & ad affectus *pectoris*, ab Unc. 1. - ad plures, *ſputum promovendi* & *dolores mitigandos*; ſed ob leviter ulteriorem inflammationem metuendam, raro hodienum interne.

OLEVM MACIS ſ. MOSCHATÆ NVCIS

Expreſſum. ſ. *Corpus* pro *Balſamo.*

Rec. *Nucum Moſchatarum:* qu. plac. In fruſtula redacti ſacculo includantur, vapori *Aquae ferventis* aliquamdiu exponantur, & prelo pannum calefacto Oleum dein exprimatur. Raro vero hæc præparatio apud nos fit.

Ex *India* enim & e *Belgio* plerumque ad nos accedit leviori pretio, ubi eodem modo e *Nucibus Moſchatis* adhuc calidis contuſis, *Aquae ferventis* vapore irrigatis, Oleum hocce exprimitur. Pro uſu *interno* melius paratur a noſtris pharmacopolis.

Vis *roborans*, *carminativa*, *anodyna.*

Usus *Externe* ad *unguenta nervina*, in *ventric. debilit. torminibus*, *flatulentiis*, *digeſtionis vitiis*, *vomitibus*, *diarrhoeis*, ventriculi regioni applicatum; *evacuatis* vero ſedulo *primis viis*, nec empyricorum multorum more & muliercularum, humoribus variis vitioſis adhuc latentibus in primis viis.

Ad Tempora *infantum* illinitum, *ſomnum conciliat* placidum. Pro *Balſamorum* & *Linimentorum* variorum *corpore* inſervit quoque eximie, ad vires eorum augendas - & odorem ſuaviorem iis conciliandum, & ita quidem ut ad *Olei*

cu-

cujusvis deſtillati Drachm. 2. addantur hujus *Olei Nucis Moſchatae* Drachm. 5. *Piderit.*

OBSERVAT. 1) *Oleum Macis*, ſ. *Moſchatae Nucis deſtillatum* paratur e *Nucib. Macis* uti *Oleum Caryophyllorum*, omiſſo tantum ſemine *Amomi.*
VIS *roborans, carminat. ſtomachica, antiſpasmodica.*
USUS *Interne*, in *diarrhoeis* & affectibus *flatulentis*, *vomitu*, *ventriculi debilitate*, *torminibus. Externe ventriculo* illinitum vim *roborantem* & *carminativam* præſtat. Cæterum ad *Balſamorum* & *Unguentorum* variorum conſiſtentiam, quum *Balſam.* Drachm. 5. ad *Olei deſtillatum* Drachm. 2. ſufficiant. DOSIS a Guttis 3 - 8. ad *Sachari* Unc. 1. uti in *Elaeoſacharo* florum *Caſſiae.*

2) *Oleum Nucis Moſchatae expreſſum* paratur quoque, uti alia olea expreſſa: multo lævius vero ex *India* acquiritur.

OLEVM MELISSÆ DESTILLATVM,

Præparatur e Herba *Meliſſae*, uti *Oleum Abſynthii deſtillatum.*

VIS *nervina*, *antiſpasmodica.*

USUS *interne* in affectibus *hyſtericis*, *ſoporoſis*; in *colica flatulenta*, *apoplexia ſeroſa.*

Tam *interne* quam *externe* in *cephalalgi s hyſtericorum* vertici & *temporibus* illinitum.

OLEVM MENTHÆ PIPERITÆ,

Præparatur e Herba *Menthae piperitae*, uti *Oleum Abſynthii deſtillatum.*

VIS *Olei* hujus ſubflavi - valde diu urentis, cum frigido remittente *ſapore* & *odore* penetranter *ſtomachica*, *carminativa*, *antiſpasmodica.*

USUS ad *ſtomachum roborandum*; ad *ſpasmos leniendos*, & ſingultum; ad *vomitum ſiſtendum*, *flatus*, *diarrhoeas*, *choleram*, affectus *ſpasmodica*

fla-

- *flatulentos*; ad *dolorificum ſpasmodicum menſium fluxum imminuendum.*

OBSERVAT. *Oleum Menthae criſpae deſtillatum*, deſtillatur uti *Oleum Abſynthii deſtillatum.*

Ad Ph. *Edinburg.* ſumendæ ſunt Herb. *Menth. ſativ.* ſiccat. qu. plac. *Aquae fontan.* qu. ſuffic. ut herba commode innatare poſſit, quæ per aliquot dies macerentur, dein deſtillentur uti alia *Aqua Menth. piperitid.*

VIS *nervina*, *roborans*, *ſtomachica*, *carminativa*, *uterina.*

USUS in *paralyſi*, *debilitate partium externarum*, & *affectibus uteri, hyſtericis.*

OLEVM MOSCHATÆ NVCIS EXPRESSVM

& *deſtillatum*, vide *Oleum Macis.*

OLEVM MYRRHÆ PER DELIQVIVM,

vide *Liquamen* ſ. *Liquor Myrrhae* per *Deliquium.*

OLEVM OVORVM EXPRESSVM.

Rec. *Vitellorum ovorum* ad duritiem coctorum qu. plac. deſumtor. ab ovibus recentibus ad duritiem coctis, contritis prius torreantur in ſartagine, lento calore ſub continuo motu, ad ruſeſcentiam, & pinguedinis quandam emiſſionem, e quibus dein forti ſacco incluſis calentibus, preli ope *Oleum* exprimitur, & uſui aſſervatur. *Piderit* Ph. *Auſtriaca.*

VIS blande *demulcens*, *emolliens*, *obtundens*, *coſmetica.*

USUS ſemper *recenter praeparati*, non rancidi, ad *ambuſta*, papillarum & labiorum *fiſſuras*, *haemorrhoides dolentes*; *ani* & *genitatalium excoriationes*; ad *hernias incarceratas*; ad *ſerpiginem*, *impetiginem* & alia *cutis* vitia; ad *fiſſuras papillarum* mammæ, labiorum & genitalium. *Plenck.*

OBSERVAT. *Nocet* ad *implendas foveas* poſt variolas rema-

remanentes, *maculas* enim *flaveſcentes*, faciem defoedantes, facile relinquit.

Ph. *Suecica* ſuadet ex *Ovor. recent.* qu. plac. coct. ut indurentur penitus, *vitellis* tum exemt. & comminutis, aſſis leniter in ſartagine, usque dum inter digitos preſſi pinguedinem quandam emittant. Sacculo e ſetis equinis contecto ferventes tum indentur, & *Oleum* dein exprimetur.

OLEVM RICINI. ſ. CASTOR. OIL - ANGLIS. ſ. Oleum de *Palma Chriſti.*

Præparatur e Semin. *Ricini* uti Oleum *Amygdalar.*

VIS *aperiens*, *ſtimulans*, *laxans*, *purgans* in majori doſi.

USUS in *obſtruct. alvi* pertinacibus, in *colica ſaturnina*, *aſthmate* ab *exhalationibus ſaturninis*, a Drachmis quibusdam ad Uncias quasdam leniter *purgans*, ſine nimio *ſpasmo.*

OBSERVAT. E ſeminibus recentibus, cortice externo prius caute depurandis, *Ricini communis* genuinum preſſione parandum eſt; nunquam *mangoniſanda* præparatio e *Granis Tigliae*, nimium *acribus* & fortiter *purgantibus.*

OLEVM RORISMARINI DESTILLATVM.

Acquiritur eodem modo uti *Oleum Chamomillae.*

VIS *nervina*, *excitans.*

USUS in affectibus *capitis* - *uterinis*, *apoplexia*, *paralyſi*, *ingrediens* cæterum *Balſam. cephalicor.*

OBSERVAT. Sic *Oleum* etiam *Roriſmarini*, odore, colore, & conſiſtentia, *Oleo Lavendulae* parum diſſimile eſt, & nonnunquam ejus loco etiam venditur. Si uſum medicum ſpectas, parum quidem intereſt, quodnam ex his oleis exhibeatur, attamen, cum prius vilius omnino ſit Oleo *Lavendulae*, in judicium vocari fraudatio illa meretur. Solo odore jam eam cognoſces; *Oleum* enim *Lavend.* longe foetior. odor. ſpargit.

Oleum

OLEVM SABINÆ

Præparatur e Herba *Sabin.* uti *Oleum Abſynth. deſtill.*

VIS *irritans*, potenter *ſanguinis motum augens*, & hinc *emmenagoga*, *anthelmintica.*

USUS *Interne* ad *menſes promovendas* in ſumme *phlegmaticis*, & *pituitoſis* humoribus. In *paralyſi* ad partes languidas fortiter excitandas.

Externe ad *cariem* oſſium efficaciſſime; ad *ulcera putrida*; & a *vermibus carnem luxuriantem* abſumendam; *ulcera* manantia exſiccanda.

DOSIS *Sachari* Unc. 1. Guttæ tantum 6. hujus *Olei* tam valide *ſtimulantis* pro 3. annorum *infante*, pro 6. doſibus præſcribatur. l. in ovo ad mollitiem cocto. *Piderit.*

OBSERV. Cautus cæterum ejus *uſus* debet eſſe, qua forte heroicum remedium, ad *foetum pellendum*, inprimis in non maritatis.

OLEVM SATVRNI.

Rec. *Sachari Saturni* Unc. 4. ſuperaffunde
Olei Terebinthinae Unc. 8. Digere per aliquot dies ad colorem rubrum.

VIS *vulneraria.*

USUS caute in *ulceribus depaſcentibus*, *membranarum* & *tendinum vulneribus.* *Piderit.*

OLEVM SASSAFRAS LIGNI.

Rec. *Raſur. Ligni Saſſafras* Unc. 72.
Aquae fontanae Unc. 422.
Salis culinar. Unc. 12. Macerentur per 4 dies in loco calido, dein deſtillentur e veſica ad tertiam repleta, quo dein *Oleum* tranſit, non natans, ſed fundum petens.

VIS *penetrans*, *actuoſiſſima*, valde *ſtimulans.*

USUS ad *cacochymicos* - *pituitoſos* - *humores corrigendos*, inprimis ſi humorum motus ad corporis peripheriam augendus eſt: conducit quoque

In morbis *arthriticis podagricis, rhevmaticis*, non rite procedentibus; in *impuritatibus* humorum *pituitoſis & venereis*, inprimis ſi *languens* natura ſtimulanda & excitanda eſt.

Externe ad *cariem dentium & cariem veneream.*

OLEVM SOLANI E BACCIS.

Rec. *Baccar. Solani maturar. contuſar.* Unc. 12.
Olei communis Unc. 36.

Coque ad ſucci conſumt. exprime & uſui ſerva.

VIS *refrigerans, incraſſans, ſomnum concilians.*

USUS ad *Emplaſtrum anodynum.* *Spielmann.*

OLEVM SVCCINI RECTIFICATVM.

Rec. *Succini* contuſi, *Arenae purae* ana Unc. 36. Retortæ capaci ferreæ immiſſæ, igne arenæ gradatim adplicato deſtillentur, quo acquiritur Liquor *aquoſus acidulus* ſ. *Spiritus*, cum pauco Oleo *flaveſcente*, dein *Oleum flavum* ac portio *Salis*, tum *Oleum ſubrubrum nigrum* & major ſalis copia.

Aquae calidæ ope, ad *Sal volatile* in eo ſolvendum eluatur vas recipiens, filtretur per chartam emporeticam, *Aqua* communi prius madefactam, ab *Oleo* ſeparetur. Tum *Sal* colligetur facta prius exhalatione, quod ſublimatione rectificetur, & ſub titulo *Salis ſuccini volatilis* uſui ſervetur.

Oleum in forma cryſtallina vero tum miſcetur cum *Cinerum* partib. 2. deſtillatio dein lento igne e *retorta* ſuſcipiatur, & *Oleum limpidum* primo exſtillans *album*, ab inſequenti *rubro* ſeparetur, alterumque de novo rectificetur, ad acquiſitionem plenariam *limpiditatis & albedinis*, quod tum probe aſſervandum eſt.

Salis quoque pars, dum *Oleum* fluit, ſublimetur in hoc labore, quod a parietibus vitri auferatur.

VIS

VIS *Olei* & *Salis volatilis* potenter *movens*, *ſtimulans*, *diſcutiens*, *reſolvens*; *penetrans*, varias excretiones corporis potenter *promovens*; *diaphoretica*, *diuretica*, *antiſpasmodica*, *nervina*; *emmenagoga* fortiſſima in parva doſi Gutt. 1. tantum.

USUS *Olei Succini interne* in variis *morbis* non rite *ſuccedentibus* - *retrogreſſis*, uti in *arthritide*, *podagra*, *rhevmatismo*, *exanthematibus* variis - ſudorem excitando cum odore empyrevmatico - morbos hoſce pro - vel - revocat.

In affectibus *cephalicis*, *convulſivis*, *nervorum*, & *capitis*, in *epilepticis* - *hyſtericis* - *paralyticis* - *apoplecticis*, in ſeroſis *tumoribus frigidis*; in *ſpasmis hyſtericis* ſiſtendis & ad *urinam pellendam*, a *ſpasmo* retentam *Sal Succini* præcipue; ad *lethargum*, *vertiginem*, morbos *catarrhales*; ad *pituitam tenacem*.

Externe Oleum Succini album & *flavum* eſt egregium remedium potenter *reſolvens*, *antiſpasmodicum*, *nervinum*, confert in *ſpasmis*, *paralyſi*, *apoplexia*, & *tumoribus* frigidis, *rhevmaticis* doloribus; *cephalalgias* a cauſa ſeroſa tantum ortas, *temporibus* applicatum, ſubito tollit, uti in affectibus *nervorum*, *capitis*, *hyſtericis*, in aliis ſpeciebus *aeſtum* excitat nimium, a Guttis 4 - Scrupul. 1.

Adhibetur quoque ad parandam *Aquam Luciae*, ſ. *Eau de Luce*, ſ. *Spirit. Sal. Ammon. ſuccinatum*.

Commode quoque, cum *Corpore* pro *Balſamo* in *Balſami* formam redigitur.

Convenit cæterum multum cum *Oleo animali Dippelii*. *Oleum nigrum* naribus admotum & umbilico in *hyſterico* malo; ad *membra paral.* fovenda.

USUS *Salis Cornu Cervi volat.* præcipue ad morbos *arthriticos* - *podagricos*, *diapnoen excitans* in horis matutinis a Granis tantum 2.

 In

In *ſphacelo* inprimis ſenum, utraque *ſalia* & *ſuccini* & *cornu cervi* ſunt remedia divina, corticem peruv. ſæpius ſuperantia.

In *febrium malignarum* ſumma *debilitate*, ad pulſum erigendum; uti in morbis *bilioſis* & *putridis;* ad *exanthemata febrilia* pro - vel revocanda, *Sal Succini* ob acidam ſuam indolem, *Sali Cornu Cervi* omnino præferendum eſt.

USUS *Spiritus Cornu Cervi rectificati* in iisdem morbis, uti *Sal volatile ſuccini*, a Guttis 4-20-60. calorem vero majorem excitat ob plures partes *oleoſas*, hinc caute *interne:* magis *externe* ad *aurium* affectus, *tinnitum*, *ſuſurnum* aliosque.

DOSIS *Oleum Succini* a Guttis 5-8. interne exhiberi poteſt, in variis vero caſibus, nimis calidius, hinc *Salis volatilis uſus internus* præfertur a Granis 2-10. Et ab *Oleo* ſtimulante adhærente diligenti rectificatione liberatum, ad Scrupul. 1. l. cum *Vino* l. *Aqua deſtillata* l. in *Emulſionibus* dari poteſt.

OBSERVAT. 1) *Salia* hæc cum *Aceto Vini* digeſta & deſtillata ſunt gratiora, multo vero debiliora irritantia, contra putredin. tamen *valentiora.*

2) Caute hæc *ſtimulantia* remedia ſunt adhibenda, ob calorem nimium facile in ſanguinem excitandum; *nocent* in *motu* humorum *celeriori*, in *plethora*, primarum viarum ſaburra vitioſa, in *tono* fibrarum integro & florido; in juvenibus ſanguineis, *plethoricis* & *bilioſis*. *Piderit.*

3) *Adulteratur* ſæpius *Sal Succini*, ob caritatem pretii, quum 60. tantum pars *Salis* e *Succino* obtineatur, vel *Sale Ammoniaco*, l. *Cryſtallis Tartari*, l. aliis *Salibus mediis*. *Alcali fixo* mixtum, *urinoſum* ſpirat *odorem*, & tum non totum volatile avolat, in igne detentum.

4) Ph. *Suec. Oleum* & *Sal ſuccini* hocce modo ſimul præ-

præparandum ſuadet, Rec. *Succini* fragment. qu. plac. & e retorta vitrea, recipiente capaci adaptato, deſtillationem ſuſcipe modico igne, quo *phlegma* primum aſcendet, tum *Sal Oleo* tinctum, quod e retortæ collo eximendum eſt, ablato recipiente; aucto tum ignis gradu, & mutato recipiente, *Oleum* acquiritur *flavum, rubrum*, & tandem *fuſcum*.

Sal e collo retortæ acquiſitum probe ſiccandum eſt ſuper chartam bibulam: *Oleo* vero inquinatum, in *Phlegmate* proprio & *Spiritus Vini* rectificati pauxillo diluatur, atque liquor per chartam colatus, poſt leniſſimam exhalationem ſeponatur ad cryſtallorum generationem.

Oleum vero e retorta vitrea iterum deſtillatum, *Aquae* puræ ſextuplo addito, exhibet *Oleum ſuccini rectificatum*; ſi rectificatio fit quaternis e retorta pura deſtillationibus, relicta toties in retorta aliqua *Olei* parte, octava circiter rejicienda.

5) Ad Ph. *Roſſicam Oleum* rectificatur ex *Aqua* addito *Sale muriatico*. *Göttling* ad *Olei ſuccini* fruſtula *Succini* deſtillationi ſubjicit in retorta ferrea, cum vel ſine arena ſimul impleta, probe lutata luto, & excipulo figulino munito, igne gradatim aucto, ad ſummum gradum, usque dum excipulum non amplius gliſceſcit, in quo patebit *Oleum ſuccini*, & *Phlegma* acidum, in parte ſuperiori excipuli maxima patebit pars transgreſſi *Salis volatilis acidi* in cryſtallorum formam, cum partibus quibusdam *Salino-Oleoſis*, quæ *Aqua* fervida ſoluta probe ſeperantur vitri ope ſeparatorii.

Salina hæc pars *ſuccini* acquiſita ab oleoſo melius ſublimatione & addita quarta parte argillæ ad albedinem acquiritur nitidiſſimam, quam cryſtalliſationis ope.

Oleum ſuccini magis adhuc purificatur & rectificatur deſtillatione reiterata leni igne, in retorta, vitrea - additis *Cineribus ligni* l. *Calce* pulveriſ. in aëre. *Göttling* & Alii uti *Stokar* de *Neuſorm* commendant ad *depurationem Salis ſuccini* additionem *Sal. culinaris.*

OLEVM TANACETI DESTILLATVM.

Præparatur e Herba & Floribus *Tanaceti* uti Oleum *Abſynthii deſtillatum.*

VIS *roborans*, *anthelmintica.*

USUS ſub *Elaeoſachari* forma l. aliis *anthelminticis* l. *purgantibus* additur.

Externe abdomini illinitum ad *vermes* pellendos.

OLEVM TARTARI PER DELIQVIVM,

ſ. *Lixivium Tartari*, ſ. *Liquor Salis Tartari.*

Rec. *Salis Tartari*, l. *Tartari* ad albitudinem calcinat. l. *Ciner. Clavellat.* depurator. qu. plac.

In cella ſ. in loco *humido* aëri exponatur in vaſculo vitreo plano, prius immiſſi l. manicæ *Hippocratis* ſ. ſacculo linteo, usque dum in *Liquorem Sal Tartari* l. *Cineres Clavellati* fuerint ſoluti, qui dein filtrandi ſunt.

Idem Liquor loco *Liquoris Nitri* fixi adhiberi poteſt. *Piderit.* Ph. *Auſtriaca.*

VIS *acidum* fortiter *involvens*, *reſolvens*, *diuretica.*

USUS raro *interne*, qua liquor *cauſticus*, *alcalinus*; *aqua* dilutus *abſtergens*, *antacidus*. In omnibus *morbis*, in quibus *acidum* eſt *praedominans*, uti in *ardore ventriculi*, in humoribus *pituitoſis tenacibus*, in aſſumtis fortuito *venenis* mineralibus, ad deſtruendum eorum *acidum cauſticum*, in magna copia datum *Sal Tartari*, ſ. *Cineres Clavellati* optime conferunt, & quidem melius in forma fluida *Liquamen* ſ. *Oleum Tartari* per *Deliquium* a Drachm. 1.

cum

cum *Syrupo* cujuſdam Uncia dimidia, partitis & diſtantibus intervallis, contendit *Piderit.*

USUS *Interne* ad reſerandas *obſtruct. abdominales*, Guttæ aliquot multa *Aqua* dilutæ. *Spielmann.* *Externe* magis ſcopo *coſmetico;* ad *chemica* præparata; ad *menſtrua;* ad *cruſtas tineoſas* illitas eo; ad *furfures capitis* multa *Aqua* dilutas, guttæ quædam hujus Olei.

Cæterum & ad mala *rachitica* & *ſcrophuloſa. Plenk.*

OBSERVAT. 1) Eodem modo præparatur *Lixivium lignorum.*

2) Ph. *Suecica, Roſſica,* & *Londin.* præſcribunt *Sal Tartari,* ſ. *Alkali Tartari* qu. plac. ut ſolvatur in *Aquae deſtillat.* duplo pondere ad ſaturationem plenariam in vaſculo vitreo, quo dein lixivium per chartam filtratur.

3) *Oleum Tartari foetidum,* paratur e *Tartari rubri* qu. ſuffic. ad repletionem retortæ terreæ ad duas tertias. Recipiente amplo adaptato leni igne deſtilletur *phlegma*, quamprimum vero prodeunt nubeculæ albæ, mutato recipiente, juncturis probe clauſis, ſumma ignis vi urgeantur *Spiritus* & *Oleum*, vitri ope ſeparatorii a ſe invicem ſeparanda, & ſeorſim e cucurbita deſtillanda.

Oleum cum *Aqua* eſt rectificandum. Maſſa poſt deſtillationem ſuperſtes calcinata ad albedinem plenariam in igne aperto, *Salem Tartari* exhibet.

Ob VIM *penetrantiſſimam - reſolventem* laudat, ad *tumores cyſticos - induratos - tophos ſolvendos;* ad *contracturas ligamentorum* & *tendinum Plenck.*

4) *Göttling* credit *Lignum Fagi communis* loco *Tartari* commode *Oleum Tartari* foetidum exhibere, uti non ſemper *Cornu Cervi* ſumitur, ſed aliæ animalium partes - oſſa & olea ad Oleum C. C.

OLEVM TEREBINTHINÆ ÆTHEREVM *deſtillatum* ſ. *Spirit. Terebinth.* ſ. *Balſam. Terebinth.*

Rec. *Terebinth. Larig.* l. *Venet. pell.* Unc. 24. funde in *Aquae fontan.* Unc. 72. quæ dein leni igne e veſica ad tertiam repleta deſtillantur, poſt deſtillationem vero *Oleum* ſ. *Spiritus* ab *Aqua* ſimul prolecta ſeparantur.

Reſiduum in veſica a deſtillatione remanens exhibet *Terebinthinam coctam*, quæ ulteriori coctione ſine *Aqua* inſtituta, in *Colophonium* reducitur.

Oleum hoc *prius* ex *Aqua* denuo deſtillatum dat *Oleum Terebinthinae rectificatum.*

VIS *anodyna*, *antiſpasmodica*, *conſolidans*, hinc *ſtyptica*, *diſcutiens*, *reſolvens*, *ſtimulans*, *diuretica*, *diaphoretica.*

USUS *Externe vulneraria*, *putredini reſiſtens* hinc eximius *membranis*, *nervis*, *tendinibus* laceratis, punctis *ſectis*, ſemiſectis recenter calide infuſum, ante *inflammationem.*

Arteriis & *venis* in magnam læſis *haemorrhagiam*, proptiſſimum & ſecuriſſimum exhibet *ſtipticum*, ſi tam calide, quam æger poteſt pati, ſpleniis *appreſſis* applicetur.

Nervis quoque conducit, & *putredini* reſiſtit, atque *vaſorum conſolidationem* promovet, hinc non ſatis laudanda eſt ejus virtus.

Externe anodynum, *tumores* reſolvit & diſcutit *frigidos*, *cyſticos* & *rhevmaticos* calide eis infricatum. *Ganglion* ad *carpum* ortum, eo quotidie illito, diſpulit plane *Plenck.*

Cæterum *uſus* multiplex ad *vulnera* & *puncturas nervorum*, *membranarum*, tendinum; ſi calidum inſtilletur præbet *anodynum*, *antiſpaſticum*, *conſolidans*, - ſedata vero ubivis inflammatione.

Putre-

Putredini reſiſtit, & *cariei*, nude ad talia *ulcera;* necat *inſecta*, hinc ad *ulcera verminoſa.* Partes defendit adverſus *frigus*, hinc ad *perniones.*

Colophonium hic acquiſitum ad *Emplaſtra* adhibetur.

Fumus ex eo accenſo *phtiſicos* magis onerat, quam eis prodeſt.

Gangraenae putredinem facta ſcarificatione efficaciter coercet, interdum efficacius quam cortex Peruv. & Spiritus Vini.

Cuti infric. *urinam pellit*, & odore violaceo imbuit.

OBSERVAT. 1) Ob vim valide *diureticam*, *balſamicam* & *mundificantem*, in *gonorrhoea* præcipue *interne* a quibusdam commendatur *Oleum Terebinthinae*, a Guttis 10 - 15. Ob calidam vero ejus indolem, & in *vias urinarias* tam actuoſas ejus vires, valde caute applicandum, interdum lubentius omittendum eſt, ob tam leviter ſubſequentem *mictum cruentum*, renum aliarumque partium inflammationem. --- Tam *penetrabile* eſt *Oleum* hoc *aethereum*, ut *cuti infricatum* ſubito urinam odore *violaceo* imbuet. *Piderit.*

OLEVM VINI, vide *Naphtha Vitrioli.*

OLEVM VITRIOLI,

vide *Acidum Vitrioli concentratum.*

Quod *rariſſime* a pharmacopolis paratur, ſed ab artificibus propriis arceſſitur, ex *Anglia*, l. *Germania* inferiore, optime.

Probatur pondere, in caleſcentia cum *Aqua*, nec non pennæ ſ. lintei ipſi immiſſi ſubita corroſione. *Spielmann*, & *Wittwer*, ſi *Vitrioli Olei* volumen 16. Unciis *Aquae* æquale, 29. circiter Uncias æquat, tunc bonum eſt.

OPIVM COLATVM, l. *Extractum Thebaicum.*

Rec. *Opii* in fruſtula conciſi Unc. 12. in
Aquae commun. bullientis Unc. 12. ſolve in

pulpam, caute evitando empyrevma, calens forti expreſſione per pannum linteum fæces ſeparentur; balnei tum, l. oleo leni calore opium colatum ad priſtinam reducetur craſſitudinem.

Opium paulula Aqua ita emollitum per colum tranſit, integrum, ſolis fæcibus relictis; ſin autem multa Aqua diſſolvatur, pars reſinoſa a gummoſa ſeparabitur. Ph. *Roſſica, Lond.*

VIS *anodyna, ſopiens, diaphoretica.*

USUS ad remedia varia opiata: ſordibus primis in viis eliminatis, *plethora imminuta*, aperto *alvo;* ad *ſpasmos* & *convulſiones* ſopiendas, humorum circulum & calorem animalem augendum, conciliandum ſomnum; ad reliquas infringendas excretiones. In morbis *ſpaſticis* & *convulſivis* a nimia ſenſibilitate & irritabilitate; ad nimium quemvis dolorem ſedandum. *Bicker.* In *variolis* de *Haen;* in *febre quartana* rebelli, *Pringle;* in *colica ſaturnina*, l. pictonum cum oleo lini, de *Haen; hydrophobia, Whytt.* in *haemorhagiis* a ſpasmo, *tetano*, triſmo, *catalepſi*, in *epilepſia* a tremore *Bicker;* in *dyſenteria* cum teneſmo, *Zimmermann;* in *colica, diarrhoea, dyſenteria;* in *vomitu* nimio, tam interne quam externe *emplaſtri* forma l. *clysmatis. Bicker.*

DOSIS ab initio in exigua doſi a grano 1-4. uti in epileptica intra 7. ſeptimanas Gran. 60.

OPODELDOCH, vide *Linimentum ſaponaceum.*

OXYCRATVM SIMPLEX PLENCK.

Rec. *Aceti Vini* fortis, - *Aquae font.* ana Unc. 12. Miſceantur.

VIS *reſolvens, diſcutiens.*

USUS qua commune fomentum *reſolvens* ad *inflammationes* a cauſa externa, uti a *contuſione, fractu-*

fractura, *luxatione*, & inde natas *ſugillationes* ſanguinis diſſipandas. *Spielmann.*

OBSERV. 1) Diſpenſat. pauper. *Pragenſe* addenſuadet *Sal. commun.* Unc. 1.

2) *Oxycratum ſpirituoſum*, fit, ſi *Oxycrati ſimplic.* calefact. Unc. 12. *Spiritus Vini* camphor. Unc. 2. Miſcentur & fiat tum fomentum: cujus VIS efficacius quam ſimplex *reſolvens*: & USUS ad *contuſa ſugillata* loca *reſolvenda*. *Plenck.*

OXYMEL ÆRVGINIS,

vide *Unguentum Aegyptiacum.*

OXYMEL COLCHICVM STOERK.

Rec. *Aceti colchici* Unc. 12.
Mellis puri Unc. 24. Mixta incoquantur ad juſtam mellis conſiſtentiam in vaſculo figulino ſ. vitro leni igne, & filtrant. Ph. *Roſſica.*

VIS eximie *hydragoga*, *reſolvens*, *diuretica*, acris in quibusdam regionibus.

USUS in conſumatis *hydropicis*, ſi *ſerum abundans* per *urinam* eſt expellendum, *ſputa promovens*, *tuſſim* mitigans, & reſpirationem eo reddens liberam. In *hydrope pectoris*, *peripnevmonia ſpuria* confert.

DOSIS in initio bis per diem Drachm. 1. - Unc. 1. & dimid. per diem adulto, cum decocto ſufficienter diluto, l. alio infuſo convenienti in affectibus iſtis hydropicorum - mucilaginoſis.

OXYMEL PECTORALE DANORVM.

Rec. Radic. *Helenii* Unc. 1.
- *Irid. Florent.* Unc. dimid. Inciſa & contuſa coquantur ex
Aquae fontanae Unc. 36. colaturæ ſubſidentia depuratæ Unc. 24. addantur

Mellis

Mellis optimi Unc. 12 - 16.
Gummi Ammoniaci in 8plo *Aceti* ſoluti, Unc. 1.
Coquantur ad conſiſtentiam Mellis. Ph. *Danica*.
VIS *expectorans*, *reſolvens*, *diſcutiens*. *Spielmann*.
USUS in *tuſſi* & *aſthmate* cochleatim.
OBSERV. Diſpenſat. pauper. *Pragenſe* & *Hamburg*. hancce compoſ. *Oxymell.* pectoralis ſuppeditant: ex *Oxymell. ſimplic.* Unc. 2. *Syrup.* de *Ammoniac.* Unc. 1. *Spirit. Sal. Ammon.* anis Drachm. 1. Miſce, *doſis* cochlearia 2. parva.

OXYMEL SIMPLEX HIPPOCRATIS,
ſ. *Solutio Mellis* in *Aceto Vini.*

Rec. *Aceti Vini albi*, Unc. 12. evaporentur ad dimidiam partem, quibus addantur.
Mellis deſpumati Unc. 12. coquendæ in vaſe figulino probe vitreato ſ. vitro ad *Syrupi* conſiſtentiam.

VIS valide *reſolvens*, *expectorans*, *antiputredinoſa*, *diaphoretica*, *diuretica*, *temperans*, *reficiens*, hinc
USUS tot laudibus decantatæ medicinæ a divi Hippocratis temporib. ad noſtra usque;
Interne in morbis *acutis* pro potu ordinario, ad *ptiſanas* & potiones vel ſolum ad uncias aliquot in *Aqua* ſolutum, vel *Tartaro vitriolato* aut *Nitro* mixtum, ob indolem ſaponaceam; ad *denſitatem ſanguinis incidendam* & craſſos humores diſſolvendos, qua *antiputredinoſum*, calorem *minuens*, *ſudorem movens*, *urinam ſecernens* aliasque excretiones, in *febribus inflammatoriis*, *putridis*, *bilioſis*: In *phtiſi*; *febre lenta*, & *hectica*, *angina*, *tuſſi*, *raucedine*. *Piderit*, *Bicker*.
Externe Aqua dilutum ad *gargarismata* & *collutoria antiphlogiſtica*. Et ad
Clysmata Unc. 3 - 4. contra *obſtructiones alvi.*
Plura vide *Acetum Vini concentratum*.
DOSIS quotidie ad Unc. 2-4. in potu ſuffic. dilutum.

Oxymel

OXYMEL SQVILLITICVM ſ. SCILLITICVM, ſ. *Solutio Mellis* in *Aceto ſquillitico.*

Paratur uti *Oxymel colchicum* ex *Aceto ſquill.* Unc. 12. & *Melle depur.* Unc. 24. probe commiſcendæ in vaſe vitreo.

VIS *emetica* leviter, *reſolvens*, *incidens*, *expectorans*, *aperiens*, *detergens*, *diuretica*, egregie mucum *reſolvens.*

VSVS in *aſthmate*, *tuſſi chronica*; ad *pulmonum* & *ventriculi* affectus *pituitoſos*, humores *craſſos*, *viſcidos*, indeque ortas *obſtructiones reſolvendas*, uti in *hydrope*, *cachexia*, *febrib. acutis*, *aſthmate*; ad *obſtructiones bronchiorum* a materia pituitoſa ortas, mucum craſſum reſolvendo & expectorationem promovendo.

Oxymel ſquilliticum magis quam *Acetum* craſſos & pituitoſos *incidit* humores, a Drachm. 2-6. aliisque vomitoriis,qua coadjuvans in varia portione.

Infantibus cum *Syrupi laxantis* æquali parte mixtum,egregium eſt *purgans*, & *vomitum* excitat purum ſine miſcela parvis cochlearibus exhibitum, hinc in *catarrho ſuffocativo* infantum conducit.

In *gargarismate Oxymel* uti *Acetum* confert a pituita ad *auditus gravitatem*, *vertiginem*, *dolores* capitis, *coma ſomnolentum*, a cauſis pituitoſis ortum.

Plura vide *Acetum ſquilliticum.* *Piderit.*

DOSIS Uncia dimidia adultis emeſin excitat pure ſumta, conſuetudine mitius agit a Drachm. 3- 6.

OYXTARTARVS ſ. ALKALI VEGETABILE *Acetatum*, vide *Terra foliata Tartari.*

PANACEA MERCVRIALIS, vide *Mercurius dulcis.*

PANIS CYDONIORVM, ſ. MIVA CYDONIOR.

Rec. *Malorum Cydoniorum*, qu. plac. cortice detracto & ſeminibus exemtis, coquantur in *Aqua*

Aqua puriſſ. *Pulpae* per cribrum trajectæ addatur *Sachari* albi dimidia pars; evaporent ad juſtam conſiſtentiam *Roob.* Ph. *Danica.*

VIS *roborans* leniter, hinc ad *ventriculum* & *inteſtina relaxata*, atque inde ortas *diarrhoeas* delicatulis confert.

DOSIS ab Unc. ½ - 1.

OBSERV. 1) Paratur quoque cum *Aromaticis* pulveribus uti *Cinnamomo*, *Cardamomo*, *Croco*, *Caryophyll. Zingiber. Mac. flaved. Cort. Citri:* ſub nomine *Panis* cydoniorum aromatic. ad *vomitus* & *alvi fluxus* ſiſtendos; bilioſis & calidis non tam proficuum ſemper.

2) Gratum vehiculum infantibus *laxantia* commode porrigendi, qui ea facile perhorreſcunt. *Jalapp.* radix commode ea poteſt miſceri.

PASSVLÆ LAXATIVÆ.

Rec. *Folior. Sennae* Unc. 4. coquantur ex *Aquae ſimplic.* Unc. 10. ſub finem coct. addant. *Zingiber - Cinnamomi* ana Drachm. dimid. Expreſſa ebulliant cum *Sachari albi* Unc. 12. Syrup. colat. ſuperfund. *Paſſul. minor.* Unc. 12. Miſce. Ph. *Dan. Spielm.*

VIS & USUS e nomine ad *alvum tardam* tollendam, infantibus inprimis, quibus remedia nauſeoſa ſunt.

DOSIS Unc. ½ - 2.

OBSERV. Extr. fol. *Sennae* cum *Sacharo* interdum æque commode poteſt exhiberi.

PASTA DE ALTHÆA,

ſ. *Pate* de *Guimauve.*

Rec. Radic. *Althaeae* decorticatæ, recent. in taleolas diſſectæ Unc. 1. in *Aquae commun.* Unc. 48. ebulliant, fiant tum aliquot ebullitiones, ad dimidiæ partis conſumtionem, colaturæ quodlibet ſeorſim ſol. adde *Gum-*

Gummi Arab. puriſſ. - *Sachari alb.* ana Unc. 12. Evaporetur leni igne, rudiculæ ligneæ ſ. ſpatulæ ope continuo colentur motu & colatura ad Extracti mollioris ſpiſſitudinem; Maſſæ tum ab igne remotæ, ſub continuo adhuc motu addantur

Ovorum 12. rec. albumin. in ſpumam conquaſſat.

Aquae Naphae ſ. *Aurantior.* florum Unc. dimid. Quo inſpiſſantur tum omnia ulterius igne lento, motu continuo, donec maſſa manibus non amplius adhæreat; affundetur tum in *laminam*, conſpergatur prius.

Amyli qu. ſuffic. & lege artis tum probe ſiccetur & ſervetur uſui paſta hoc modo acquiſita, quæ etiam in paſtas oblongas quadratas, pulvere *Sachari* l. *Amyli* conſperſas, pro adhæſione in charta, poteſt formari. *Piderit.*

VIS *emolliens*, *leniens*, *involvens*, *expectorans*, cæterum eadem uti *Bacilli* de *Liquiritia*.

USUS in *tuſſi ſicca* acri, *raucedine* & *catarrhalibus* de fluxionibus; ad humores acres, ſalſos, irritantes demulcendos, & ſymptomata hinc enata mitiganda, in *aſthmate*; tuſſientib. in ore liquanda, ad *acre* in viis aëreis irritans *demulcendum.*

OBSERV. Ph. *Roſſica* ſuadet ad Rad. *Althaeae* Unc. 6. *Aquae fluviatil.* Unc. 96. poſt coctionem ut addentur *Gummi Arabici*, *Sachari albi* ana Unc. 36. & tum *Albumina ovorum* recent. ſpumantia, 30. *Aquae aurant.* Unc. 4. cæterum uti ſupra.

Ph. *Suecica* proportio minor eſt ad Rad. *Althaeae* Unc. 4. *Aquae fluviat.* Unc. 96. - *Gummi Arabici* tantum Unc. 6. *Sachari albi* Unc. 4. *Albumin. ovor.* 12. tantum. *Aqu. Aur.* Unc. dimid. tantum.

PASTA GLYCIRRHIZÆ, ſ. LIQVIRITIÆ *fuſca Pariſienſium*, *Suc* de *Regliſſe* du *Blois.*

Rec. Radic. *Glycirrhiz.* decort. & contuſ. Unc. 8.

Aquae

Aquae fluviatil. bullient. Unc. 48. Infunde per
nychthemeron & in colatura ſolve
Gummi *Arabici*, - *Sachari albiſſimi* ana Unc. 30.
colatura evaporet leniſſimo igne, caute vitato empyrevmate, donec gutta lapidi frigido inſtillata, gelatinæ inſtar concreſcat: per 2. dies in vaſculo ſtanneo retineatur, & detracta pellicula, in patellas, *Oleo Amygdalar.* illitas, effundet. maſſa, in hypocauſto ſiccanda.

VIS & USUS idem uti *Paſtae Althaeae*, in *tuſſi* a muco ſpiſſo præferenda. Plura vide *Extr. Liquir.*

OBSERVAT. Ph. *Suecicae* proportio eſt minor quoque, ad Radic. *Glycirrhiz.* Unc. 6. *Aqu. fluviat.* Unc. 12. *Gummi Arabici* Unc. 6. tantum, & *Sachari albiſſimi*, Unc. 24. cæterum uti ſupra.

Ad Ph. *Spielmanni* ſumunt. *Gummi Arabici* elect. Unc. 32. in qu. ſuffic. *Aquae fontan.* diſſolvend. colatur. addend. *Succ. Liquir.* Unc. 9. - *Sachari albi* Unc. 16. leni igne ad ſyrup. conſiſtent. evaporandi, tunc Pulv. Rad. *Enul.* - *Ireos florent.* ana Unc. dimid. quo evaporandi ſunt ulterius usque dum maſſa refrigerata digitis non adhæreat, tunc addendi ſunt *Olei deſtill. Aniſi* Scrup. 2. effundet. paſta ſuper Marmor *Oleo Amygdalar.* dulc. inunctum, extendetur ope cylindri lignei eodem *Oleo* inuncti, & tum in parva quadrata diſſecetur.

PASTA AMYGDALINA COSMETICA.

Rec. *Amygdalar.* dulc. decorticat. Unc. 12.
- amarar. - Unc. dimid.

Mixta contundantur in mortario lapideo, addita
Aqua Aurantii, cui tum admiſceantur
Sachari albiſſimi pulverati Unc. 12.

Quo filtratur maſſa, quæ manibus tractata eis
non adhæreat. Ph. *Suecica.*

OBSERVAT. *Spielmannus* addendum ſuadet qua præ-

præcipue *Farin. Fabar.* Unc. 16. - *Oryzae*, - *Myrrhae* elect. Unc. 2. - *Camphor.* Unc. dimid. - *Sapon. Venet.* Unc. 20.

PILVLÆ ALTERANTES PLVMER.

Rec. *Mercur. dulcis*,
Sulphur. Antimon. aurat. ana Drachm. 6.
Reſinae Guaiaci Drachm. 1. terantur exacte in mortario vitreo,
Gumm. *Guaiac.* tum addetur
Extr. *Glycirrhiz.* ana Drachm. 3.
Mucilagin. ope Gumm. *Arabic.* ſ. *Balſam.* de *Copaiva* qu. ſuffic. fiat tum maſſa pilular. *Guy.*

VIS *alterans*, *diaphoretica* magis quam *ſialagoga*; in *gonorrhoea inveterata.*

USUS in morbis *venereis*, in *pituitae* & *lymphae* impuritatibus, per tempus mane & veſpera, ad 3. cum decocto lignorum in initio.

OBSERVAT. Ad Ph. *Hamburg.* & *Pragenſ.* pauper. Extr. *Belladonn.* l. Extr. *Cicutae* loco Extr. *Glycirrhiz.* præſcribitur.

PILVLÆ ANTIHYSTERICÆ.

Rec. *Caſtorei* - *Aſae foetidae* ana Drachm. 1. & ½.
Salis Succini volatil. Drachm. ½.
Olei Animalis Dippelii Guttas 20.
Miſceantur, fiant cum *Eſſent. Myrrhae* quant. ſuffic. Maſſa pilularis. *Piderit.*

VIS *antiſpasmodica*, *antihyſterica*, *antihypochondriaca*, *anthelmintica.*

USUS ad *ſpasmum mitigandum*, *laxandum*; ad inſultus *hypochondriac. hyſtericos* vehementes.

DOSIS a Gran. 12. - Drachm dimid. Quandoque cuilibet quoque portioni *Extracti Opii* Gran. dimid. l. 1. additur. *Piderit.*

OBSERVAT. *Selle* præſcribit ad eas conficiendas, Gummi *Galbani*, - *Aſae foetidae*, - Extr. *Ange-*

gelicae ana Unc. dimid. - *Caſtorei* - *Croci* ana Drachm. 1. - *Opii Thebaic.* Drachm. dimid. Miſcendas ad pilulas cum *Eſſent. Caſtorei* ponder. Gran. 3. conſpergend. pulver. Liquiritiæ.

USUI in *ſpasmis hyſtericis*, mane & pomeridie pillulæ 5-6. Quum pilulis 6. inſint Gran. dimid. *Opii.*

PILVLÆ BALSAMICÆ,
vide *Pilul. Polychreſt.*

PILVLÆ BALSAMICÆ MORTON.

Rec. *Gumm. Ammoniac. elect.* Drachm. 2. & dimid. *Milleped.* Drachm. 3. - Flor. *Benzoes* Drachm. 1. *Croci oriental.* - *Balſam. Peruv.* ana Gran. 15.

Miſce fiant pilul. cum qu. ſuffic. *Gumm. Arabic.* l. *Balſam. Sulphur. Aniſat.*

VIS *reſolvens*, *incidens*, *diuretica*, *anodyna.*

USUS ad *tuſſim* chronicam *ſcrophuloſam*; *phtiſicam*; in *pectoris* affectibus; in pulmonibus *ſcirrhoſis*, infarctis a *phlegmate* viſcoſo; & in *tuberculorum* generandorum ſuſpicione; *phtiſi* nodoſa; *aſthmate.*

DOSIS Scrupul. dimid. bis l. ter in die, cum decocto appropriato.

OBSERV. Ph. *Hamburg.* communicat eas ex Extr. *Aloes gummoſ.* - *Myrrhae* ana Drachm. 1. & dimid. - *Hellebor. nigr.* Drachm. 1. - Gumm. *Guaiac.* Unc. dimid. ad pil. formand. Gr. 1. *Doſis* Nro. 20.

PILVLÆ CATHARCTICÆ ſ. PVRGANTES.

Ex Extr. *Colocynthid.* compoſ. Drachm. 2. & dimid. *Mercurii dulc.* Drachm. 1.
Reſin. *Jalapp.* contrit. Scrupul. 2.
Caryophyllor. pulverat. Scrupul. 1. commixta ſyrupo ſimplici redigantur in maſſam, e qua formentur pilulæ, ponder. Granor. 2.

In Gran. 15. harum pilularum ſunt *Mercur. dulc.* Gran. 3. Reſin. *Jalapp.* Gran. 2.

VIS

VIS & USUS e nomine; ſed caute. Ph. *Suecica.*

PILULÆ CÆRULEÆ EDINBURG.

vide *Pilul. Antivenereae.*

PILULÆ CICUTÆ STOERK.

Rec. *Cicutae* recent. vel. *Conii* maculat. qu. plac. Exprime ſuccum & lentiſſimo igne in vaſe terreo, agitando coque ad *Extracti* ſpiſſi conſiſtentiam. Formentur dein pilulæ cum ſuffic. quantit. Pulver. fol. *Cicutae* Gran. 2. *Mellin.*

VIS & USUS e ſimplici ingrediente patet, qua *reſolvens*, *diſcutiens*; in *ſcirrho*, *cancro*, *vitiis glandularum.*

DOSIS Pilula 1 - 30. ſenſim augendo.

OBSERV. Ph. *Hamburg.* conſtant e Pulver. Herb. *Cicutae* - Extr. *Cicut. Viennenſ.* ana Drachm. 2. *Syrup. Cort. Aurant.* quant. ſuffic. ad formand. pilul. Gran. 2. *Doſis* Nro. 1 - 10.

PILULÆ ECPHRACTICÆ ſ. POLYCHRESTÆ.

Rec. Extr. *Acetoſell.* - *Chamom.* - *Gent.* - *Marrubii.* *Myrrhae* ana Drachm. 2. & Scrupul. 2.
Aloes aquoſ. Extr. Unc. dimid.
Gumm. Ammoniac. Drachm. 2. & Scrupul. 2.
Miſceantur ut fiat, Maſſa pilularis. *Piderit.*

VIS *incidens*, *aperiens*, *reſolvens*, leniter *purgans*, *ſanguinis fluxum promovens.*

USUS in abdominis *obſtructionibus*: ad *menſes* & *haemorrhoides* promovendas majori ſtimulo, cui Extr. *Hellebori nigri* Gran. 2. pro doſi poſſunt addi. In *obſtructionibus hypochondriacorum*, & ad proritanda *menſtrua* in *chloroticis*, *Extr. Martis* ad Gran. 6. cum pilul. noſtris combinetur.
Si major *laxandi* l. multo magis *purgandi* vis deſideratur, pilular. harum *Polychreſtar.* & *Extr. Panchymagogi* æquales partes miſceantur.

DOSIS adulto Drachm. dimid. ad quam *Extract. Amaror.* & *Gummi Ammoniac.* Grana 24. ſ. de quolibet Grana 4. & de Extr. *Aloes* Gran. 6. veniunt.

OBSERV. 1) *Polychreſtarum* pilularum titulum retinuimus, ut pharmacopolæ vulgi petitionibus, qui tales pilulas ſub hoc titulo expoſcunt, ſatisfacere poſſint.

2) Alii commendant *Pilulas Ecphracticas* e *Pilul. Rufi* - *Sal. Martis* ana Unc. 2. - *Galban.* colat. Unc. 1. Miſcendi uſui; uti *Pilulas* e *Myrrha* cum *Marte*, e *Myrrhae elect.* Drachm. 6. - *Sal. Martis* Drachm. 2. - Gumm. *Ammoniac.* colat. - Extr. *Sabin.* ana Drachm. 3. *Syr. ſimplic.* qu. ſuffic.

PILVLÆ FOETIDÆ, ſ. GVMMOSÆ.

ſ. *Matricales Sydenham.*

Rec. *Aſae foetid.* - *Caſtorei* ana Drachm. 1. & dimid,
Sal. Succini Drachm. dimid.
Olei Cornu Cervi Scrupul. dimid.
Commixta *Tinctura Myrrhae* redige in maſſam. ad formandas pilulas Gran. 2.
Quidam *Camphoram* addunt & omittunt *Sal. Succini.* Ph. *Suecica*, & *Brunſuicenſ.*

VIS *nervina, antihyſterica, emmenagoga, ſtomachica.*
USUS in paſſionibus *hyſtericis, hypochondriacis.*
DOSIS Gran. 10 - 15 - 40.

OBSERV. Ph. *Edinb.* & *Herbipolit.* communicant eas ex *Aſae foetid.* - *Galban.* - *Myrrhae elect.* ana Unc. dimid. *Olei Succin.* rectific. Drachm. $\frac{1}{2}$ - 1. *Syrup. Menth.* qu. ſuffic. ad pilul. formand.

Ejus *Foetidae martiales* conſtant ex *Aſae foetid.* Flor. Sal. *Ammon. martial.* ana Drachm. 2. *Olei Succini* rectificat. Gutt. 10. *Balſam. Peruv.* qu. ſuffic. ad maſſam pilular.

Ph. *Argentorat.* *Caſtor.* Gran. 15. addit, ad *Galbani*

bani: Myrrhae, - *Aſae foetidae*, ana Drachm. ½.
& *Balſam. Peruvian.* qu. ſuffic.

Ph. *Spielmann. Pilul. foetid. Whytt.* communicat ex *Aſae foetid.* Drachm. 3. - *Aloes* - *Vitrioli Martis* ana Drachm. 1. Miſce fiant pilul. maſſa.

Ph. paup. *Edinburg.* communicat ex *Aſae foetid.* - *Galbani* - *Fuliginis* ſplend. ana Unc. 2. - *Olei deſtillat. Succini* Drachm. 1. & dimid. - *Syr. commun.* qu. ſuffic. Miſce.

PILVLÆ HYDROPICÆ BONTII.

Rec. *Gummi Guttae* pulv. *Vino* diſſol. Drachm. 1. ½.
Scammonei ſulphur. ſ. *Diacryd.* Drachm. 1.
Gummi Ammoniaci Drachm. 1. & dimid.
Tartari vitriolat. Drachm. dimid.
Miſce fiat cum *Gumm. Arabic.* maſſa pilular.

VIS *diuretica*, *reſolvens.*

USUS ad *ſerum* potenter *educendum*, *obſtructiones reſolvendas*; *hydropicis* a Gran. 20 - 30.

OBSERV. Melius e tempore per ſpecies præſcribuntur. *Aloe* quibusdam additum præſcriptionibus, non omnibus conducit.

2) Ph. *Roſſica*, *Pilulas hydragogas* ex *Elaterio*, valde draſticas communicat, e *Gumm. Ammon.* puriſſ. Unc. 2. - *Aloes ſuccotrin.* - *Gambogiae* ana Drachm. 2. - *Elaterii* contr. Drachm. dimid. Miſcendas ad pilulas cum *Tinctura amara.*

Ph. *Pragenſ.* vero e *Sulphur. Antimon. aurat.* Drachm. dimid. - *Mercur. dulc.* Gran. 15. - Extr. Rad. *Belladonn.* Drachm dimid. *Balſam. copaiv.* qu. ſuffic. ad pilul. formand. pondere Gran. 2.

3) *Fordyce* huncce *Bolum* communicat valde *diaphoreticum* - & *diureticum*, e Pulv. Rad. *Squill.* Gran. 10 - 15. - *Piper. Nigr.* - *Nitr.* depurat. ana Gran. 10. - Rad. *Ipecacuanh.* Gran. 5. - *Opii* Gran. 2. ad *Bolum* confic. cum *Syr. alth.* l. *mellc.*

PILVLÆ MARTIALES SYDENHAM.

Rec. *Limatur. Martis* alcoholiſat. Unc. 2.
Extr. *Abſynth.* quant. ſuffic. ad pilul. maſſam.

VIS *tonica, roborans.*

USUS *hypochondriacis hyſtericis, cachecticis,* bis de die Scrupul. 1.

OBSERVAT. Ph. *Herbipolit.* communicat pilul. e *Limatur. Ferri* ſubtiliſſ. triti non rubigin. Unc. dimid. - Rad. *Columb.* pulveriſ. Scrupul. 4. - Rad. *Rhei* exſiccat. - *Cinnamom.* ana Scrup. 2. - Extr. *Abſynth.* qu. ſuffic. ad conficiend. pilulas Gran. 3. conſperg. pulv. *Cinnamom.*

PILVLÆ MERCVRIALES,

Rec. *Mercurii dulcis* rite parati Drachm. 2.
Sulphur. aurati Antimon. Drachm. 1.
Gummi Guaiaci Drachm. dimid.

Miſceantur fiat pulvis, & cum *Spiritus Vini* quantit. ſufficient. fiant *Pilulae.* *Piderit.*

VIS *alterans, reſolvens* potenter, & *corrigens; diaphoretica, ſialagoga.*

VSVS in variis *viſcerum obſtructionibus,* morbis *catarrhalibus,* & *lymphae* vitiis, & in morbis *venereis;* ad *humores corrigendos* peccantes, *obſtructiones reſolvendas;* ad *cachexias, hydropem,* viſcerum *obſtructiones* & ipſos incipientes *ſcirrhos,* continuato vero uſu.

In *morbis venereis, bubonibus* & *ſcabie* venerea, interpoſito interdum *purgante* quodam, ad ſalivationem imminuendam.

Plura vide *Pilulas Venereas.*

DOSIS Grana 12 - 20 - 30.

OBS. 1) *Pilulae* hæ l. *Pulvis* in omnibus fere cum *Pulvere* illo *alterranti Plumieri* convenit, qua præ-

præſtans *reſolvens* in variis viſcerum *obſtructionibus* &c. a *Werlhofio* inprimis laudatum. Quidam componunt eas tantum e *Mercur. dulc. Sulphur. Antimon.* præcipit. ana Drachm. 6. pulveriſatis tum addentur Extractum *Glycirrhiz.* & *Mucilago Gumm. Arab.* ad formand. maſſam.

OBSERV. 2) Ob additum *Guaiacum* pilulæ hæ, in *humorum lentore* & *humoribus viſcidis* eximie præſtant; caute vero adhibendæ ſunt ob *Guaiaci* indolem calidam in plethoricis & exſuccis.

3) Ph. *Auſtriac.* & *Argentorat.* præſcrib. Extracti *Catholici* ſ. *Panchymagog.* Croll. Unc. dimid. - Reſin. *Jalapp.* - *Nucleis Pineis* tritæ, - *Mercurii dulcis* ana Drachm. 2. - *Spiritus Vini* qu. ſuffic. ut fiat maſſa, ad pilulas *mercuriales* purgantes commoda.

4) Ph. *Edinburg.* compoſit. ſuppeditat e *Hydrargyr.* - *Mellis*, ana Unc. 1. - *Micae panis* Unc. 2. ut conterantur in mortario vitreo, ad evaneſcentiam globulorum plenariam, addito quoque prout opus fuerit *Syrup. ſimplic.* cum mica panis & Aqua fiat maſſa dividenda in pilulas quadringentas octoginta æquales.

Ph. *Brunſuicenſ.* combinat *Pilul. Mercurial.* e *Mercur. dulc.* Unc. dimid. cum Extr. *Panchymagog. Croll.* Unc. 1. & dimid. - Pilul. vero *Mercurial. Saponac.* e *Sapon. Venet.* Unc. 1. - Reſin. *Jalapp.* - *Mercur. dulc.* ana Unc. dimid.

PILVLÆ PACIFICÆ VULGO MATTHEWS *Londinenſ.* ſ. *Thebaicae.*

Rec. Gumm. *Ammoniac.* Unc. 3.
Caſtor. Ruſſic. Unc. 2.
Croci elect. - *Opii* ana Unc. 1.
- *Syrup. commun.* qu. ſuffic. ut fiat maſſa pilul.

VIS *expectorans*, *anodyna*, *reſolvens*. *Piderit.*

VSVS in *tuſſi*, affectibus *pectoris*, *aſthmate*.

OBSERV. Ph. *Edinburg.* præſcrib. *Opii* Unc. dimid. Extr. *Glycirrhiz.* Unc. 2. ſeorſim Aqua emollita & in pulpa contuſa, adde *Sapon. Hiſpannic.* Unc. dimid. - *Piper Jamaicenſ.* Unc. 1. pulveris. & bene ſubacta cogantur in maſſam.

PILVLÆ POLYCHRESTÆ,

ſ. *Balſamicae Ruſi.*

Rec. Extr. *Gentian.* Unc. 1. - *Aloes ſuccotr.* - *Croci*, *Myrrhae* ana Unc. dimid.

Commixta ſyrupo cortic. *Aurant.* cogantur in maſſam pilul. Gran. 1.

In Scrupul. 1. ſunt *Aloes* Gran. 4. Ph. *Londin.*

VIS *laxans*, *purgans*, *aperiens*, *reſolvens*, *pellens*, *anodyna.*

VSVS in *obſtruct. menſium* - *haemorrhoidum.*

DOSIS Grana 15 - 20. & ultra.

OBSERV. 1) Ad Ph. *Herbipol.* Rec. *Mercur. praecipit.* per ſe, - *Opii* colati ana Drachm. 1. - *Balſam Peruv.* qu. ſuffic. Miſce fiant pilul. ponder. Gran. 1. conſperg. pulv. *Liquirit.*

2) *Mellin* hancce compoſitionem, qua optimæ notæ, ſic dictarum polychreſtarum commendat. Rec. *Extr. Amari* - *Rhab.* - Pulv. *Sapon. Venet.* ana Drachm. 2. Miſce fiant lege artis pilulæ Granorum unius. *Doſis* Nro. 20.

3) *Selle* hancce communicat compoſitionem Extr. *Hellebor. nigr.* - *Aloes* depur. - Flor. *Salis Ammon. Martial.* ana Unc. dimid. - *Croc. Orient.* Drachm. 2. - *Opii Thebaic.* Scrupul. 1. ad formendas pilulas cum *Eſſent. Rhabarb.* qu. ſuffic. ponder. Gran. 2. conſperg. pulver. *Liquirit.*

4) Aeque commodæ ſunt *Oetingeri* ſ. correctæ *Stahlii* quæ conſtant e Gummi *Junip.* - *Hed.* præparat. ana Unc. 6. - Extr. *Myrrh.* - *Abſynth. vinoſ.* - *Card. bened. vinoſ.* ana Unc. 4. - *Cochlear.* aquoſ.

aquoſ. - *Ellebor. nigr. aquoſ.* - Pulv. *Croci* ſubtil. ana Unc. 2. cum *Terebinth. venet.* qu. ſuffic. ad pilul. formandas; quæ quo vetuſtiores eo meliores.

PILVLÆ RHVDII,

vide *Extractum Catharcticum.*

PILVLÆ SQVILLITICÆ EDINBVRGENS.

Rec. Gumm. *Ammoniaci*,
Radic. *Squillae* recent. ana Unc. dimid. contuſis ſimul in mortar. lapideo, adde
Pulver. *Cardamom. minor.* Unc. dimid.
Miſceantur & fiat maſſa pilularis. *Piderit.*
Adde ad Ph. *Herb.* ſin opus *Balſam. copaiv.* qu. ſ.

VIS *reſolvens*, *aperiens.*

USUS in *obſtructionibus viſcerum abdominis* & *mucoſis morbis pectoris*; in *aſthmate* humido, *nephritide* pituitoſa, & ſabuloſa; in *iſchuria* & *dyſuria* a cauſis ortis pituitoſis; in *leucophlegmacia*, in *hydrope*, *ictero*, *febre quartana.*
Plura vide *Acetum Squilliticum.*

DOSIS a Gran. 10 - 20.

OBSERV. Quidam uti Ph. *Brunſ. Würt. Danica* & *Spielmann.* addunt *Milleped.* Unc. dimid. - *Balſam. copaiv* Drachm. 1. - *Sapon. venet.* Unc. 1. cum *Oxymell. ſquillit.* qu. ſuffic.

PILVLÆ DE STYRACE.

Rec. *Styracis Calamitae electae* Drachm. 2.
Succi Liquir. ſ. *Glycirrhiz.* depur. Drachm. 1.
Opii puri colati, ana Drachm. 1.
Pulveris. cum *Syrupi Papav.* albi ſ. *Eſſent. Succini* qu. ſuffic. fiat pilular. maſſa. Ph. *Suecica.*

VIS uti *Pilul.* de *Cynogloſſo involvens*, *reſolvens*, *ſopiens*, *anodyna*, *anticatarrhalis.*

USUS in *catarrhis*, *tuſſi ferina* ſiſtenda, & *gravidis* cum metu abortus tuſſientibus.

DOSIS Gran. 6 - 8 - 12.

OBSERV. Quidam addunt *Crocum*, *Benzoes*, *Olibanum*, *Myrrham*, *Ambr.* ana Drachm. 1. qua ſuperflua uti Ph. *Auſtriac.* - Alii componunt e *Styrac. Calamit.* Unc. 2. Extr. *Liquirit.* - Pulv. *Croci* ana Drachm. 6. *Opii* colat. Drachm. 5. ad pilul. formand. cum *Balſam. Peruv.* - e quibus continent Gran. 6. - *Opii* Gran. 1. Ph. *Herb.*

PILVLÆ VENEREÆ ſ. ANTIVENEREÆ.

Rec. *Vitrioli Veneris* Unc. 2. ſolve in
Aquae ebullientis Unc. 6. quibus inſtilla
Spiritus Salis Ammoniaci quant. ſuffic.
Ut *Cuprum* coeat, penitusque iterum ſolvatur in liquorem cyaneum. Coletur Liquor, & in vaſculo parum profundo evaporet, calore leniſſimo ad ſiccitatem. Cruſta cyanea in pulverem trita in vaſculo bene obturato ſervetur ſubnomine, *Cupri Ammoniaci*; de quo formentur Pilul. hæ *Caeruleae Edinburg.*

Rec. *Cupri Ammoniaci* Grana 32.
Micae panis Scrupul. 8.
Spiritus Sal. Ammoniac. qu. ſuffic. ut fiat maſſa dividenda in pilulas 64. Ph. *Herbipolit.*

VIS & USUS e titulo patent.

OBSERV. 1) *Pilulae antivenereae Ulffers* conſtant e *Mercur. calcinat.* Scrupul. dimid. - *Sulphur. Antimon. aurat.* tert. præcipit. - *Aſae foetid.* ana Scrup. 1. - *Opii* puri Gran. 5. Miſce fiant pilul. cum *Syrup. Cort. Aurant.* qu. ſuffic. pilul. pond. Gran. 2. *Doſis* Nro. 1 - 2 - 4.

2) Ph. *Hamb.* communicat pil. e *Cupro Ammon.* Gr. 16. Extr. *Valerian. Sylveſtr.* Drachm. 1. ad formand. pilul. Nro. 32. *Doſis* a Nro. 1. aſcendendo.

Ph. *Pragenſ.* communicat e *Mercur. corroſ.* Gran. 2. ſolvend. in *Aqua font.* qu. ſuffic. addend. *Micae panis* Drachm. 1. ad formand. pil. Gr. 2.

Pharm.

Ph. *Hamb.* pauper. cupit *Mercur. ſublim. corroſiv.* Gran. 2. ſolv. in *Aquae fontan. deſtill.* qu. ſuffic. addend. Pulv. Herb. *Cicutae* Scrupul. 2. - Extr. *Cicut.* qu. ſuff. ut fiant pil. Nro. 16. *Doſis* Nro. 1-4.

PILVL. ANTI - VENEREÆ MERCVRIALES *Plenck.*

Rec. *Mercurii* puriſſimi Drachm. 1,
Gumm. Arabic. Drachm. 2. adde conterendo *Syrup. Violar.* cochlear. 1. probe mixtis adde Extr. *Cicutae* Drachm. 1.
Miſce fiat cum pulv. *Glycirrhiz.* qu. ſuffic. Pilulæ ponder. Gran. 2. *Doſis* Nro. 6.

VIS *haemocatarctica, reſolvens, diſcutiens.*

USUS ad humores depravatos, *cacochymiam;* ad *luem veneream* ſine ſalivatione ſanandam.

OBSERVAT. 1) *Mellin* combinat *Mercur. dulc.* Drachm. dimid. cum *Terebinth. coct.* Drachm. 2. ad formandas pilulas ponder. Gran. 2. *Doſis* 2 - 3. qua *ſialagogum*, in *cacochymia* humorum commendat.

2) *Pilulae* ſic dictæ *majores Mercurial. Hoffmanni* conſtant e *Mercur ſublimat.* Gran. 15. perfecte ſolut. in *Aquae deſtill. commun.* qu. ſuffic. & tunc addantur, *Micae panis* albi Drachm. 6. bene mixtis ad formandas pilul. Nro. 186. - pro doſi 6. quæ *Mercur ſublimat.* Gran. dimid. circiter continent. Quibus qua pilulæ non arrident, iis pulveriſatæ conveniunt.

3) *Pilulae* e *Mercurio corroſivo* albo alias componuntur e *Mercur. corroſ. albi*, - *Sal. Ammoniac.* depur. ana Scrup. 1. - *Aquae deſtillat.* qu. ſuffic. ut deliqueſcant: Tum adde, Rad. *Altheae* pulverat. Scrupul. 16. - *Mellis elect.* Drachm. 2. Mixta redige in maſſam pilular. Gran. 3. Singulæ hæ pilulæ continent *Mercurii corroſivi* octavam partem Grani. Ph. *Brunſuicenſ.*

Plum.

PLVMBVM VSTVM,

ſ. *Plumbum* in calcem griſeam liquatum.

Rec. *Plumbi* quant. plac. Liquetur in vaſe terreo non vitreato, ac ſub continuo motu cum ſpathula ferrea, in hac detineatur fuſione, donec totum in pulverem abierit, *Calcis* inſtar. *Piderit.*

VIS *exſiccans*, *adſtringens*, externe.

USUS ad *varia remedia externa.*

OBSERVAT. Ad Ph. *Danicam* ſumuntur *Scob. Plumbi* Unc. 24. - *Sulphur. Citrin.* Unc. 12. Mixta in crucibulo, operculo obiter tecto, calcinentur. Materia calcinata ſæpius abluetur, exſiccetur, redigetur in pulverem.

POMADE EN CREME BEAVME,

vide *Ceratum coſmeticum.*

POMPHOLYX, vide *Nihilum album.*

POTIVNCVLA RIVERI,

vide *Aëris fixi* præparatio.

OBSERVAT. Pro conditione morbi, ejusque ſymptomatum ad potiunculam ſuam, ſuadet *Riverius*, vel *Acidum* mite *Aceti*, vel *Acidum Succi Citri*, vel *Acidum* fortius *Vitrioli*, ad prius ſumtum *Alkali vegetabile Aqua* dilutum.

POTIO AMMONIACA RICHARD.

Rec. *Gumm. Ammoniac.* Drachm. 2. diſſolvant. in
Oxymell. ſquillitic. Unc. 1. & dimid.
Ptiſan. commun. Unc. 12. Miſceantur.

USUS *aſthmaticis* ad cochlearia 2. alternis horis.

POTIO ASTHMATICA MILLAR.

Rec. *Aſae foetid.* Drachm. 2. ſolve in
Spiritus Mindereri Unc. 1. adde
Aquae font. Unc. 3. Miſce. *Doſis* cochlear.

VIS

VIS & USUS e nomine patent, qua eximium *pectorale - reſolvens.*

POTIO CRETACEA.

Rec. *Cretae* præpar. - *Gumm. Arabic.* ana Unc. 1.
Sachari puriſſim. Unc. dimid.
Aquae commun. Unc. 24. & *Nuc. Moſchat. ſpirituoſ.* Unc. 2. Miſce. Ph. *Edinburg.*

VIS *involvens, obtundens.*

USUS in *diarrhoea - dyſenteria*, - in *ſoda* per *cyathus.*

OBSERV. *Potio* ad *Hydropem Maſſariae:* Rec. *Succ.* Rad. *Ireos noſtr.* rec. expreſſ. Unc. 3. *Mannae calabrin.* Unc. 1. & dimid. Miſce.

VIS & USUS e titulo patet.

PTISANA.

Veteribus *Medicis* dicebatur *Decoctum Hordei* mundati, hodie pro decocto, quod potus ordinarii vicem ſuſtineat, uſurpatur.

PVLPA CASSIÆ.

Rec. *Fiſtulae Caſſiae ponderoſae* quant. plac.
Eximatur *Medulla* ex apertis fiſtulis una cum ſeminibus & diſſepimentis, quæ omnia ebulliant in ſufficiente quantitate
Aquae communis fervidæ, ad perfectam medullæ ſolutionem. Solutio per ſetaceum l. cribrum trajecta inſpiſſetur leni igne ad *Mellis* conſiſtentiam Unc. 12. addendo demum *Mell. elect.* vel *Sachari canarienſ.* Unc. 6. quæ leni igne ulterius inſpiſſantur ad pulpæ conſiſtentiam.

VIS *temperans, refrigerans, laxans, eccoprotica*, tormina vero intus ſumta facile *excitat, clysmatibus* hinc tantum ad Uncias aliquot additur acrimoniam ſeri *demulcet*, cæterum *diuretica.*

USUS ad educendum meconium infantum recens natorum a Gran. 30-40. in *alvo adſtricta, ſpasmo;*

mo; ad *tormina;* ad *bilem* & pituitam blande educendam. In affectibus *urinariis*, & *pectoris*.

DOSIS *Pulpae* Unc. 2. forma Electuarii dantur, l. fructuum Unc. 4. cum *Aquae* Unc. 12. decoquuntur; aut pulpæ Unc. 2. cum *Aquae* Unc. 6. diſſolvuntur.

OBSERV. 1) Quidam autores ab ejus uſu, *lotium* viridiuſculo - nigrum obſervarunt, quod alii negant. *Piderit.*

2) Ph. *Roſſica* ſimplici valde via præparat eam; ut *Medulla* e fructu *Caſſiae* in *Aqua* ſoluta & per cribrum trajecta, ad *Mellis* fere conſiſtentiam revocetur, addita tum *Sacharis* albiſſim. dimidia parte, quo dein ulterius inſpiſſatur.

Ph. *Herbipolit.* ſuadet ad ſingulas Libras ſolutionis ut addentur *Sachari* Unc. 4.

PVLPA POMORVM.

Rec. *Pomorum dulcium* quant. plac. coquantur in *Aqua*, transprimantur per filtrum.

USUS ad *cataplasma ophthalmicum.* *Plenck.*

PVLPA TAMARINDORVM.

Paratur uti *Pulpa Caſſiae.*

VIS eximie *laxans eccoprotica antiphlogiſtica*, *ſitim ſedans*, *antiſeptica*, *refrigerans*, *antibilioſa*, *ſolvens*, *obtundens. Humectans*, *ſanguinem temperans* & *bilem*, eamque *educens.*

VSVS ad *obſtruct. alvi;* acrimoniam bilis *corrigendam*, *mitigandam*, inprimis *bilioſis;* in *febribus omnibus* & morbis qua univerſale *antiphlogiſticum*, *temperans*, *laxans*, *diluens;* in *febribus acutis*, *bilioſis putridis*, *inflammatoriis.*

In morbis a *ſaburra bilioſa*, inteſtinali: uti in *eryſipelate*, in *intumeſcentia* veſicæ felleæ a calculo fellis.

DOSIS ab Unc. 1 - 3. ſcopo *laxante*, cum aliis reme-

mediis; in *ſero lactis*, uti *Cremor. Tartar.* Drachm. 2 - 3.

OBSERVAT. 1) Pro potu ordinario *temperante - diluente - antiphlogiſtico* in *ſebrib. acutis - putridis - inflammatoriis* confert *Decoctum* hoc, e *Pulp. Tamarindor.* Unc. 1. ſolut. in *Aqu. font.* fervid. Unc. 48. colaturæ ut addentur *Nitri depur.* Drachm. 2. *Roob Ribium* Unc. 1. Miſceantur.

2) Eodem ſcopo *Pulpa noſtra* in tali, l. pro rerum circumſtantiis modo majori, modo minori portione, Sero *Lactis* l. Decocto *Hordei* additur. *Piderit.*

3) Non *convenit* in connexione cum *Salibus mediis*, acidum continentibus vegetabile, quæ decomponuntur, uti *Tartarus tartariſatus* in combinatione cum *Pulpa Tamarind.* coctione & filtratione horum duorum corporum apparet, nimirum poſt quoddam tempus ſedimentum notabile, *Cremori Tart.* regenerato ſimile. *Selle.*

PVLVIS ABSORBENS, vide *Pulv. Digeſtivus.*

PVLVIS ALEXIPHARMACVS SINICVS,
ſ. *Antilyſſicus Londinenſis*, vide *Pulv. Tunchinenſis.*

PVLVIS ALTERANS PLVMER,
ſ. *Edinburgenſium.*

Rec. *Mercur. dulcis*, ſ. *Panaceae Mercurialis*,
Sulphur. Antimon. aurat. ana Unc. 1. tere in mortario diu, usque dum fiat pulv. ſubtiliſſ.

VIS *reſolvens.*

VSVS ad varios *morbos cutaneos;* ad *impurit. lymphae corrigendas;* ad *miasma venereum;* ad *tumores rhevmaticos - ſcrophuloſos, tineam, herpetem.*

DOSIS Grana 8 - 10. bis de die l. continuato uſu raro *ſalivationem* excitat.

OBSERV. 1) *Camphora* ſi additur, ſurgit *Mercurius diaphoreticus Klein.*

2)

OBSERV. 2) *Plenck* & Ph. *Herbipolitan.* addunt *Gummi Guaiac.* & *Sachari* ana Drachm. 3 - 4.

PVLVIS ANODYNVS.

Rec. *Pulver. Diatragacanthae* Unc. 2.
Extr. *Opii* Gran. 2. Miſceantur inter ſe exacte.

VIS *anodyna*, *ſopiens*, *leniens*.

VSVS ubi in *forma ſolida* lene *anodynum* petitur, cujus Drachma 1. *Opii* tantum octavam Grani partem continet. *Piderit.*

OBSERVAT. *Pulvis anodynus Dower* conſtat e *Nitro* - *Tartaro vitriolato* ana Unc. 2. Injiciantur in crucibulum candens, ibique relinquantur, donec omnis ſcintillatio ceſſaverit, ſat refrigeratus redigatur in pulverem cui addantur, Pulv. *Opii*, - *Liquiritiae*, - *Ipecacuanh.* ana Unc. 1. Miſceantur exacte, ad *uſum* in ſiſtendis *alvi fluxibus* & *haemorrhagiis* ad Drachm. 1. *Spielm.*

PVLVIS ANTIFEBRILIS,
ſ. *Antiſpasmodicus*, ſ. *Nitroſus.*

Rec. *Nitri vitriol.* Unc. 2. - *Nitri depur.* Unc. 4. Miſce fiat pulvis, - cui ſi addas *Cinnabaris factitiae* partem dimidiam, exhibet tum *Pulverem nitroſum cinnabarinum* ſ. *antiſpasmodicum Stahl.*

VIS & VSVS e nomine patent. Ph. *Roſſica.*

OBSERV. 1) *Pulvis antifebrilis James* conſtat ad *Saunder* - *Guy* e *Tartar emet.* - *Calc. Antimon. nitrat.* ana Gran. 20. Mixtas ad pulverem in 4. partes dividend. ad uſum omni 3 - 4. horio 1. Doſis ſcopo *antifebr.* & primas vias purificandas.

2) *Pulvis antiſpasmodicus communis* ſ. *temperans*, Ph. *Auſtriac.* conſtat e *Conch. pptis.* - *Tartar. vitriolat.* - *Nitri depurat.* ana Drachm. 6. *Cinnabar. factit.* Drachm. 3. Mixta pulveriſanda.

Mellin ſuadet *Nitri depurat.* - *Cremor. Tartar.* ana Unc. 2. Miſce fiat pulvis, & addito *Camphorae* Gran. 2 - 4. fit *Camphoratus.* Pulvis

PVLVIS ANTISEPTICVS.

Rec. Pulv. Cortic. *Peruv.* - *Rutae* ana Unc. 2.
- *Camphor. Spiritu Vini* tritæ Unc. 3. Miſce,

USUS Inſpergitur *ulceribus* - ac *vulneribus partibus gangraenoſis.* *Plenck.*

OBSERVAT. Ph. *Hamb.* & *Pragenſ. pauper.* ſuadent *Cortic. Peruv.* Drachm. dimid. *Camphor.* Gran. 3. Miſce fiat pro doſi, & ſcopo *reſolvente*, ſimul addendum ſuadent *Sulphur. aur. Antim.* Gran. 2.

PVLUIS ANTISPASMODICVS ROSENSTEIN,
vide *Pulvis ſedativus.*

PVLVIS ARI COMPOSITVS,
vide *Pulvis ſtomachicus Birckmanni.*

PVLVIS BALSAMICVS.

Rec. Pulver. *Maſtichis* - *Myrrhae.*
- *Sarcocoll.* ana Unc. 1. Miſce.

USUS *oſſibus denudatis*, aut *carioſis*, *tendinibus* ac *ligamentis* nudis l. corruptis inſpergendum, - ad *corruptionem* arcendam. *Plenck.*

PVLVIS CATHARCTICVS - LAXANS.

Rec. Rad. *Ipecacuanh.* - *Rhabarb.* el. ana Unc. 2. Miſce fiat pulv. VIS & USUS e nomine patent; cujus *vis* augetur addit. Gr. 48. *Tartar. emet.*

PVLVIS CARTHVSIANORVM,
vide *Kermes Minerale.*

PVLVIS CAVSTICVS.

Rec. *Alumin. uſti* Unc. 1.
Mercur. praecipit. rubr. Unc. dimid. Miſce.

USUS ad conſumendam *carnem luxuriantem* inſpergitur in *ulcera* & *vulnera fungoſa.* *Plenck.*

PVLVIS E CERVSSA LONDINENSIVM,
ſ. *Trochiſci albi Rhazis.*

Rec. *Ceruſſae Venetae* Unc. 5.

Gummi *Sarcocollae* Unc. 1. & dimid.
- *Tragac.* Unc. dimid. Miſce fiat pulvis.

USUS ad *ſiccanda ulcera*, & curandum *eryſipelas* externe, ſed caute.

PVLVIS CONTENT DICTVS.

Rec. *Sachari canarienſ.* Unc. 12.
Oryzae Unc. 8. - *Cinnam.* Unc. 1. & dimid.
Caryophyllor. Drachm. dimid.
Vanigliae Drachm. 1. & dimid.
Redigantur in pulverem & miſceantur.

USUS *Chocoladae* ſubſtituendi. *Spielmann.*

PVLVIS CONTRAYERVÆ COMPOSITVS.

Rec. Radic. *Contrayerv.* Drachm. 6.
- *Serpentar. Virgin.* Drachm. 2.
Lapid. Cancror. præparat. Unc. 1.
Miſceantur in pulverem. Ph. *Londinenſ.*

VIS *antifebrilis, alexipharmaca, ſudorifera.*

PVLVIS CORNACHINVS,

ſ. *Comitis* de *Warwick* ſ. *Diatrion.*

Rec. *Scammon.* præpar. l. *Diacryd. ſulph.* Unc. 2.
Antimon. diaphoret. Unc. 1. & dimid.
Cremor. Tartari Unc. dimid.
Miſce fiat pulvis. VIS *purgans* forte.

OBSERV. 1) *Mercurius* huic pulveri additus venenum exhibet, utiquam diu commixtum, & qua antiquum, adhibitum.

2) Ph. *Roſſica* præſcrib. *Scamm. aleppenſ.* Unc. 2. - *Calcis Antimonii* Unc. dimid. - *Tartari depurat.* Unc. dimid. Miſce fiat pulvis.

Ph. *Leidenſis* præſcribit partes æquales.

PVLVIS DENTIFRICIVS.

Rec. *Cortic. Peruvian.* Unc. 2
Radic. *Ireos florentin.* Unc. 1.
Salis Ammoniaci depurat. Unc. dimid.

San-

Sanguinis Dracon. Drachm. 6.

Gumm. *Myrrhae* Drachm. 3. Miſce fiat pulvis.

VIS *detergens*, *mundans*. *Piderit.*

VSVS ad *dentes purificandas* - *dealbandas* ; ad *mucum tartareum* non ſolum a *dentibus detergendum*, ſed - frictione gingivarum iſto pulvere *roborandas*, *vacillantes dentes firmandas*, & *ſcorbutica gingivarum profluvia* ſiſtenda, hinc inſervit quoque - eximie *incolis* ad *littora* maris *viventibus*,

OBSERV. 1) Omni die *gingivae pulvere* iſto ſollicite ſunt fricandæ, neutiquam vero *dentes* ipſi, ne nitorem ſuum crebiori tali frictione amittant. *Pulvis* iſte omni 14. dierum ſpatio, dentibus fricatus, ſufficit, & ſaltim omni die diligenter os Aqua colluatur pura. Sin vero negligentia jam *dentes*, mucore tartareo ingenti obducti, & nigricantes occurrunt, convenit tum optime ut ante uſum hujus pulveris primum quovis die, pulverato pane uſtulato aliquamdiu *dentes* p..rgentur. *Piderit.*

2) Alii commendant e *Pulv. Conch. pptar.* l. *Cornu Cervi* Unc. 1. - *Cryſtall. Tartari*, - Rad. *Irid. florent.* - Cortic. *Peruv.* - *Myrrhae* ana Drachm. 2. ad pulveris - *Mellin.* - Alii addunt loco Cort. *Peruv.* & *Myrrhae* - *Caryophyll.* & *Nuces Moſchat.* ana Drachm. dimid.

3) *Pulvis dentifricius viridis R . . s* eximie virtutis e Fol. *Salviae* probe ſiccatis, Unc. 1. - *Cruſta panis* probe uſt. Unc. 1. - *Sale commun. decrepitato* Unc. 1. - *Nuc. Moſchat.* uſtæ Nro. 1 - 2. - *Caryophyllor.* Drachm. 1. Miſce fiat pulvis ſubtilis.

4) *Lotio* pro *Gingivis*. Rec. Cort. *Peruv. contuſ.* Unc. 1. coqu. cum *Aquae fontan.* Unc. 24. ad Unc. 12. colatur. addend. *Aceti Vini albi* Unc. 4.

Mel. roſac. Unc. 1. - *Alum.* Drachm. 1. Miſce.
Alii ſuadent ad *lotionem gingivalem Fol. Salv.* Unc. 1. coqu. in *Aquae ſontan.* Unc. 24. ad reman. Unc. 1. cui addend. ſunt *Aceti Vini albi* Unc. 4. - *Alum. crud.* Drachm. 1. Miſcendi uſui.
VIS & USUS e nomine. *Halyt.*

PVLVIS DIAPHORETICVS,

ſ. *alexiterius Dower.*

Rec. *Tartari vitriolat.* Unc. 4. & dimid.
Opii - Rad. *Ipecacuanh.* pulver. ana Unc. dimid.
Miſce fiat pulvis ſubtilis diu terendo. Ph. *Edinb.*
VIS & USUS e nomine patent.

1) Alii ſuadent *Opii puri* Gran. 2. - Pulv. *Ipecac.* Gran. 3. - Pulv. *Nitri* Scrupul. ½. - *Syrup. commun.* qu. ſuffic. ad *Bolum.*

2) Ad Ph. *Suecic.* ſumuntur *Tartari vitriolati* ſ. *Alcali vegetabil. vitriolati* Drachm. 9. *Ipecacuanh.* - *Opii* ana Drachm. 1. commiſceantur ad pulverem; in cujus Gran. 11. ſunt *Opii* Gran. 1.

PVLVIS DIGESTIVUS,

ſ. *abſorbens.* ſ. *incidens Stahl.*

Rec. *Cryſtallor. Tartari* Scrupul. 1.
Rad. *Ari* pulver. recent. Grana 10.
Miſce fiat pulvis. *Mellin.*
Si loco *Cryſtallor. Tartar.* ſumuntur *Lapid. Cancror.* exhibet pulv. *incidentem Stahl.*

VIS & USUS e nomine patent; ad *corrigendas acidas* cruditates, & *incidendas viſcidas* in primis viis.

DOSIS a Gran. 20 - 40.

OBSERV. Ph. *Suecica* compoſitionem communicat e *Sal. Catharctic. Anglic.* - *Rhabarb.* ana partibus æqual. commiſcendis ad pulverem.

Pharm.

Ph. *Brunſuicenſ.* compoſit. conſtat e *Sal. Sedlic.* Unc. 2. - *Nitr. depur.* - *Cremor. Tartar.* - *Pulv.* rad. *Ari* ana Unc. 1. - *Sal. Ammoniac.* depurat. Drachm. 6. Miſce ut fiat pulvis.

Ph. *Danica* & *Mellin*, ſuadent *Tartar. vitr.* Unc. 2. - *Conchar. citrat.* Unc. 1. - *Radic. Ari* Drachm. 2. Miſce in pulverem tenuiſſimum; cui quidam addunt *Rhei elect.* Drachm. 2.

Ph. *Würtenb.* e *Conchis* præparat. Unc. 1. - & *Tartar. vitriol.* Unc. 2. ad pulverem miſcendum.

Ph. *Hamb.* & *Pragenſ.* e Rad. *Ari* præpar. - *Sal. Ammon.* depur. ana Drachm. 3. - Flaved. Cort. *Aurant.* Drachm. 2. Miſce fiat pulvis. *Doſis* cochlear parvum.

PVLVIS - ſ. SPECIES - DIATRAGACANTHÆ.

Rad. Gummi *Tragacanthae*, - Radic. *Althaeae*, *Sachari albi* ana Unc. 2. Miſce fiat pulvis. *Piderit.*

VIS *involvens*, *demulcens*.

VSVS ad *acres* & *ſalſos* humores *involvendos*, in *aſperitate*, *raucitate*, *arroſione* faucium, *dyſenteria*, *urinae ardore*; ad *corrigenda* alia remedia.

DOSIS ad Drachmas plures pro lubito pulvis hic lambitur.

PVLVIS DIATRION, vide *Pulvis Cornachinus*.

PVLVIS DYSENTERICVS.

Rec. *Rhabarb.* optim. Unc. 1.
Cornu Cervi uſti prpti. ſ. *Magneſiae* Unc. dimid.
Gummi *Arabic.* Drachm. 3.
Cort. *Caſcar.* Drachm. 2. Miſce in pulv. ſubtil.

VIS & VSVS e titulo, qua *adſtringens*, *tonicum* caute tamen in congruo ſtadio - & ſpecie *dyſenteriae*. *Spielmann.*

OBSERV. Ph. *Würt.* præſcribit e Rad. *Contrayerv.* Unc. dimid. - *Tormentill.* - *Cornu Cervi uſti* præparat. ſ. *Magneſiae albae*, - Drachm. 3.

 Gummi

Gummi *Arabici* - *Maſtiches* ana Drachm. 2. commiſcendas ad pulverem.

Ph. *Hamb.* & *Pragenſ.* communicant e Rad. *Arnic.* Drachm. 5. - Cortic. *Caſcarill.* - *Winteran.* ſ. *Canellae albae* ana Drachm. 1. & dimid. M. f. p.

Mellin ſuadet tantum Radic. *Ipecacuanh.* - *Rhab.* ana quant. plac. Miſce.

PVLVIS FVMALIS ORDINARIVS.

Rec. *Olibani* ſ. *Thuris* - *Succini albi*,
Maſtiches ana part. 3. - *Styr. Calamit.* part. 2.
Benzoes - *Ladani* ana part. 1.
Miſce fiat *Pulvis* groſſus. Omiſſis *Olibano* & *Succino* habetur *Pulvis fumalis nobilis*, cui, ſi cum floribus exigitur, adde Ph. *Roſſica.*
Florum *Lavendul.* - *Roſar. rubrar.* ana part. 1.

USUS ad *ſuffimenta*, *odore* grato ſuavi ſe commendans.

OBSERV. Alii uti Ph. *Auſtriac.* addunt *Sandarac.* & flor. *Cyan.* qua ſuperflua.

PVLVIS GALACTOPOEVS ROSENSTEIN.

Rec. *Magneſiae albae* Unc. 1. - Flav. Cort. *Aurant.* Semin. *Fœniculi dulc.* ana Drachm. 1.
Sachari albi Drachm. 2. Miſce fiat pulvis.

VIS & USUS e titulo patet.

Nutricibus ad aliquod *Cochlearia* parva in die datur, ad *lac* augendum, ab *aciditate* eam defendendam, & præmuniendam, *alvumque* apertam ſimul retinendam, ventriculi vires conſervandas.

OBSERVAT. Ph. *Brunſuic.* & *Danica* compoſit. parum differt ratione doſeos, *Magneſ. alb.* Unc. 1. Semin. *Foenicul.* Unc. dimid. - Flaved. Cortic. *Aurant.* - *Sachari albi* ana Drachm. 2. Miſce in pulverem.

PVLVIS INFANTVM.

Rec. *Magneſ. alb.* Unc. 1. - Sem. *Fœnic.* Drachm. 1. *Sachari canarienſ.* Unc. dimid. Miſce fiat pulvis.

VIS

VIS *abſorbens*, *carminativa*, *ſtomachica*.

USUS ad *infantum dolores ventris*, loco tam noxiorum opiatorum l. aliorum inanium remediorum; ad *tormina*; ad *acidum primarum* viarum involvendum; *Plura* vide *Magneſia*.

DOSIS Grana 6 - 15. ter quaterve in die.

OBSERV. 1) *Pulvis infantum temperans*, *abſorbens*, *reſolvens*, *anodynus*, *diaphoreticus*. *R..s.* conſt. E *Magneſ. alb.* ſimp. Drachm. 6. - Rad. *Irid. flor.* - Semin. *Anis* ana Drachm. 2. - *Croc.* - *Sulph. crud.* ana Drachm. 1. - *Sachar. canar.* Drachm. 2. Miſce in pulverem. a Gran. 20 - 40.

2) Ad Pharm. *Auſtriac.* ſumuntur *Magneſiae albae* - *Lapidum cancrorum* ana Drachm. 6. - Rad. *Althaeae* Drachm. 3. - Semin. *Aniſi* - *Fœniculi* ana Drachm. 1. ½. - *Croci* Scrupul. 2. - *Sachari* Unc. ½. Miſce fiat pulvis.

Ph. *Suecica* præſcribit tantum *Magneſ. alb.* Unc. 1. - *Rhabarb.* Drachm. 1. Miſcendi ad pulverem.

Mellin commendat *Lapid. cancror. pptor.* l. *Magneſ. alb.* Unc. 2. - *Cinnamomi* Drachm. dimid. Miſce fiat pulvis.

PVLVIS LAXATIVUS VEGETABILIS.

Rec. *Pulver. Radic. Jalapp.* Unc. 2.
- *Reſin. Jalapp.* Drachm. 3. & Gran. 12.
Cremor. Tartar. Unc. 2.
Scammonei aleppenſ. Drachm. 2. & dimid.
Pulver. Cinnamom. Drachm. 1. & dimid.

VIS & USUS e nomine. Ph. *Brunſuicenſ.*

OBSERV. 1) Ph. *Danica* & *Auſtriaca* præſcribunt ſub nomine *Pulver. Purgantis*, Rad. *Jalapp.* Unc. 3. - *Tartar. vitriol.* Unc. 1. & dimid. - *Olei Aniſi* l. *Menth. piperitid.* Drachm. dimid. ad pulverem miſcendas.

2) *Pulvis Laxans* & in majori *doſi purgans*. Rec. Pulver. Rad. *Jalappae* Drachm. ½. - *Cremor.*

Tartari Scrupul. 1. Miſce fiat pulvis pro una doſi. *Mellin - Guy.*

PVLVIS LIMONADE.

Rec. *Sachari albi* Unc. 9. quibus
Flavedo Corticum Citri fricatur, ad pulverem ſubtilem redigitur tum &
Succus e *Malis Citri* 4. inprimitur, maſſa hæc leni calore ita exſiccatur, ut ad pulverem ſubtilem poſſit redigi. Cui pulveri miſcentur.
Cremoris Tartari Unc. 6.

VIS *temperans*, *reſrigerans*, *reficiens;* leniter *diuretica*, *laxans.*

USUS Pro potu ſuavi in calore nimio dierum æſtivalium: in *orgasmo - plethora* nimia ſanguinis; in affectibus *febrilibus.* *Elwert.*

DOSIS quotidie ad Unc. 1. in *Aqua fontana.*

OBSERV. 1) Alia formula mere *temperans* eſt, ſi *Elaeoſachari* Unc. 2. & dimid. fricatione *Sachari* cum Flaved. Cortic. *Citri* acquiſiti, cum *Sal. Acetoſell.* Scrupul. 2. miſcentur, de quo tot cochlearia parva in *Aqua fontana* ſolvuntur, ac ſufficiunt ad gratum & ſuaveolentem ſaporem.

Aliæ præſcriptiones *Elaeoſacharo* additis *Nitri*, - *Salis Tartari* qu. determinata, ſunt partim incongruæ nec tam exoptati effectus.

2) Alii uti *Delius* ſub nomine *Cryſtalli Tartari Citrati* cum *Sacharo*, pulverem hunc redigunt.

3) Alii ſumunt *Cremor. Tartar. - Elaeoſach. Citri* partes æquales.

PVLVIS MANVALIS.

Rec. *Amygdal. amarar.* excorticat. Unc. 48.
Farin. Oriz. Unc. 26. - Pulv. Rad. *Irid. Florent.*
Cret. praeparat. ana Unc. 2.
Farin. Fabar. Unc. 12. - *Sal. Tartar.* Unc. 1.

Olei

Olei Jaſminni Unc. dimid.
- *Lign. Rhodii* Drachm. dimid. Miſce.

VIS *coſmetica.* *Plenck.* Ph. *Brunſ.*

USUS ad manuum aliarumque partium ſordidarum *lavacra.*

OBSERV. Ph. *Würtenb.* addit *Benzoes,* - *Spermaceti* ana Unc. 1. - *Olei Lavend.* - *Caryophyll.* Gutt. 30. Miſce.

PVLVIS NITROSVS, vide *Pulvis Antiſebrilis.*

PVLVIS PLVNKETI AD CANCRVM.

Rec. Folior. *Ranuncul.* flammei Manipul. 2.
Herbæ *Cotulae ſoetid.* Manipul. 1.
Arſenici albi Drachm. 2.
Flor. *Sulphur.* Drachm. 1. Miſce in pulverem.

USUS ad ſummum *cancri dolorem* conſumendum, qua ſpecificum laudatum eſt. Cum *albumine ovi* paſtam exhibet, quæ *ulceri* impoſita & veſica bene firmata, per 24 - 48. horas relinqui debet. *Arſenicum* in eo contentum ſumme cautum ſemper requirit uſum, hinc ulterioribus experimentis *uſus* ejus eſt confirmandus. *Pulvis Flammulae Jovis* pro *cauſtico* ad *cancrum* tutius interne adhibetur. *Plenck.*

PVLVIS PVRIFICANS KÆMPF.

Rec. *Antimonii crudi* pulverat. Unc. dimid.
Magneſiae albae Drachm. 1.
Sachari canarienſ. Drachm. 5.
Flor. *Caſſiae* Drachm. dimid.

VIS *purificans*, *diaphoretica*, *abſorbens*, *acidum involvens.*

USUS *acidorum* humorum in ventriculo contentorum acrimoniam involvendam, abſorbendam. Plura vide *Antimonium* crudum præparatum.

DOSIS a Drachm. dimid. ad unam.

PVLVIS SEDATIVUS SVECORVM,
ſ. *antiſpasmodicus Roſenſtein.*

Rec. *Opii* Scrupul. dimid.
Nitri depurat. Scrupul. 5. & dimid.
Sachari albiſſimi Unc. 1. commiſc. ad pulver. in cujus Drachm. 1. ſunt *Opii* Gran. 1. Ph. *Suec.*

VIS & USUS e nomine patet.

PVLVIS SQVILLÆ COMPOSITVS.

Rec. Radic. *Squillae* recent. præparat. Drachm. 1.
- *Vincetoxici* Drachm. 6..
Nitri depur. Unc. 1. Miſce fiat pulvis.

VIS *diuretica*, *reſolvens*, *diſcutiens*.

USUS *Pulveris* hujus, ab *Helmontio*, *Stahlio* jam laudati confert in *catarrho ſuffocativo*, in *aſthmate* tam *humido* quam *ſpasmodico*, in *cachexia*; *obſtructionibus viſcerum*; & inde ortis morbis *leucophlegmaticis*, *oedematoſis*, & *hydropicis*. In vitiis primarum viarum urinarium, *nephritide*, *iſchuria*. *Piderit.*
In morbis *aſthmaticis* ad Scrup. 1. pro doſi. *Spielm.*
Plura vide *Acetum ſquilliticum.*

DOSIS in initio in minori doſi, ne vomitum excitet ſquilla a Gran. 4 - 6 - 20 - 30.

OBSERVAT. 1) *Squillae* pulvis ſi *ventriculum* irritaret *Camphora*, l. *Opium* addita multum levat.

2) Ph. *Brunſuic.* ſuadet tantum Rad. *Squill. recent.* Unc. 12. in mortario marmoreo, piſtillo ligneo in pultem ut contundet. & cum pulvere Radic. *Vincetoxic.* impaſtetur: Maſſa leni calore exſiccata - denuo tum pulveriſetur.
Ph. *Danica* præſcribit partes æquales.

3) *Mellin* ſuadet tantum Radic. *Squillae* ſiccæ Drachm. dimid. - Cortic. *Cinnamom.* Unc. dimid. Miſce exacte fiat cum l. ſine *Sachari* qu. ſuffic. pulvis.

Pulvis

PVLVIS E SENA COMPOSITVS-PVRGANS.

ſ. *Pulvis Diaſennae.*

Rec. Fol. *Sennae*, - *Cryſtall. Tartari* ana Unc. 2.
Scammonii Unc. $\frac{1}{2}$. - *Caryophyll. aromaticorum*, *Cinnamomi*, - *Zingiberis*, ana Drachm. 2.
Scammonium per ſe, cætera ſimul in pulverem rediguntur; deinde miſcentur.

Grana 21. continent *Sennae* Gran. 8. *Cryſtallor. Tartari* gran. 8. *Scammon.* gran. 2. Ph. *Londin.*

VIS & USUS e nomine patent.

OBSERVAT. Ph. *Suecica* ſuadet *Fol. Sennae* Unc. 2. - *Scammon. Aleppenſ.* Unc. 1. - *Cremor. Tartar.* Unc. 4. commiſcend. in pulverem, in cujus Gran. 42. ſunt *Sennae* Gran. 12. - *Scamm.* Gr. 6.

PVLVIS AD STRVMAS.

Rec. Pulver. *Spongiar. toſtar.*
Milleped. præparat. ana Unc. dimid.
Nitri depur. - *Muſci Corallin.* ana Drachm. 2.
Sachari canarienſ. Unc. dimid.
Miſce fiat pulvis. Ph. *Brunſuicenſ.*

VIS & VSVS e nomine patent; qua *adſtringens* in *ſtruma* nondum indurata - *diureticum* ad Gr. 10 - 30. cum *Sacharo* l. cum *Syrupo*. - præmiſſo *laxante.*

OBSERV. Ad Ph. *Würt.* ſumuntur *Spong. combuſt.* Unc. 9. - *Arcan. duplicat.* Unc. 2. - Rad. *Vincetoxic.* Unc. 1. - *Cinnamom.* Drachm. 2. pulveriſata miſcendi.

PVLVIS STERNVTATOR. ſ. CEPHALICVS.

Rec. Herbæ *Majoran.* - Flor. *Lavend.* ana Unc. 1.
Folior. *Nicotianae.* Miſce fiat pulvis. *Piderit.*

VIS *errhina*; *reſolvens.*

VSVS in *congeſtionibus* humorum pituitoſorum ad caput; & in morbis a lenta & tenaci pituita in capite hærenti, uti in *vertigine*, *cephalalgia*, *oculis hebeſcentibus*, &c.

Ad

Ad *mucum* & pituitam e naribus eliciendam, in morbis ſinuum pituitoſorum. Ad *irritandum* corpus, ejiciendum heterogeneum e cavo laryngis l. tracheæ. *Plenck.*

OBSERV. 1) In *plethora* jam præſente, in proclivitate ad morbos *apoplecticos*, in inſigni *nervorum* irritabilitate, uti in *gravidis*, *haemoptyicis* ſemper *nocet.*

2) *Mellin* commendat miſcelam vel e Folior. *Lavendulae* - *Majoranae* - Radic. *Ellebori albi* - *Sachari* puriſſim. ana quant. plac. *Pulveriſet.* ſubtiliſſ. cui pro lubitu addi poteſt *Olei Aniſi* Guttæ aliquot, l. *Moſchi* Grana quædam. Fol. *Majoran.* - *Salviae* - Flor. *Lavend.* - *Lilior. conval.* - *Sachar. canar.* ana Scrupul. 1. - *Olei Major.* Gutt. 4. commiſcendi ad pulverem ſubtiliſſ.

3) Ph. *Edinburg.* vero e Fol. *Aſari* Unc. 3. - *Majoran.* Unc. 1. ad pulver. commiſcenda ſubtilem.

Ph. *Danica* habet Fol. ſiccat. *Aſari* - *Majoran.* - *Mari* - Flor. ſiccator. *Lavend.* ana partes æquales, in pulverem contuſos.

Plenck commendat e Fol. ſiccat. *Aſari* - *Majoran.* - *Mari ſyriac.* - Flor. ſiccator. *Lavendul.* ana partes æquales, conterendi in pulverem.

PVLVIS STOMACHICVS BIRCKMANN.

Rec. Rad. *Ari ppti* Drachm. 2. - *Calami aromatici* - *Pimpinellae albae* ana Drachm. 3.
Tart. vitriol. Drachm. 2. - Flor. *Caſſiae* Drachm. 1.
Miſce fiat pulvis. *Piderit.* Ph. *Suecica.*
Sacharo pro lubitu addito edulcor. poteſt pulvis.

VIS *digeſtiva*, *incidens mucum*, *reſolvens*, *ſtimulans*, *carminativa*, *ſtomachica.*

USUS in turbata *digeſtione*, in *ventriculi* debilitate, *cruditatibus*, *anorexia*, *dyſpepſia*, *febrib. intermittentib.* in affectibus *pectoris pituitoſis* - *hypochondria-*

driacis; in *flatulentia* & *debilitate inteſtinorum;* in morbis a *viſcido* oriundis, *cachexia.*

DOSIS a Drachm. 1 - 2. ter quaterve in die *Bagliv.* ad Drachm. 5. vel per ſe l. cum æquali *Sachari* pondere inſtar *Trageae* poſt paſtum.

OBSERVAT. Alii uti Ph. *Auſtr.* & *Spielmann.* ſuadent ut addentur *Lapides cancrorum*, & loco Flor. *Caſſ.* de *Cinnamom.* pondus appropriatum: & *Sal. Abſynthii* - *Juniperi*, atque *Sach. Roſati.*

Ph. *Herbipolitan.* præſcrib. e Pulv. Rad. *Columb.* - *Elaeoſachar. Cinnamom.* part. æqualib. pulverem *ſtomachicum.*

Ph. *Danica* vero *Pulver. ſtomachic. Birckmann.* communicat e Rad. *Ari prpti* Unc. 2. - *Calami aromat.* - *Pimpin. alb.* ana Unc. 1. - *Lapid. cancror. prpt.* Unc. dimid. - *Cinnamom.* Drachm. 3. - *Salis Abſynthii* Drachm. 2. Miſceantur ut fiat pulvis.

PVLVIS TEMPERANS - REFRIGERANS *nitroſus*, & *antifebrilis.*

Rec. *Nitri depur.* Unc. 3. - *Sal. Acetoſ.* eſſent. Unc. 1. *Elaeoſachar. Citri* ſ. *Sachari* albiſſimi, Unc. 10. Miſce fiat pulvis. *Roſenſtein.*

VIS *temperans*, *antifebrilis*, *ſitim ſedans*, *antibil oſa*, in omnibus *animi* vehementioribus *affectibus.*

USUS in *aeſtu* & *circulo nimio* humorum & ſanguinis, tam *denſi* & *rareſacti*; in *cephalalgia*, *palpitatione cordis*, in ſomno interrupto a nimio æſtu; in *febribus acutis*, ubi *alvus* leniter eſt ſtimulanda; ad *vitioſos* humores in primis viis corrigendos.

Terrorem qui paſſi ſunt non convenit; uti & in nimia copia, & diu nocet ventriculo.

DOSIS a Gran. 20-30-60. pro doſi; aut cochlearia 1 - 2. minora.

OBSERVAT. 1) *Pulvis temperans Unzeri* conſtat e *Tartari vitriol.* - *Nitri depur.* - *Lapid. cancror.* præ-

præparat. ana part. æqual. ad pulverem miſcendis; ad *orgaſmum ſanguinis* & *acrimoniam acidam* tollendam. *Spielmann.*

OBSERV. 2) *Pulveris temperantis* variæ exſtant cæterum compoſitiones ſimplices, e *Nitri depurat.* - *Tartar. vitriolat.* ana Unc. 1. - *Pulver. Diatragacanthae* Drachm. 2. Miſce fiat ad pulverem. *Piderit.*

Ad Ph. *Auſtriac.* miſcentur tantum *Nitri depurat.* Unc. 1. cum *Lapid. cancror.* Unc. 3. ad pulv. ſubt.

Ad *Mellin Cremor. Tartar.* - *Nitri depurat.* - *Lapid. cancror.* l. *Magneſ. albae* ana Drachm. ½. ad pulverem miſcend. cui pro lubitu addi poteſt *Sulphur. aurat. Antimon.* Grana quædam.

Ad Ph. *Herbipolit.* conſtat e Flor. *Chamomill.* Unc. dimid. - *Sale Ammoniac. martial.* - *Lign. Quaſſ.* ana Drachm. 2. pulveriſat. ſubtiliter.

Ad Ph. *Brunſuic.* e *Magneſ. alb.* - *Cremor. Tartar.* - *Nitri cryſtalliſat.* puriſſ. ana Unc. 4. Miſce ut fiat pulvis.

Ph. *Danicae Pulvis refrigerans* conſtat e *Nitri depurat.* Drachm. 7. - *Cryſtall. Tartari* Drachm. 4. - *Elaeoſachari Citri* e corticibus Drachm. 15. Miſce in pulverem.

Pulvis autem ejus *temperans* e *Lapid. cancror. citrat.* Unc. 4. - *Arcani duplic.* Unc. 2. cum dimid. - *Nitri depurat.* Draphm. 9. - *Cinnabar. Antimon.* Unc. dimid. Miſce in pulverem.

3) *Pulvis refrigerans Suecorum* conſtat vero e *Sali eſſentiali Tartari* Unc. dimid. - *Sachari albiſſ.* Unc. 6. - Quintæ *Eſſentiae Citri* Gutt. 6. Miſce fiat pulvis.

USUS *Pulveris* hujus Unc. 1. *Aquae* Unc. 144. diſſolvenda *Limonada* e tempore paratur.

PVLVIS TVNCHINENSIS,

ſ. *Pulv. Alexipharmac. ſinicus*, ſ. *antilyſſicus Londin.*

Rec. *Moſchi optimi* Gran. 16. Pul-

Pulver. Rad. *Valerian. ſylveſtr.* Scrupul. 1. *Camphor.* Gran. 6. Miſce fiat pulvis. Ph. *Herb.*

VIS ob *Moſchum* valde *penetrans*, *circulum ſanguinis* cito & eximie *augens*, *irritans*, *reſolvens*, *diaphoretica*, *roborans*, *nervina*, *antiſpasmodica*, *anodyna*; ad corporis *peripheriam* materiam morbi *ducens*, *ſanguinis profluvia pellens*, *venereos excitans* appetitus.

USUS in morbis *convulſivis*, *hyſtericis*, *epilepticis*; in periculoſis *febrium* tam ſimplicium quam malignarum *ſymptomatibus*, uti in *ſingultu*, *ſpasmo*, *tremoribus*, *ſubſultu tendinum*, *deliriis*, *anxietatibus* a materia morbi ad *nobiliora retrogreſſa*; in *tuſſi ſpasmodica*, *hydrophobia*, *mania*.

Poſt aſſumtum hunccе pulverem ſequitur utplurimum *ſudor ingens*, *ſpasmorum-dolorum-remiſſio*, & *ſomnus tranquillus*.

Spasmos, *convulſiones* & *ſingultum* aufert, *pulſum* ſimul *erigendo* & *exanthemata* ad exteriora ducendo, cum ſudore excitato copioſo, in *variolis*, uti in quibusvis aliis *morbis exanthematicis retrogreſſis*.

DOSIS paulo largior, eſſe debet, uti *Chinenſibus*, ut quid efficiat, minimum ad Scrup. dimidium.

In *febrium malignarum* periculoſis *ſymptomatibus* ad Scrupulum 1. exhiberi poteſt, uti in morbis *epilepticis* & *maniacis*.

In *tuſſi* ſpasmodica infantibus ad Gran. 4-6-8.

Ad funeſtos effectus, a *morſu canis* rabidi ortos, & ad *hydrophobiam* Grana 10-20. pro una doſi exhibenda ſunt, quo *ſudor* ſequitur enormis, per 48. horas durans, quo præſentes *ſpasmodici* & *convulſivi* affectus ſubito ceſſant.

In *morbis exanthematicis*, variolis ad Scrupul. 1. *maniacis* ad Scrupul. 2. cum dimid. in *ſingultu* ad Gran. 12. *febrib. inflammator.*

OBS.

OBSERVAT. 1) Andr. *Ried* in *China* reperiit, primum pulverem hunc conſtantem e *Moſchi* Gran. 16. - *Cinnabar.* nativ. & *Vermillon* ana Gr. 24. tam efficacem ad *morſum canis rabidi.* Quid *Chinenſes* ſub *Vermillon* intelligent, dubius erat, hinc ſubſtituit *Ried Cinnabar. Antimonii*, qui recentiorum experim. æque dubius, hinc alii, uti *Piderit* ſubſtituerunt Rad. *Valerian.* & *Camphor.* cum *Moſcho* qua præcipuo ingrediente, commiſcendi.

2) Variis *Moſchus* in hocce pulvere non arridet, iis *Moſchi* Grana 10 - 16 - 20. cum *Sachari* Drachma dimidia commode miſcentur, l. tali modo in pulvere l. addita *Aqua* quodam deſtillata, in *Mixturae* forma.

Quibus *Spasmus* impedit per os aſſumendi, iis cum *Sacharo* mixto ad Drachmam dimidiam *Enematibus* conſulto additur.

Quibus *Moſchi odor non arridet*, uti foeminis interdum quibusdam fit, iis odor iſte commode quorundam obſervationibus addita *Camphora*, *Aſa foetida*, l. *Caſtoreo* quodammodo obnubilatur. Sæpius ſuaveolentium uſum non admittunt.

REGVLVS ANTIMONII SIMPLEX.

Rec. *Antimonii crudi* Unc. 24. - *Tart. crudi* Unc. 18. *Nitri depurat.* Unc. 12 - 16.

Singula pulveriſata, exſiccata, mixta, detonent in crucibulo candente & liquefiant tum igne fortiori: fuſa effundantur tum in conum fuſorium calefactum, ſebo illitum conum ſimul concutiendo, ut in fundum abeat *Regulus*.

Separatis tandem ſcoriis *Regulus Aqua* abluatur.

VIS & USUS internus *nullus*, qua eximie *draſticum*, & ob vim ejus *emeticam* vehementem; ad *praeparata* cæterum *mercurialia:* & qua *ingrediens* ad *Tincturas Antimonii varias.* *Mellin.*

OBS.

OBSERVAT. *Regulus Antimonii Martialis*, e *Clavor. ferreor. purgator.* Unc. 8. candentibus in crucibulo paulatim addantur *Antimon. Ungar.* Unc. 16. optime fuſis addantur *Nitri* Unc. 3. Perfecte fuſa effundantur in conum ſebo illitum, ſub jugi hujus percuſſione. Maſſa refrigerata, Regulus a ſcoriis ſeparetur, qui minutim tritus, iterum ſecunda ac tertia vice, addita eadem *Nitri* quantitate, fundendus atque a ſcoriis ſeparandus eſt. Ph. *Danica.*

Regulus Antimonii Medicinalis, ex *Antimon. Hungaric.* Unc. 4. fuſis in crucibulo clauſo addantur paulatim - *Nitri puri* ſicciſſimi contriti Unc. 6. Poſt ſingulas *Nitri* additiones caute claudatur crucibulum; Maſſa per 10. minuta fuſioni commiſſa & in mortarium ferreum calidum effuſa pro *Tinctura Antimonii nigra* paranda inſervit.

RESINA JALAPPÆ.

Rec. Rad. *Jalappae* ponderoſæ & ſatis *reſinoſae* in pulv. craſſiuſc. contuſ. Unc. 72. cui adfundantur *Spiritus Vini* rectificat. Unc. 144. Stent infuſa loco calido in digeſtione per aliquot dies, colentur tum & fortiter exprimantur: novus tum radici addatur *Spiritus Vini*, & toties repetatur, donec *Spiritus Vini* tingi ceſſet, ſuperfuſus. A tincturis hiſce commiſtis & colatis *Aqua communi* quoque affuſa, abſtrahatur *Spiritus Vini* major portio ope deſtillationis, reliquum frigidæ *Aquae* ſufficienti quantitate debilitetur, ut *reſina* inde præcipitetur, in fundo cucurbitæ, quæ tollatur, in vaſculo *Aquae* ferventi immiſſo, ad ſpiſſam redigatur conſiſtentiam, & denique in cylindros contortos aſſervetur: vel *Aqua* tunc illa ulterius in formam *Extracti* evaporetur, quod aſſervabitur tum uſui ſub titulo *Extracti Jalappae*

lappae Gummoſi, in tabellas diviſi ſiccati leni calore.

Spiritus deſtillando evocatus, novæ præparationi ejusdem reſinæ, inſervit.

VIS *purgans*, *catharctica*, *ſtimulans.*

USUS cum Extract. *Amaris* in formam pilularem redactis, nunquam ſolum, alias in *obſtruct.* primarum viarum ad *educendos* per *alvum noxios* humores *pituitoſos.*

In *phlegmaticis*, *hydropicis*, & ad *vermes educendos Pulvis Jalappae* uti *Reſina* eximie confert. Nonniſi *Saponi* cuidam junctum debet exhiberi, ita ab humorum primarum viarum excipi, & e corpore eliminari poterit.

Noxae ejus abuſui ſunt adſcribendæ,

DOSIS *Infantibus* annorum 4 - 12. *Reſinae* hujus ſunt Gran. 2 - 3 - 5. infra enim 4. annorum magis convenit pulvis radic. *Jalappae*, l. aliud congruum *purgans.* Adultis ſufficiunt Gran. 6- 8 - 10. ad ſummum, robuſtioribus Grana 12.

OBSERV. 1) *Noxium* ſemper edunt *effectum* reſinoſa purgantia, in morbis *inflammatoriis*, *bilioſis*, in *fibris ſtrictis*, & *ariditate inteſtinorum,* uti in *haemorrhoidariis*, *alvi obſtruction.* in *plethoricis.*

2) *Praeparata Reſina*, ſimplici ſemper præferenda, *tormina* & metum *vomitus* tollit, ſi *Reſina Jalappae* nempe cum æqualibus partibus *Amygdalarum dulcium* teritur, & alterum tantum quam de ſimplici præſcribitur. Cum *Syrupo emulſivo* commode quoque exhibetur; antea quoque ad majorem *Reſinae* ſolubilitatem ea cum *Elaeoſacharo* congruo poteſt teri. *Piderit.*

3) Non raro valde *adulteratur* hæc reſina, etiam reſina *Guaiaci*, hinc pharmacopæi eam ipſi extrahant ſibi.

4) Eodem modo parantur *Reſina Scammonei* uti &

& *Reſina Ligni Guaiaci*, cavendo ne ſpiritus abſtrahatur. VIS *purgans*, mitius quam *Jalappae* - cautus tamen, - USUS in *obſtruct. alvi - viſcerum*, & qua *hydragogum, anthelminticum* ad *hydropem*, *vermes*. DOSIS Gran. 3 - 10 - 12.

Not. diſſolvitur in Liquore ſpirituoſo ardente; ſi cum vehiculo aquoſo velis exhibere, teratur, l. cum nucleis, pineis, aut *Amygdalis dulcibus* l. cum *Vitello ovi* prius diſſolvatur.

OBSERV. 5) *Reſina* & *Gummi Aloes* pariter præparatur, ſi Rec. *Aloes* ſuccotrin. Unc. 4. - *Aquae commun*. Unc. 24. coquuntur ad *Aloes* ſolutionem, quant. fieri poteſt, & ſeponitur per noctem. *Reſina* ad vaſis fundum præcipitabitur, Liquor ſupernatans, ſi opus, colatur, & admoto igne, vaporando conſumatur, ut relinquatur *Gummi*. Si *Extracti* conficiendi major ſit copia, balnei calore commodiſſime inſpiſſatur. Omnia vero *Extracta Aquoſa* pauco *Spiritu Vini* irrorentur ne ſitum contrahant. *Lond.*

6) *Reſina Pini flava. Succus* ſ. *Lacruma* e *Pino ſylveſtri* exſtillans coctione in *Reſinam* fragilem inſpiſſatur. USUS ad *Emplaſtra* - leniter *irritantia. Plenck.*

Reſina Succini. Rec. *Olei deſtillat.* - *Succini* Drachm. 1. - *Acidi Nitri* concentr. Drachm. 3. cum dimid. Miſce fiat Reſina.

REGLISSE ROYALE SEV GELATINA *Liquiritiae*, vide *Extractum Liquiritiae*.

ROOB BERBERVM.

Rec. Succi *Berberum* depurat. Unc. 48.
Sachari canarienſis Unc. 12. coque ad *Mellis* conſiſtentiam in vaſculo figulino.

VIS *temperans*, ſitim æſtu *minuens*, bilem *refraenans*, leniter *adſtringens*.

VSVS ob tam ſuavem *berberum* aciditatem - puritatem & efficaciam, præ aliis acidis vegetabilibus, confert eximie in *morbis acutis inflammatoriis*, *biliofis* & *putridis*.

Cæterum *Gargarismatibus* & *Mixturis temperantibus*, *antiphlogiſticis*, *antiſepticis* ad Uncias aliquot additur. Confert quoque in *diarrhoeis putridis*, & *dyſenteriis*, præmiſſis congruis.

Cæterum additur *Julapiis* & *Electuariis*.

OBSERV. Loco *Roob* variis in regionibus æque commode adhibent. *Gelat. fructuum Horaeorum*.

ROOB CYDONIORVM.

Rec. *Succi Cydonior*. depurat. Unc. 144.
Sachari albi Unc. 12. coque ad mellis ſpiſſitud.

VIS leniter *adſtringens*, *ſtomachica*, *ſitim ſedans* - biliofis ab Unc. dimid. ad Drachm. 6.

ROOB EBVLI.

Rec. Succi Granorum *Ebuli* depur. Unc. 12.
ſingulis Libris ſ. Unc. 12.
Sachari Unc. 2. coque ad *Mellis* conſiſtentiam, igne moderato inſpiſſando.

VIS *diaphoretica*, *alexipharmaca*, *diuretica*.

VSVS ad *ſerum hydropicorum educendum* per *alvum* & *urinam*. DOSIS ab Unc. $\frac{1}{2}$ - 1.

OBSERV. Eodem modo *Roob Nucum* e *Succo Nuc. Jugland.* virid. expreſſ. qua *adſtringent*. Unc. 24. - *Mell.* Unc. 12. leni igne, deſpumando ad juſtam conſiſtentiam inſpiſſantur. Qua *adſtringens* adhibetur in *ulceribus oris* & *linguae* demulcendis, in *angina* & *tonſillis* tumefactis. Qua *roborans* - *reſolvens*, *Aqua* dilutum, ad gratum *gargarisma* conſtituendum. *Plenck:* qui *Cinnamom.* Drachm. 2. addendum ſuadet.

ROOB JVNIPERI.

Rec. *Baccar. Juniperi* maturar. recent. Unc. 96.

Con-

Conquaſſatæ coquantur in *Aquae communis* quant. ſuffic. ad molleſcentiam, in colatura fortiter expreſſa ſolve.

Sachari canarienſ. Unc. 12. leni tum igne inſpiſſa ad conſiſtentiam *Roob* ſ. *Mellis. Piderit. Auſtr.*

VIS *ſtimulans, roborans, diuretica, diaphoretica. Ruſticorum theriaca.*

USUS in morbis *oedematoſis, hydropicis, pituitoſis, mucoſis, ſtomachi, ſlatibus;* in *calculo hydrope* & *urina* pellenda.

DOSIS Unc. 2. omni bi- vel tri-horio.

OBSERV. 1) Ex optimis *Roob exhibendi methodis congrua* hæc quoque videtur *van Swieten.* Rec. *Roob Juniperi* Unc. 4. dilue in *Aquae Juniperi* Unc. 24. cui adde *Spiritus Juniperi* Unc. 2.

2) *Roob* hoc uti reliqua juniperina *nocent plethoricis; renum inflammationi- mictui cruento* obnoxiis.

3) Ph. *Roſſica* Roob *Juniperi* præparandum ſuadet e baccis contuſis, frigida digeſtione, virtus medicinalis aqua educitur, hæc tum ad debitam inſpiſſatur conſiſtentiam.

Ph. *Suecica* hancce commodam ſuppeditat præparationem e *Bacc. Juniper.* matur. parum contuſ. qu. placet; quæ affuſa *Aqua fluviali* macerentur, per diem 1. alterumve, in vaſculo ligneo convenienti, cujus fundus foramine præditus, bacillis ligneis & ſtramine puro contextus ſit. Liquorem tum foramine aperto trajectum toties reaffunde, donec baccæ inſipidæ ſint; Liquor tum coletur, & ſupra modicum ignem decoquatur ad mellis ſpiſſitudinem.

4) *Roob Sorborum* eodem modo præparatorum - VIS efficacior *diuretica, temperans*, quam *Roob Juniperi, exaeſtuans* cæterum magis. *Selle.*

ROOB SEV GELATINA RIBIVM.

Rec. *Baccar. Ribium* maturar. rubrar. Unc. 170.

Sacchari contuſi Unc. 144.

Mixta coquantur in patina plana, leni igne ſæpe invicem agitando, donec quarta circiter humiditatis pars evaporetur, & ſuccus in frigore conſiſtentiam *Gelatinae* acquirat; fervidus coletur per linteum, & refrigeratus ſervetur vaſculo conveniente. *Spielmann.*

VIS *analeptica*, grate *reficiens*, *refrigerans*, *temperans*, cæterum uti *Roob Berberum.*

USUS in tumoribus *tonſillarum*; ad *fauces humectandas*; ad *febres* acutas qua ſuave analepticum; ad *aeſtum* & *ſitim mitigandam.*

ROOB SAMBVCI.

Rec. *Succi* e *Baccis-Sambuci matur.* expr. Unc. 48.
Sachari albi Unc. 6. Moderato igne, & perpetuo ſub motu, ad juſtam coque conſiſtentiam melleam, l. paulo craſſiorem.

VIS eximie *diaphoretica*, cavendo *empyrevma*, *haemocatarctica*, *antifebrilis*. Cæterum cum *Ebulo* convenit.

USUS tam celebris remedii hujus *domeſtici* - ad *ſuppreſſam tranſpirationem* - ſine inſigni ſanguinis motu; in *febribus* - *hydrope*, *rhevmatiſmo*, *arthritide*. *Selle.*

Externe uti *Emplaſtrum* adhibitum *inflammationes diſcutit*, uti *unguentum ulcera purificat.*

DOSIS Ad *Electuaria antifebrilia* ſimul - leniter *diaphoretica*, ab Unc. 1. ſ. cochl. $\frac{1}{2}$ - 1. & ultra.

OBSERV. Eodem modo præparantur aliæ *Species* non tam *univerſales*, uti *Roob Mororum* - ad *Gargariſmata* - & *collutoria antiſcorbutica. Plenck.*

Uti *Oxycocci* - *Berberum* - *Cydoniorum* - *Ebuli* - *Ceraſorum* - *Nigrorum* & *Rubrorum*, - *Ribium*, *Rubi*, - *Idaei Sambuci* - *Uvarum*. Ph. *Roſſica.*

Quorum *vires* & *uſus* e ſimpl. patent ingredientib.

Rotu-

ROTVLÆ BERBERVM.

Rec. *Sacchari albi* pulverati Unc. 1. Incaleſcat leniter in vaſculo cupreo ſtanno obducto, tum addatur

Succi Berber. per ſubſid. depurat. Unc. dimid.

Saccharum lente diffluat, ſine coctione, & fiant effundendo ſine coctione, ad tabulati conſiſtentiam redacta, lege artis ſpatulæ ope ferreæ, *Rotulae.* *Piderit.* Ph. *Herbipol.*

VIS *temperans*, *refrigerans.*

USUS ad *ſitim* & *ſiccitatem oris* in *febribus-acutis* præcipue ſedandam; ad gratam *potui ordinario* aciditatem conciliandam: cæterum cum ſyrupo conveniens.

ROTVLÆ MENTHÆ PIPERITIDIS,

vide *Trochiſcos Menth. Piperit.*

ROTVLÆ PECTORALES.

Rec. Pulver. Radic. *Irid. florentin.* Unc. dimid.

- - *Liquirit.* Drachm. 2. Scrup. 2.

- *Angelicae* Scrup. 2. - Flor. *Sulph.* Drachm. 1.

Extr. *Enul.* - *Marrub.* ana Scrupul. 2.

- *Croci* Scrupul. 1.

Sachari Aqua hyſſop. ſolut. Unc. 16.

Olei deſtillat. Foenicul. Gutt. 15. adſpergendo fiant Rotulæ. Ph. *Brunſuicenſ.*

VIS & USUS e Nomine patent.

SACHARVM GLYCIRRHIZATVM,

vide *Extractum Liquiritiae.*

SACHARVM LACTIS.

Rec. *Lactis Vaccini* recens mulcti qu. plac. coque ordinarie, & adde tum

vel *Gallii albi*, - l. *Coaguli Vitulini*, vel *Albuminum ovorum* in ſpumum conquas ſator. qu. ſuff. ad *Lactis* coagulationem formandam.

Serum iſtud *coli* ope ſeparatum, & per chartam ſiltratum emporeticam, in vaſculo figulino, probe vitro cruſtatum, leni calore, ad ſextam partis remanentiam, evaporatur, & loco reponatur frigido ad formandos cryſtallos.

Aqua frigida iſti tum probe abluantur, inter chartas ſiccentur in loco tepido, & vitro incluſæ denique, in loco ſicco & temperato conſerventur.

VIS *temperans*, *involvens*, *demulcens*, *relaxans*, *antiſpasmodica*, *anodyna*, *antarthritica*, *antiſcorbutica*, *ſanguinis* motum quodammodo *temperans*, bilem *inaeſtuantem mitigans*; *expectorationem facilitans*.

USUS Salis hujus *acidum Sachari* continentis, & terram calcaream, cum partibus inflammabilibus - mucoſis præcipue; in *pleuritide*, *peripnevmonia*, *haemoptyſi*; & *Nitri vim* temperantem perferre non valentibus.

Quidam eximie laudant in *obſtruct. viſcerum* in *pthiſi*; in *febr. lentis, hecticis*, *ſcorbut. nephriticis.*

In *doloribus arthriticis* & *rhevmaticis*, uti in *arthritide fixa*, *podagra*, *ſcorbuto*, etſi plurimis magis conducit uſus *Kermes mineralis*, Flor. *Sulphur. Sachar. Myrrhati*, *Sulph. Aur. Antimon.*

Senſilibus perſonis, *haemorrhoidariis*, *hypochondriacis* eſt lene *laxans*.

Cavendum cæterum eſt ne ſit *rancidum* ſed recens paratum.

DOSIS a Drachm. I - 8. commode exhibetur, cum *Infuſo* quodam, l. *Aqua Soteria*.

OBSERV. 1) In *Helvetia* optime & in copia acquiritur hoc Sal, plerumque & hinc expetitur: & vix unquam in officinis paratur pharmacevticis.

2) Majora præſtare credit *Piderit*, ſi *ſerum lactis* ipſum,

ipſum, pro diverſa medici intentione, probis plantarum *Succis* maritatum fuerit.

OBSERVAT. 3) Ph. *Danica* præſcribit *Seri Lactis dulcis* cum coagulo *Lactis* in ventriculo vituli reperiundo, l. cum herba *Pinguicula* vulgari qu. plac. cætera uti ſupra.

Ph. *Roſſica* & *Suecica* ſumit *Serum Lactis* cum coagulo *Vitulino* paratum ut evaporetur ad 4. partis remanentiam, repetitis dein vicibus generandis cryſtallis exponatur; quæ collectæ ſolvantur in *Aqua* & denuo ad puriorem ſalinam formam reducantur.

SACHARVM MYRRHÆ - HOFFMANN.

Rec. Extr. *Myrrh. Aquoſ.* Drachm. 2.
Sachari canarienſ. Unc. 1. exacte miſceantur.

VIS *roborans* - *ſtomachica*, *reſolvens.*

VSVS ad *ſtomachum roborandum*, *pituitam* ejus *reſolvendam*; in *aëre epidemico* maligno; *colluvie verminoſa*; *haemorrhoidibus pituitoſis*; *uteri morbis ſeroſis* eximie confert.

DOSIS ad aliquot cochlearia parva - in die.

OBSERV. 1) Ph. paup. *Hamburg.* ſuadet *Sachar. lactis* cryſtallis. Unc. 1. ad Extr. *Myrrhae aquoſi* Drachm. 2. Miſce.

2) *Sacharum Roſatum* ſ. *Roſaceum* Ph. *Londinenſis* communicat e *Roſis* rubr. immatur. demtis unguibus, celeriter arefactis Unc. 1. - *Sachari* puriſſ. Unc. 12. Pulveriſata ſingula miſce, & aqua humecta, ita ut fiant tabellæ leni calore ſiccandæ; *uſus* ad variis remediis gratam dulcedinem conciliandam.

SACHARVM - ſ. SAL - SATVRNI.

Rec. *Ceruſſae* in lamellis ſ. *Calcis plumbi albae*, Unc. 12. immiſſæ cucurbitæ vitreæ,
Ad *Acetum deſtillatum* forte funde qu. ſuffic. ad

 ple-

plenariam ſolutionem, digere in balneo arenæ, in vaſe figulino evapora liquorem frigefactum ad cuticulam, quo tum concreſcent in loco frigido *cryſtalli*, leni calore exſiccandi, atque *uſui* aſſervandi.

VIS *Externe antiphlogiſtica*, *refrigerans*, *ſiccans*, *conſtringens*, *repellens*, fortiter *mundificans*.

USUS ejus tam caute, uti *Aceti Saturni;* cæterum ad varia *remedia ophthalmica* venit; ad *collyria adſtringentia;* in oculorum *inflammationib. tumorib.* in *ſcirrho* oculi, ne in cancrum abeat. *Plenck.*

In *Aquae* Unc. 12. ſolvantur Scrupul. 1.

Interne temere adhibetur qua *venenum* lethale, ob acidum plerumque *praeſens* in primis viis, plumbum *abſorbens*, & in ceruſſam *reducens*, etſi quidam commendant in *mictu ſanguin. gonorrh. haemorrhagia haemoptoe*, *fluore albo*, in *acrimonia ſanguinis mitiganda.*

Externe in *ulceribus ſerpentibus*, *malignis*, *cancroſis*, *impetiginibus*, *ambuſtis* & *inflammationibus;* in *doloribus haemorrhoidum;* in *inflammat.* & rubedine *oculorum*, ſed ſemper caute.

USUS idem cæterum in *Aqua ſolutum* uti *Acetum plumbi*, vide ibi *plura.*

OBSERV. 1) *Sal* hoc acquirunt plerumque pharmacopæi e *Batavia.*

2) Ph. *Danica* præſcribit *Minii* Unc. 12. - *Aceti Vini deſtillati* Unc. 96. coquandas in vaſe plumbeo, donec *Acetum* ſatis dulceſcat. Colata evaporentur, & cryſtalliſationi committantur.

Ph. *Argentorat.* ſuadet ex *Aceto Lythargyr.* præparationem uti ſupra cæterum.

Ph. *Roſſica Acetum Saturninum* inſpiſſatum ut exponetur generandis cryſtallis.

Ph. *Londin.* coquit *Ceruſſam* in *Aceto* deſtillato, vaſe plumbeo, donec *Acetum* ſatis dulceſcat, dein

dein *Acetum* per chartam cola, & poſt idoneam exhalationem ſepone, ut cryſtalli formentur.

SAL ABSYNTHII. ſ. SAL ALKALI *Herbarum fixum*, ſ. *vegetabile*, ſ. *Sal* herbarum per incinerationem paratum, ſ. *Sal plantarum.*

Rec. Herbæ *Abſynthii*, l. alius *plantae amarae* qu. plac. comburе una cum ſtipitibus in cinerem, qui ſartagine ferrea uretur ad albeſcentiam æqual., fluviali tum *Aqua* calida diluatur, & fiat lixivium quod per linteum colatum in modico ignis gradu decoquatur, donec omnis humor plane conſumtus ſit, & exhibeat *Sal alcalinum fixum*, fuſcum ulteriori in *Aqua* ſolutione, filtratione & evaporatione tum in purum album, quod in vaſe probe munito ſervetur ne deliqueſcat ab aëre.

Lenta hac incineratione ad *Tachenium* non adeo acre remanet, quam *fuſione*, qua quidquid carbonace ſali adhæſit comburitur, fortius redditur.

VIS *digeſtiva*, *acidum infringens*; humores craſſos *reſolvens*; *attenuans*, *incidens*, *diuretica*, *laxans*; in *ſubtiliſſima vaſa lymphae penetrans.*

USUS ad *aperiendas obſtructiones*: *purgantibus* pro ſtimulo; ad *vomitus*, cum *Succo citri*, in *colica-calculoſa - bilioſa*; ad *febr. intermittent. Boerhav.* a Drachm. 1. & ultra, in copioſa *Aqua* diluta; ad *obſtruct. pertinaces - ſcrophuloſas.*

OBSERV. 1) Raro per ſe ſolum herbarum *Sal*, ſed cum aliis plerumque præſcribitur.

2) *Nocet* in *inflammatione*, & ſtatu *ſcorbutico.*

3) Caveant Pharmacopæi *Cineres* l. *Sal* ipſum cum *Sulphure*, pro more, calcinare, l. *acidum* quoddam addere, ut *Sal* in cryſtallos evaporando concreſcat; quo modo non *Sal alcalinum* in-

incineratione Herbarum obtinetur, ſed *neutrum*, *Tartaro vitriolato* ſimile.

OBSERV. 4) Eodem modo paratur *Sal alcalinum vegetabile*, non e *Carduo benedicto*, l. *Centaurio* minori tantum, ſed ex omnibus herbis, id continentibus vetuſtate non amplius proficuis in officinis.

Sic idem præſtant *Cineres clavellati* boni, in *Aqua* bulliente ſoluti, *filtrati*, ſeparati a *terra* adhærente, & *lixivium* tum iſtud in ſpiſſetur *Mönch*.

5) *Sal Abſynthii* inſpiſſatum ſuadet, ita præparandum *Roſenſtein*. Rec. *Sal. Abſynthii* Drachm. 1. ſolve in *Aqua commun*. Unc. 12. adde *Succ. citri* qu. ſuffic. ad plenar. ſaturationem, tum affunde *Vini Rhenani* cochlear. 1 - 2. cum *Syrup. Cort. Aurant.* qu. ſuffic. ad gratum ſaporem.

6) Eodem modo acquiritur *Sal Geniſtae*.

SAL ACETOSELLÆ ESSENTIALE.

Rec. *Succi Herbae Acetoſellae* recenter expreſſi, & ſubſidendo depurati qu. plac. Ad mediam tertiam circiter partem evaporetur, dein colatum per *Manicam Hippocratis* exhaletur ulterius, ad cuticulam, quo tunc in vaſe vitreo repoſitum ad locum frigidum, *cryſtalli* tenues a liquore liberandi, cryſtalliſandi, uti prius, reponantur, concreſcent, in *Aqua* pura fluviali iterum ſolvendi, & facta per filtrum depuratione provide coagulentur. *Solutio* & cryſtallorum iſta *generatio* tamdiu repetenda eſt, usque ad plenariam albedinem.

Tam a prima quam a reliquis cryſtallorum procreationibus remanens liquor, ulterius inſpiſſetur, & denuo ad eas acquir. reponetur.

VIS Salis hujus ſuaviſſimi, cum ſuccis noſtris ſaponem conſtituens naturalem - eximie *temperans*,

rans, *aperiens*, *diuretica*. Cæterum multum cum viribus *cryſtallorum Tartari* convenit.

USUS in *febrib. acutis*, ad *ſanguinem* & *bilem temperandam*; ad *obſtruction.* leviores, inprimis *hypochondriacorum*, *ictericorum*, *haemorrhoidar.* In *vitiis digeſtionis*, in hærente *ſaburra* - *bile* in *ventriculo* - ante *vomitoriorum* uſum tum proficuorum, *Sal* hoc *Acetoſellae*, ad Drachmas aliquot in die exhibetur utiliter; Vel aliis remediis *ſtomachicis*.

In *dyſuria* & *iſchuria* l. ex *inflammatione*, l. e *muco acri* in *viis urinariis* orto, cum congruis aliis remediis eximie confert. *Piderit.*

Aeſtatis tempore, potui *temperanti* additum, gratum ei conciliat ſaporem.

DOSIS a Gran. 20 - 60. - optime & ſuaviſſime exhibetur cum quarta *Elaeoſachari Citri* ſ. *Cort. Aurantior.* parte.

OBSERVAT. 1) Ph. *Roſſica* cupit ut Succus *Acetoſellae*, ebullitione una & colatura depuratus inſpiſſetur ad *Syrupi* conſiſtentiam; dein adfuſo *Oleo*, quod aërem arceat, vaſis vitreis infuſus, reponatur loco temperato, ut cryſtalli naſcantur, abluendæ & exſiccandæ.

2) Ex *Helvetia* & *Suecica* in copia optime petatur.

SAL ACIDVM BORACIS,

vide *Sal ſedativum Hombergii.*

SALIS ALCALINI FIXI VULGARIS

depuratio, vide *Cinerum clavellatorum depuratio.*

SAL AMMONIACVM DEPVRATVM,

vide *Flores Sal. Ammoniaci* ſimplices.

VIS *interne* & *externe incidens*, *digeſtiva*, *reſolvens*, *ſtimulando* - *roborans* - *carminativa*, *antiſeptica*; *antipituitoſa*, *antiſcabioſa*, *diuretica*.

USUS

usus *internus* ad *humores viſcidos*, *glutinoſos*, *craſſos* & *tenaces incidendos*; ad *obſtructiones tollendas*; etiam in primis viis; - varias *excretiones* per *ſudorem*, *urinam*, & *alvum* in majori quidam doſi promovendam; - ad *languidas fibras* - *ſtimulando* - *roborandas*, - *flatus pellendos*; - ad *gangraenoſam* & *ſphaceloſam diatheſin*, qua *antiſepticum*.

Cæterum confert præcipue in variis *febribus intermittentibus* - *meſentericis*, in *obſtructione glandularum meſaraicarum*, *rachitide*; in *febribus putridis* - iisque junctis potius *diarrhoeis ſymptomaticis*; - in affectibus *hypochondriacorum* & *haemorrhoidarior*, eorum quoque *inflationibus abdominis*; - in *obſtructione* quoque *menſium*; *lochiorum* a fibra languida & copioſa pituita orta, uti in *chloroticis*.

Cum *Cortice peruviano* junctum, *Sal. Ammoniac.* vis *antifebrilis*, uti & *antiſeptica* augetur, in ipſa *gangraena* & *ſphacelo*.

In *menſium ataxia*, ſi *valens roborans* indicatur, commode *Limaturae* l. *Extr. Martis* & *Salis* noſtri pondera æqualia præſcribuntur; uti alia *digeſtiva* e. g. *Tartarus tartariſatus* in *febribus meſentericis* & ad viſcerum *obſtruct.* referandas.

Sic *vis antiſeptica* augetur *Sal. Ammoniac.* additis aliquot Granis *Camphorae*, in inſigni *febr. putridarum* & *malignarum debilitate*, uti ſimul quoque pariter ſuccumbent. fere naturæ vires eriguntur.

In *febr. intermittent.* & *gangraena* hoc *Sal* efficacius interdum ſolo cortice *Peruv.* hinc non ſatis ejus frequens, prudens vero uſus ejus requiritur. *Piderit.*

In *gangraena* variis morbis *pituitoſ.* frigidis, in *tumoribus frigidis*; in *angina* ad *Gargarismata* *Sal Ammoniac.* & *Spiritus Salis Ammon.* confert.

usus

USUS *Externus* præcipue redit ad *ſanguinem ſtagnantem* in *ſugillatis* & *contuſis* partibus reſolvendum; a putredine arcendum; in *luxationibus* & *fracturis fibras* ſimul *roborandas*, a *gangraena* & *ſphacelo* præſervandas, ubi tum *Sal. Ammoniac.* Unc. 1. in *Vini generoſi* l. *Oxycrati* Unc. 12. & ad partes affectas tepide fovendas ita adhibetur.

Loco Cortic. *Peruv.* tam pretioſi pauperibus inſervit ad fomentationes ſolum, vel conjunctim.

Sic cel. *Boerhav.* jam præſcripſit in liquore *antigangraenoſo* qua fomento *Sal. Ammoniac. depur.* Unc. 2. cum *Aceti Rutae*, *Vini generoſi*, *Infuſ. Scordii* ana Unc. 12. uti in *fomentatione frigida Schmuckeri* cum *Nitro*, ita combinatur, ut *Sal. Ammon. depurat.* - *Nitri depur.* ana Unc. 1 :. - *Aquae commun.* Menſur. 24. - *Aceti Vini* Menſur. 6. combinentur: & quidem ad præcipuum uſum in *inflammatis* partibus externis, capillis prius abraſis, frigide applicata - in *phrenitide*, *apoplexia* ſanguinea, in omni ſanguinis cumulo intra cranium; in capitis *laeſionibus*, poſt trepanationem: in *cephalalgia* ab orgasmo ſanguinis, lintea hac fomentatione imbuta fronti & tempor. applicata, uti in *ophthalm. ſanguineis.*

Ulcera inſperſum *Sal. Ammon.* eximie ea purgat, uti in *ungentis ſulphureis* ad *ſcabiem*. *Pringle.*

Externe confert *Sal. Ammoniac.* in *linimento volatili*, perquam utili in *rhevmatiſmo*, *arthritide*, tumoribus *frigidis reſolvendis*, *paralyſi*. &c.

Qua *antiſepticum* in fomento *externe* coercet *gangraenam*, in connubio *Camphorae*, *Myrrhae*, Cortic. *Peruviani*, *Nitri*. *Bicker.*

Cæterum ad *ulcera putrida*, *fiſtuloſa echymaſin*, *oedemata*, *cyſticos* & *frigidos* tumores. *Cariei* exhalationem procurat, ſi ei *Sal. Ammon.* inſper.

ſpergitur, ſed tegantur partes molles *ulceris*, ne nimio dolore afficiantur.

Qua *Gurgar.* cum *Salviae* decocto in *angina pituitoſa*; in *ſcabie* lotionis forma l. *linimenti* convenit.

In commotione *Cerebri* l. alius partis aut viſceris effuſionem humorum & inflammationem ex atonia impedit, aut reſorptionem in ipſa effuſione procurat, qua fomentum ex *Aqua frigidiſſima* cum *Sale Ammoniaco*, adhuc magis refrigerata. *Plenck.*

DOSIS a Gran. 12 - 20. ordinario, in morbis *pertinacioribus* uti in *febr. intermittent.* ad Gran. 40. in majori doſi, in *ſphacelo - gangraena* omni trihorio ad Gran. 30. & ultra, ſ. ad Drachm. 3. de die cum cortice.

OBSERV. 1) Ph. *Danica*, *Roſſica* & *Suecica* præſcribunt ut *Sal Ammoniac. crudum* ſolvatur in *Aquae calidae* quintuplo; filtrata in vaſe vitreo ſolutio evaporetur ad pelliculam & in cella reponetur, ut concreſcant *cryſtalli.*

2) Ad *Sal. Ammon. flores* ſimplices acquirendas *ſublimatio* non ſemper requiritur, ſolutione enim ſimplici in *Aqua* & filtratione facillime poteſt acquiri depuratio, & in puro *Sale Ammoniaco ſublimatio Sal Ammoniacum* non amplius depurat. *Baldinger - Elwert.*

SAL AMMONIACVM CVPRO MIXTVM.

ſ. *Ens Veneris*, vide *Cuprum Ammoniacale.*

SAL AMMONIACVM MARTIALE,

vide *Flores Salis Ammoniaci martiales.*

SAL AMMONIACVM SICCVM.

ſ. *Anglicanum extemporaneum*, ſ. *Sal volatile Ammoniacale*, ſ. *Sal Ammoniac. volatiſatum.*

Rec. *Sal. Ammoniac.* depurat. Drachm. 1.

Ciner.

Ciner. clavell. depur. ſ. *Sal. Tartari* Drachm. 2.
Subito invicem miſceantur, & in vitris epiſtomiis probe munitis ſerventur.
Olei cujusdam deſtillati e. gr. *Lavendulae* Guttæ aliquot commode pro lubitu quoque addi poſſunt. *Piderit.*

VIS valde *penetrabilis*, *tonica*, *ſtimulans*, *nervina*, *excitans*, *exhilarans*, *reſolvens*, *antiſpasmodica*, *diaphoretica*, *antiſeptica.*

USUS qua puriſſimum *Sal urinae*, pro odoramento, *refocillandi*, *reſuſcitandi lypothymicos*, *hyſtericos*; Ad mucum *reſolvendum* & *educendum* in *gravedine*, *otalgia*, *doloribus capitis*; in *defectu* virium vitalium; *lipothymicis*, *hyſtericis*, *ſpaſticis* morbis, & *convulſivis*, in *paralyſi*; *arthritide chronica*, *podagra.*

Nocet in *morbis inflammatoriis*, & vaſis capitis ſanguine *turgidis*, curandum hinc eſt, ne frequentior uſus - *inflammationem tunicae Schneiderianae* producet. *Succedaneum Salis Cornu Cervi.*

DOSIS a Gran. 3-12. largiori doſi ab Oleo prius empyrevmatico liberatum hoc *Sal alcalinum.*

OBSERVAT. 1) *Reſiduum* confert ad *Sal febrifugum Sylvii.*

2) Pharm. *Suecic. Roſſica* ſuadent *Sal. Ammoniac.* qu. plac. *Alkali lignorum* depurat. l. *Cretae puriſſimae ſicciſſimae* duplum pondus. Separatim pulverata commiſceantur in cucurbita vitrea, addita pauca aqua, & mox inſtituatur tum ſublimatio adaptato lutato alembico; alkali ſublimatum ſervetur probe qua valde volatile.

SAL ANGLICVM DEPVRATVM.

ſ. *Epſomenſe.*

Rec. *Sal. Anglici* Unc. 12. ſolve in
Aquae fontan. fervent. Unc. 36. Evapora ad cuticulam, in loco frigido repone, ad for-

 ma-

mandos cryſtallos, quæ omnes ſiccandæ, & uſui aſſervandæ ſunt.

VIS Salis hujus *acidum Vitrioli* continentis & *Sal amarum, laxans, purgans*, in majori doſi; *incidens, digeſtiva, diuretica* in minori a Gr. 30-60.

USUS ad *obſtruction. alvi*; cruditates e primis viis eliciendas.

DOSIS in tenerioribus ad Unc. dimid. in *adultis* & robuſtioribus ab Unc. 1. - ad 1-½ - 2. interdum, & quidem ut in *Aquae* calidæ qu. ſuffic. ſolvatur, & partitis hauſtibus capiatur. Scopo *laxante* adulto Unc. 1. ſufficit. Drachmæ aliquot quoque adduntur, ad acuenda alia remedia *laxantia*. - *Suaviſſime* ſumitur hoc *Sal* in *Aqua* fontana fervida ſolutum, cum addit. qu. ſuffic. *Syrupi emulſivi.* *Piderit.*

OBSERV. 1) *Nocet* in *dyſenter.* & *inteſtinorum inflammationibus.*

2) Loco *Sal. anglici* ex officinis *Sal. mirabile* haud raro venditur, quod ſaporem *refrigerantem* habet, & ſenſim in pulverem album convertitur. Solutum ſi in loco frigido cryſtalliſationi ſervatur, cryſtalli *Salis mirabilis* ſeſe in vaſe oſtendent. *Biedermann.*

SAL ANTIHYSTERICVM - ANTIHYPO-*chondriacum - antiſebrifugum - digeſtivum Sylvii*, vide *Alcali volatile* e *Sale Ammoniaco.*

SAL APERITIVUM FRIEDERICIANVM. ſ. *Sal. Mirabile Glauberi naturale*, vide *Sal. Mirabile Glauberi.*

SAL BENZOINVM, vide *Flores Benzoes.*

SAL CATHARCTICVM AMARVM, vide *Sal Mirabile Glauberi.*

SAL CHINÆ ESSENTIALE, vide *Extr. Cortic. Peruvian. Garayanum.*

Sal

SAL CORNV CERVI ALCALIN. VOLATILE, vide *Oleum Cornu Cervi foetidum.*

VIS *humores attenuans*, *diuretica*, *diaphoretica*, qua valde penetrabile *tonum excitans*, *ſecretiones* promovens, motus *excitans*, & *ſanguinem*; uti & *ſtimulans*, *reſolvens*, *antiſpasmodica*, *antiſeptica*, *cardiaca*.

USUS idem cum *Salis Succini*; ad morbos *arthriticos* - *podagricos*, qua *diaphoretic.* mane Gr. 2. ad *paralyſin*; in *ſphacelo ſenum* Cort. *Peruv.* antecedens - in *febr. malignarum* ſumma *debilitate*, ad *pulſum* erigendum; in morbis *ſpaſticis*, *convulſivis*, *bilioſis*, *putridis*; ad *exanthemata febrilia* pro - l. revocanda; in defectu virium vitalium, *lipothymicis*, *hyſtericis*; in *gangraena ſicca ſenum* - *exhauſtorum*, cum Cort. *Peruv.* ſubito ſeparat: uti omnia *alcalina*, ad mala, a *ſcrophulis* l. acrimonia *acida*, orta.

DOSIS a Gran. 3 - 12. *largiori doſi*, ab oleo empyrevmatico liberatum prius, & albiſſimum debet eſſe.

OBSERV. 1) *Salia* hæc cum *Aceto Vini* digeſta & deſtillata, *gratiora*, multo vero *debiliora irritantia* evadunt, etſi contra putredinem valentiora. *Piderit.*

2) *Nocent* ſenibus *irritantia* iſta fortiora ob vaſorum eorum rigiditatem, irritamini non cedentium, apoplexiam, extravaſationes leviter inducentia, in fortiori copia. Nocet in *motibus* per ſe nimis *intenſis*. Facilius tamen *ſenes* - quam *juvenes*, - *phlegmatici* quam *ſanguinei* & *plethorici* poſſunt perferre.

3) Ph. *Roſſica* præſcribit *Sal Cornu Cervi*, *Olei* parergon, ut rectificetur cum *phlegmate* ſimul prolecto, dein mixtus cum *Cornu Cervi* uſto ſublimetur.

4) *Göttling* & *Königsdörfer* communicant hancce

præparationem ad *Sal Cornu Cervi artificiale* acquirendum, ſi *Sal volatile Alcalinum Sal. Ammoniaci* ope Cretæ, e *Sale Ammon.* per ſublimationem ſeparatur, tum huic miſcelæ e *Sale Ammoniaco* & *Creta*, *Oleum Cornu Cervi*, ſ. *Oleum* ex *oſſibus animalium* tantum debet addi, quod genuini *Sali Cornu Cervi* in omnibus convenit; & quidem *Sal. Ammoniac. ſicci* part. 4. *Cretae* part. 5. *Olei* ex *oſſibus foetidi* Unc. 1. - Drachm. 10. deſtillantur uti *Cornu Cervi*, quod exhibet Unc. 24.

SAL MARTIS SEV CHALYBIS, ſ. *Vitriolum Martis.*

Rec. *Acidi* ſ. *Spiritus Vitrioli* tenuis Unc. 12.
Aquae fontan. Unc. 36. diluti, affunde ſenſim & partitis vicibus,
Limaturae Martis ſ. *Ferri* puriſſim. Unc. 12.
Stent per nychthemeron, tum filtra, & evapora ad cuticulam, quo tum in loco reponatur frigido, ad formandos cryſtallos.

Liquor remanens denuo evaporetur, & labor tamdiu repetatur, usque dum non amplius appareant cryſtalli.

VIS *reſolvens*, *aperiens*, *roborans*, *anthelmintica*.

USUS in viſcerum *obſtructionibus*, cum humorum *ſeroſorum* copia ſimul juncta; in *atonia* partium, ad reſtituendos ſanguinis fluxus, a talibus ortos cauſis.

In *hypochondriacis*, *haemorrhoidibus pituitoſis*, in *obſtructionibus* glandularum meſaraicarum infantum; *rachitide* ipſa & *atrophia*; in *febr. intermittentibus*; - ad expellendum *lumbricum latum*; vermium *nidos deſtruendos*; expellendos humores *pituitoſos*, & *fibrarum tonum* ſimul augendo; - in *chloroſi* - *cachexia*.

DOSIS

DOSIS *Infantibus* infra annum Grani dimidia pars ſufficit. 2 - 3. annorum Gran. 2. - annor. 14. Gran. 3 - 8. pro doſi. Adultis Gran. 20. a minori doſi incipiendo ad majorem aſcendendo.

OBSERVAT. Probe curandum ne *Limatura Martis Cupreis* l. *Aurichalci* partibus ſit inquinatum. Patet id optime, ſi in *Aquae commun.* Unc. 1. ſolvitur *Salis Martis* Drachm. 1. ſolutioni tum huic cultrum politura ſplendens immittitur. Si colorem non rubicundum induit, ferrum iſtud, ad hoc *Sal Martis* ſumtum, qua puriſſimum cenſendum eſt. - Si culter vero ſolutioni *Salis Martis* immiſſus, rubicundum colorem acquirit, *Cupri* l. *Aurichalci* partibus inquinatum eſt; ſi purum enim eſt, *ſolutio* ab inſtillato *Spiritu Sal. Ammon.* colorem ſuum non mutat. *Piderit.* Sollicite curandum eſt, ne *Limatura Martis* aliis *Metallorum* ſpiculis, *Cupri* l. *Aurichalci* ſit inquinata: *Vomitus* enim & alia periculoſa ſymptomata facile poteſt excitare.

SAL DE DVOBVS PARISIENSIVM, vide *Arcanum duplicatum.*

SAL DIVRETICVS, vide *Terra foliata Tartari.*

SAL. HERBARVM PER INCINERATIONEM *paratum*, vide *Alkali fixum Herbarum* ſ. *Sal Abſynthii vegetabile Alkalinum.*

SAL MIRABILE GLAVBERI, SEV ALKALI *minerale vitriolatum*, ſ. *Soda vitriolata*, ſ. *Sal catharcticum amarum*, ſ. *Sal aperitiv. Frieder.*

Rec. Reſidui *Acidi Sal. commun.* ſ. *Spiritus Salis commun. acidi* Unc. 24. ſolvuntur in *Aquae fontanae fervidae* Unc. 48. filtrantur per chartam emporeticam, evaporantur dein leni ignis calore ad cuticulam, reponuntur in

 loco

loco frigido quieto ad cryſtalliſationem, quales cryſtalli in aëre non deliqueſcentes, in charta emporetica, in umbroſo loco ſiccandi ſunt: in fundo remanens liquor corroſivus a cryſtallis probe eſt ſeparandus.

Qui ſi nimis *acres* fuerint nova ſolutione & cryſtalliſatione miteſcunt.

VIS *interne* leniter *aperiens*, *incidens*, *detergens*, *ſtimulans*, *reſolvens*, *digeſtiva*, *diuretica*; in majori doſi *laxans*, *cathartica amara*, *purgans* leniter.

In *Aqua commun.* larga portione facile ſolubilis.

Placide *evacuat ſaburram* & *bilem fervidam*, non *exaeſtuat* nec valde *ſtimulat*.

USUS ad *humores craſſos incidendos*, *urinam movendam* & *alvum lubricam* reddendam, in variis morbis. Qua *Sal* medium confert in diſſolutione & expulſione impuritatum in primis viis ad Unc. 1. pro doſi unica, ſ. in *Mixturis* commixta.

In morbis ab *obſtructione* l. a *ſaburra tenaci* primarum viarum.

Caeterum præcipuum *ingrediens Aquae Pragenſis aëratae.*

DOSIS ſcopo *laxandi* a Drachm. 2-6. *purgandi* ad Unc. 1-2. adulto; in minori a Gran. 20-30. qua *incidens*, *digeſtivum*, *aperiens*, *diureticum*. Scopo *reſolvendi* a Drachm. 1-3. Nimis infirmatis *refracta doſis* eſt præſcribenda.

OBSERV. 1) Si hoc *Sal* ex *Alcali Salis* communis & *acido Vitrioli* præparatur, in *Aquae* fervidæ ſextuplo ſolvendum eſt, ſolutum parum inſpiſſandum, in vitro magno reponendum, ad conformationem pulcherrimorum magnorum cryſtallorum ſingularis formæ, in aëre non deliqueſcentes, & calore in pulverem album fatiſcentes. Ph. *Würtenb.*

OBS.

OBS. 2) Facta in *Aqua* ſolutione *Salis* hujus, ſi *purum* fuerit, addito *lixivio alcalino*, *nil terrae alcalinae praecipitatur*; ſi *impurum* ope *lixivii alcalini* depurati commode poteſt detegi, denuo cryſtalliſando.

3) *Sal* hoc *rite praeparatum*, & in pollinem redactum, *triplo aceti*, cereviſiæ, vini l. aquæ mixtum & repoſitum id *conglaciat*. Addito *carbonum pulvere* & in crucibulo fuſum, ſine ſulphuris additione maſſam exhibet *Hepar ſulphuris* dictam, e qua verum ſulphur minerale præcipitari poteſt. Ph. *Würtenberg*.

4) Pharmacopæi *Sal* hoc a *ſeplaſiariis* minori pretio emunt, quam illud venit, quod ipſi parant, ſed tunc ab iis uti *Sal anglicum*, probe depurandum eſt. Quidam ab iis emunt qui in officinis majoribus *Sal Ammoniacum*, in majori copia conficiunt, & e reſiduo iſto *Sal Mirabile Glauberi* conficiunt minori pretio quam expreſſa combinatione *Alkali Salis culinar.* & *Acidi vitrioli*.

5) Juſta & *plenaria ſaturatio Salium mediorum*, e.g. *Tartari vitriolati*, *Tartari tartariſati*, *Salis Glauberi*, optime apparet, ſi iſtis *ſolutis ſalibus mediis* in *Aquae commun.* ſuffic. quantitate, inſtillatur *Acetum Vini* concentratum, nulla tum oritur effervescentia in exacte paratis, & plane ſaturatis: contrarium vero in non juſte ſaturatis.

6) Peſſimo more *Salia* iſta *coquuntur* in *vaſis cupreis*; facile id quod apparet ſalibus hiſce in *Aqua* ſolutis, ſi *Spiritus Salis Ammon.* cum *Calce viva* paratus inſtillatur, quod exhibet ſolutionem cœrulei coloris.

SAL POLYCHRESTVM SEIGNETTE,
ſ. *Soda tartariſata.*

Rec. *Sodae Hiſpannicae* probe depuratæ, reiterata ſolut. in *Aqua comm:* & cryſtalliſ. Unc. 12. ſolve in

Aquae fontanae fervent. Unc. 72-96. Lixivium in vaſe figulino ebulliat, & inter ebulliendum inſpergatur,

Cryſtallor. ſ. *Cremor. Tartari* qu. ſuffic. ad efferveſcentiæ ceſſationem l. ad plenariam *ſodae* ſaturationem, quæ non ſemper eadem eſt, & majorem l. minorem quantitatem *Salis Alkali* continet. Liquor tum filtratus per chartam emporeticam, leni evaporetur igne ad cuticulam, quo in loco repoſitum frigido cryſtalli oriuntur, in charta emporetica ſiccandi.

VIS *diuretica*, *digeſtiva*, in minori doſi; *laxans* vero ſine moleſtia a Drachm. 2-6-8. in minori; *incidens*, *reſolvens*, a Drachm. 1-3.

USUS idem cum *Sale Mirabile Glauberi*, a quo ratione acidi differt, & ingrata amaritudine caret. ſed *viribus laxantibus Sali Mirabili debilius* eſt; exhibendum eſt itaque paulo majori doſi. Cæterum *Sale amaro*, *Tartaro* ſolubili l. *Tartariſato* convenit. Modo hoc, modo aliud *Sal*, præ altero, inſigniores monſtrat effectus in genere, hinc ſæpius quoque conſultum eſt *diuturniori* inprimis uſu, unum cum altero mutari.

In *morbis* a *ſaburra* primarum viarum, - in *hernia* a foecibus incarcerata.

DOSIS Loco *Salis anglici* catharctici a Drachm. 2-6. per ſe. In *hernia incarcerata* ad cochlearia 2. omni quadrante horæ, uti *Sal amarum.*

OBSERV. 1) Ad Ph. *Spielmann. Cryſtall. Tartari* omittuntur.

2) Ph. *Roſſica* præparationem hancce communicat, ut *Lixivio* ex *Alcali minerali* in 8plo aut amplius *Aquae* ſoluto, pulvis *Tartari depurati*, ad ſaturationem perfectam ingeratur; Liquor filtratus evaporet, donec gutta, vitro inſperſa, *Salis* cœuntis notas oſtendat, tum reponatur ad generandos cryſtallos. OBS.

OBSERV. 3) *Göttling* præſcribit ut *Cryſtalli Tartari* Unc. 36. ſaturentur plenarie *Cineribus clavellatis* qu. ſuffic. in aheno cupreo, intus ſtanno obducto: ſolutioni tum addetur *Sal. Mirabil. Glauber.* Unc. 30. omnia mixta accurate filtrentur, quo fundum petet in pulveris forma *Tartarus vitriolatus* inde generatus, abluendus multa aqua, in lixivio filtrato vero *Sal Seignette* apparebit verum, quod ſolvendum eſt iterum aqua; ad cryſtalliſationem pulchriorem ſuadet quoque ad Unc. 24. *Cryſtallor. Tartari* ſaturatos ſufficiente quant. *Ciner. clavellator.* poſt ſolut. *Sal. culinar.* Unc. 5. ut addentur, cæterum uti antea.

SAL SATVRNI, vide *Sacharum Saturni.*

SAL SEDATIVUM HOMBERGII,

ſ. *Sal Vitrioli narcoticum*, ſ. *Sal Acidum Boracis.*

Rec. *Boracis* Unc. 1. ad 1 ½. ſolve in
Aqu. fervid. fluviat. Unc. 12. inſtillatum caute
Acidi ſ. *Olei Vitrioli* concentrati Drachm. 3.

Liquor evaporetur ad pelliculam & quiete cryſtallos demittat, quæ aqua frigida ablutæ ſerventur. *Göttling.*

Lixivium ab iſta cryſtalliſatione *Sal. ſedativ.* relictum iterumque ad cuticulam evaporatum, & cryſtalliſationi commiſſum, novas largitur cryſtallos lamelloſas, micantes. Ultimo vero iſti cryſtalli glaciales, *Sal. Mirabilem Glauberi*, ex *Acido Vitrioli* & *Alcali Boracis* enatum exhibent.

Priores itaque cryſtalli ab his ſeparandæ ſunt & *Aqua* abluendæ. Ph. *Danica.*

VIS *narcotica, anodyna, excitans, vires temperans, reſolvens, antiſpasmodica.*

USUS in *cephalalgia, ſpasmis dolorificis; febribus acutis, malignis, proſtratis viribus; affectibus epilepticis Plenck.* In *cancro* - ad *ſedandos dolores, Richter.*

DOSIS a Gran. 10 - 20.

OBSERVAT. *Sublimatione minori* quantitate acquiritur utrumque in aqua difficulter ſolubile, *Alcohol* ſubit & ut viridi flamma ardeat, efficit. Cum *Sale Sodae* unitum borax denuo ſurgit. Reſiduum vero cryſtalliſationis *Sal Mirabile Glauberi* largitur, ex *Acido Vitriolico* & *Alcali Sal. commun.* conſtans.

SAL SODÆ, vide *Acidum Tartari cryſtalliſatum.*

SAL SVCCINI ACIDVM VOLATILE, vide *Oleum Succini rectificatum.*

VIS *ſtimulans*, *reſolvens*, *antiſpasmodica*, *diaphoretica*, *antiſeptica.*

USUS *caeterum* non ſolum ad *Liquoris Cornu Cervi ſuccinati* præparationem inſervit, ſed & per ſe in defectu *virium* vitalium, *lipothymia;* in affectibus *hyſtericis*, *catarrhalibus*, *ſpaſticis*, *convulſivis*, & *nervinis* utiliter adhibetur, uti & in *paralyſi*, *arthritide*, *podagra*, qua egregium *nervinum*, *penetrans*, *aperitivum*, *diureticum;* a Gran. 3 - 10. & probe ab *Oleo depuratum* reiterata destillatione ad Gran. 20. Ph. *Würt.*

OBSERV. *Sal Succini* cum valde carus ſit, cum *Sale Ammoniaco*, & *Cremori Tartari*, etiam *Sale communi*, *Acido Vitrioli*, pulvere *Succini* vitiari ſolet. Si aliquid hujus ſuſpecti *Salis Succini* cum ſapone cujuscunque generis, ſive etiam cum *Cineribus clavellatis* teritur, *Sal Succini* cum *Sale Ammon. adulteratum* odore volatili ſeſe prodet. Hoc autem experimento peracto, ſi odor nullus volatilis percipitur; aliquid hujus ſuſpecti *Salis Succini* ferro candenti inſpergatur, ubi quidem *Sal Succini* ſincerum evaneſcet, quisquiliæ autem in ferro relinquentur forma carbonum. *Biedermann.*

SAL TARTARI, ſ. ALKALI TARTARI, ſ. *Alkali vegetabile fixum*, præpar. uti *Ciner. clavell.*

VIS idem uti *Cinerum clavellatorum* interne *antacida*, *abſtergens*, *ſtimulans*, *incidens*, *alterans*, *reſolvens*, *diuretica*.

USUS *interne*, ad meatuum & vaſorum mucoſitates abſtergendas, *obſtructiones reſolvendas*; organa ſe & excretoria *ſtimulanda*; ad *acidum praedominans* abſtergendum in *ardore ventriculi*, & *humoribus pituitoſis tenacibus*.

Ad deſtruendum *Acidum cauſticum Venenorum mineralium*, large ſumtum confert eximie, & quidem in *forma fluida*, *Liquaminis* nimirum, l. uti *Oleum* per *deliquium* dictum, quod *externe* cutem liberat ab omnibus impuritatibus; uti ad diſſolvendos *tumores lacteos puerperarum*. *Levret.* *Rhabarb.* & Folior. *Sennae* vires excitant Grana quædam.

DOSIS *Liquaminis* hujus Drachm. I. cum *Syrupi* cujusdam Unc. dimidia, partitis & diſtantibus intervallis in *ardore ventriculi*, *rachitide* convenit; Major vero copia in *venenis* aſſumtis ad Drachm. I. quavis horæ quarta parte ſine omni additamento.

In *rachitide Sal. Tartar.* ſ. *Ciner. clavellat.* Unc. dimid. in *Aquae commun.* Unc. 12. ſolutum, ad Gutt. 20-30-100. per diem, in *Aquae fontan.* hauſto datum, eximie confert. *Piderit.*

In *ulceribus* & *ſpina ventoſa* a *rachitide* ortis.

In *indurationibus lacteis* & *ſcirrhis mammarum*, *teſticulorum* aliarumque partium *Plenck.*

Plura vide *Aëris fixi* præparatio; & *Alcali Lignorum* ſ. *Cineres clavellati.*

OBSERVAT. *Calorem ſanguinis* facile augent *Salia alcalina*, hinc *nocent plethoricis*, *bilioſis*, l. ubi *inflammationis metus* adeſt. Si ad *Riverium* vero

ro *acido* quodam ſaturatur, exhibet *Sal medium*, cruditates *incidens* primarum viarum, *bilem* & ſanguinem turgentem *temperans*, *obſtruct. ſolvens*, *excretiones-urinam* præcipue *promovens*. In *obſtructionibus glandularum meſenterii; infantibus* aliquod annorum a Guttis 10. ter in die datum valde conveniunt *Sal. Tartar.* vel *Ciner. clavellator.* depurator. Drachm. 1. *Aceti Vini* boni qu. ſuffic. ad ſaturationem, tum adde *Tinctur. Rhei aquoſae* Unc. 1. *Vini Antimonii Huxhami* Drachm. 1.

OBSERV. 2) *Cineres clavellati* depurati congrue, *Alcali depuratum vegetabile* exhibent æque congruum uti e *Tartaro Sal Tartari*, in iſtis inprimis regionibus non vineoſis, in quibus *Tartarus* magni eſt pretii. - Ordinarie quidem fit depuratio in *Aqua frigida*, quod autem non omne *Sal* aufert, commixtum, hinc *Göttling* ſuadet ut *Cineres clavellati* ſolvantur in *Aquae commun.* fervidæ quant. ſuffic. dein filtretur lixivium, quo in loco frigido *Tartarum vitriolatum* deponit in cryſtallos. Lixivium tum decolatur, inſpiſſatur denuo ad cryſtalliſationem & toties quoties nil amplius de hoc *Tartaro vitriolato* apparet. Lixivium ultimum inſpiſſatum plenarie, exhibet purum *Sal alcalinum vegetabile* æque bonum ac genuinum *Sal Tartari*.

SAL VEGETABILE, ſ. TARTAR. SOLVBIL.

vide *Tartarus Tartariſatus*.

SAL VITRIOLI NARCOTICVS,

vide *Sal ſedativum Hombergii*.

SALSILAGO AMMONIACALIS ACETOSA,

vide *Spiritus Mindereri*.

Satur-

SATVRNVS ACETOSVS,
ſ. *Pulvis Extracti Saturni.*

Præparatur ſi *Acetum ſaturninum* evaporetur adſiccitatem. Ph. *Roſſica.*

Plura vide *Extractum Saturni.*

SCAMMONIVM PRÆPARATVM,
vide *Diacridium praeparatum.*

SCILLÆ EXSICCATIO. ſ. PRÆPARATIO.

Bulbi Scillae recentis ablato externo cortice, transverſim in taleolas tenues ſecti, leniſſimo calore probe exſiccentur, ut friabiles fiant.

VIS *incidens, reſolvens, diuretica, emetica,* in forti doſi.

USUS in *pectoris* affectibus a *viſcida craſſa materia* ortis; in *aſthmate;* in *viſcerum abdominis obſtruction. cachexia, hydrope.*

DOSIS in *Infuſo* Gran. 10. cum Unc. 8. *Vini* l. *Aquae.* In ſubſtantia l. pulvere Gran. 3 - 5. cum aliis mixta remediis.

OBSERV. 1) Recte exſiccatæ indicium eſt, quod friabil. reddita amaritiem & acrimoniam retinet. *Clysma irritans* exhibet Drachm. 1. pulv. *Scillae pptae.* addita aliis ſpeciebus, in *cerebri* commotione, & *herniis incarceratis.*

2) Efficacior manet hac præparatione *Scilla* quam toſtione in olibano cum paſta e farina & *Aqua.*

SODÆ ſ. SALIS ALCALINI FIXI
mineralis, *depuratio.*

Rec. *Sodae Hiſpannicae* Unc. 36. Calcina igne valido, usque dum omnis odor ſulphureus evanuerit; ſolve tum in *Aquae font.* Unc. 72.

Lixivium filtra, & e reſiduo, ſemper de novo *Aquae* proportionatam quantitatem affundendo, coquendo & colando, omne *Alkali* extrahe. Omnes tum *extractiones* miſcentur, & ad ſiccitatem usque, in vaſe ferreo evaporan-

porantur, quo in locum frigidum repoſitum; concreſcent cryſtalli, *Sal alcalinum minerale*, ſeu ipſam *Sodam* rite depuratam continentes.

VIS *detergens*, *reſolvens*, *antacida*, *diuretica*.

USUS aliis *Medicamentis* parandis, ſolutionibus *alcalinis* ſ. *lixiviis*; in morbis ab *acido*, *rachitide*, *ſcrophulis*. *Piderit.*

Cæterum uſus convenit cum *Sale Tartari*

Externe in *ulceribus rachiticis* depurandis, & *tumoribus chronicis reſolvendis*. *Plenck.*

OBSERVAT. Pharm. *Roſſica* communicat quoque

a) *Sodam Acetoſam* ex *Alkali minerali*, ſaturato *Aceto Vini*, quo fiunt *Cryſtalli*.

b) *Sodam Tartariſatam* de qua vide *Sal Polychreſt. Seignette*; & *Alkal minerale Tartariſat.*

c) *Sodam vitriolatam* de qua vide *Sal Mirabile Glauberi.*

SODA VITRIOLATA,

vide *Sal Mirabile Glauberi.*

SODA SARTARISATA,

vide *Sal Polychreſtum Seignette.*

SPECIES CEPHALICÆ NERVINÆ

fomenti, pro *Cucuphis*.

Rec. Herb. *Menthae piperitid.* - *Rutae hortenſ.*
Serpill. - *Majoran.* - *Thymi*,
Salviae, - *Sabinae* - *Meliſſae* ana Unc. 2.
Flor. *Roſar. rubrar.* - *Lavendulae* ana Unc. 3.
Tanaceti Unc. 4. - Baccar. *Lauri.* -
Juniperi ana Unc. 2. - *Cardam. minor.* Unc. 1.
Semin. *Aniſi* - *Carvi* ana Unc. 2.
Macis Unc. dimid. Inciſis & contuſis fiant
Species: probe ſervandæ involutæ.

VIS & USUS e nomine patet. Qua *cephalicae*, *nervinae*, *roborantes*; in *capitis laeſionibus*; *contuſio-*

tuſionibus, *cerebri commotionibus*, ac morbis ad *reſolvendum*, *excitandum* & *roborandum*, ſacculis interſutis includuntur pro *cucuphis* hæ *Species*, quarum Unciæ cuilibet *Camphorae* Drachm. 2. addi poſſunt, & *Oleum deſtillat.* uti *Lavendulae* ad *vires* exaltandas.

Sacculi ipſi cæterum cum *Spiritu* quodam *nervino* & *aromatico* e. g. *Serpilli* inſpergi poſſunt.

Ad *contuſiones* in capite, *cerebri commotiones* &c. uti & poſt *operationes* in *capite inſtitutas Species* hæ utiliter calide adplicantur, cum *Vino* prius coctæ, & *Lintea* toties duplicata cum hoc *Vino* ſaturato, dein expreſſa, adplicata. *Piderit.*

OBSERV. Aliæ quæ exſtant compoſitiones, aromatibus variis impletæ, ſunt *noxiae.*

SPECIES PRO CLYSMATIBVS

ſ. *Enematibus.* ſ. *Clyſteribus.*

a) *Antiſpasmodicae.* Rec. *Rad. Valer.* offic. Unc. 3. - Fol. *Aurant.* Unc. 2. - Herb. *Mill. fol.* Unc. 1. groſſe inciſis, fiant *Species*, de quibus Drachm. 3. coquendæ ſunt cum *Aqua communi* Unc. 1. ad *Decoctum* ſaturatiſſimum.

VIS & USUS e titulo, inprimis in pertinaciſſimis *nervorum morbis*, cum infimi *ventris obſtruction.* Plures Drachmæ additæ *Aſae foetidae* conducunt in ſolvendis *infarctibus* & compeſcendis *ſpasmis.*

b) *Carminativae*, Rec. Radic. *Valerian.* officinal. - Herbæ *Menthae piperit.* ana Unc. 2. - Flor. *Chamomill.* - *Sambuc.* ana Unc. 3. - Sem. *Carvi* - *Anethi* ana Unc. 1. groſſe inciſis & contuſis fiant *Species*, quorum Drachm. 1. in *Aqua* communi Unc. 1. coquendæ ſunt ad *Decoctum* commune, Drachm. 2. vero additis, ſaturatius fit, cujus quantitas differt pro diverſa hominum *aetate*, *ſtatura*, & *medici* intentione.

VIS

VIS & USUS e nomine patent, qua *carminativum* in *flatul.* & *ſpasmis* mitigandis, *alvum aperiendam.*

DOSIS Unc. 1. neonatis infantibus, Unc. 2. biennibus, Unc. 4-6-8. majoribus ad 10. annor. Unc. 12. pro majori aut minori hominis ſtatura; in *Aquae* Unc. 15. coquuntur Unc. 12. remanentia pro *clysmate*, uſui interno *Specier. emollient.* convenient.

OBSERV. 1) Si *Clysmatum reſorptio* requiritur, & interdum plenaria conſumtio, uti in *Enematib. antiſpasmodicis, nutrientibus,* & *reſolventibus* Unc. 6. tum ſufficiunt ſine ullo *ſtimulante irritante*; ſi id vero requiritur, varia tum addenda ſunt ad *alvi obſtructiones* reſerandas & inteſtinum *ſtimulandum*, poſt colatur. *Decoct.* pro vario ſcopo. Ut ſunt *Nitrum* a Drachm. 2. - Unc. dimid. - *Sachar.* alb. Unc. 2-3. - *Sal Culinare* ſ. *Anglicum* ad Unc. dimid. - *Mel crudum* ad Unc. aliquot; - *Sal. Ammon.* ad Drachm. 2. *Fortior* ſi *irritatio* indicatur, propria tum *purgantia* l. *emetica* requiruntur, uti *Tartarus emeticus* a Gran. 3 - 8.

2) *Clysmata caeterum* ejusmodi calida ſemper applicantur, in ſitu corporis debito, & quidem melius *ſyringa* quam *veſica.*

c) *Emollientes.* Rec. Rad. *Althaeae* Unc. 4. - Herbæ *Malvae* - *Verbaſci*, l. *Meliloti*, - Flor. *Cham.* ana Unc. 3. - Semin *Fœnu Graeci* Unc. 1. groſſe incifis & contuſis fiant *Species*, quorum Unc. 1. & dimid. coquitur ad remanentiam Unc. 12. pro *clysmate, adulto* una vice injiciendo.

VIS & USUS e nomine patent. Scopo *laxante* & *emolliente* e. g. in *faecibus induratis*, *alvo obſtructa*, ſegnitie ejus; *doloribus* & *ſpasmo* inteſtinorum. - Quibus

OBSERVAT. 1) Loco *Aquae* cum *Lacte Species* commode poſſunt coqui, exceptis variis additamentis in caſu quovis obvio proficuis. OF-

OBSERV. 2) In pulverem tritæ, *cataplaſmati* quoque conficiendo aptæ ſunt.

d) *Reſolventes.* Rec. Rad. *Taraxac.* - *Saponar.* Herbæ *Centaur. minor.* - *Marrubii* ana Unc. 1. - Flor. *Tanaceti* Unc. dimid. - *Chamomill.* Unc. dimid. Inciſis fiant *Species.*

VIS & USUS e nomine patet; ad infimi inprimis *ventris infarctus* pertinaciſſimos; ad *obſtructiones viſcerum* abdominalium; *malum hypochondriacum*, *melancholiam*, aliosque ex *viſcerum infarct.* ortos morbos *Kämpf* & *Zimmerman.*

Qui in *ſpasmis* & *hyſtericis paſſionibus*, cum *obſtructionibus* ſimul junctis - *antiſpasmodicas ſpecies* conjungunt: & magis *aperientia* reddunt clysmata *Aqua Calcis Species* ſi decoquuntur, iſti mox levantur.

In uſu horum enematum *reſolventium*, uti *antiſpasmodicorum* notandum, matutino tempore, poſt alvi dejectionem, ſ. fecibus *clysmate irritante* primo eductis, tepide ſemper applicanda eſſe, & ſaturatiſſime uti in carminativis dictum, ad plenariam conſumtionem: & ut craſſioris Decoctum fiat *conſiſtentiae*, cuilibet ſpecierum Unciæ, *Furfurum* triticorum aut *Siliginum* Drachm. 2. admiſcendæ ſint, & quantitatem, quæ applicatur, non Unc. 6. transgredi debere: omnia in iſtis fugienda eſſe *irritantia*; cæterum frequenter & omni die, idque per aliquem temporis tractum, ad tanta mala vincenda. *Piderit.*

SPECIES MATVR. PRO CATAPLASMATIB.

Rec. Radic. *Altheae* Unc. 4. - *Ficuum* Unc. 1.
Coque cum *Aquae fontan.* qu. ſuffic. ad teneritudinem, & contuſis adde *Ceparum contuſar.* - *Reſin. Galb.* in *Vitello ovi* ſol. ana Drachm. 6. - *Mellis* Unc. 1. - *Farinae Semin. Lini*, quant. ſuffic. ad formam *Cataplasmatis* maturantis.

VIS & USUS e titulo, inprimis ad *tumores*, *abſceſſus* ad maturitatem vel ſupputationem ſatis cito promovendam, corio applicatum. *Piderit.*

OBSERVAT. Ph. *Londin.* communicat præſcript. e *Caricar.* Unc. 4. bene contuſar. *Vino* l. *Cereviſia*, tum *Ungu. Baſilic.* flav. Unc. 1. - *Galban.* colat. Unc. dimid. liquefact. addendi.

SPEC. RESOLVENT. AD EXTERNVM VSVM.

Rec. Herbæ *Abſynthii* - *Menth. piperitid.* - *Rutae*, - *Salviae* - *Sabinae* ana Unc. 3.
Flor. *Chamom.* - *Sambuci* - *Lavend.* ana Unc. 2.
Semin. *Carvi* - *Anethi* ana Unc. 1. Inciſis contuſis fiant *Species.*

VIS & USUS e nomine patet. Inprimis ad *ſtagnantes humores* reſolvendos, partes *debilitatas* roborandas, hinc in *inflammationibus*, & *contuſionibus* quoque confert.

Adhibentur vel in *ſacculis*, vel *decoquuntur* cum fluido quodam, ſpirituoſo aut aquoſo, ſtatui cuivis morbi conveniente, quo linteamina, in iſto Decocto ſaturata, dein affecto loco applicantur ſcopo reſolvente. Quandoque, in fine coctionis, pars quædam *Aquae Calcis* vivæ addi poteſt, pro intentione varia, vel *Spiritus Vini rectificatiſſimus*, aut *Vini camphoratus.* *Piderit.*

OBSERV. Ph. *Danica* addit adhuc *Meliſſae* ſ. *Menth.* ordinariæ loco piperitid. tum *Origani* ana Unc. 4. - & *Baccar. Lauri* Unc. 2. loco Semin. *Carvi* & *Anethi.*

Ph. *Roſſica* habet Herb. *Abſynth.* - *Abrotan.* - *Tanaceti* - *Scordii* ana part. æqual.

Ph. paup. *Hamb.* compoſ. conſtant e Herb. *Abſynthii* - *Menthae criſpae* ana Unc. 4. - Flor. *Chamomill.* vulgar. Unc. 2. conc. Miſce fiant Species.

Spe-

SPECIES RESOLVENTES
ad *internas obſtructiones.*

Rec. Radic. *Althaeae* , - *Bryoniae*,
Flor. *Chamomillae* - *Sambuci* ana Unc. 3.
Semin. *Lini* Unc. 2. Inciſis contuſ. fiant *Species*, quarum Uncia ½. cum *Micae panis tritici* Drachm. 6. & *Croci* auſtriaci Scrupul. 1. commiſcetur, in *Lactis* Unc. 12. ad formam Pultis coquitur, cui tandem adduntur *Vitellus ovi* unus & *Saponis* Drachm. 2.

VIS *reſolvens*, *incidens.*

USUS in *tumoribus inflammatoriis*, *obſtructionibus viſcerum*, l. inter linteamina l. in *veſica bovina* incluſum *cataplasma* tale applicatur, ſcopo non ſolum *reſolvendi*, ſed *dolores* quoque *leniendi*, *mitigandi* atrociſſimos, in *pleuritide*, *peripnevmonia*, excretionemque tum quoque per pulmones promovendam.

Confert hinc in *veſicae urinariae inflammationibus*, viſcerumque abdominalium *infarctibus*. *Piderit.*

OBSERV. Pharm. *Herbipol.* & *Plenck.* commendant Herb. *Marrubii* - *Mercurial.* - *Cicutae* - *Parietar.* - Flor. *Sambuc.* - *Chamom.* - *Arnic.* part. æqual. conc. Miſce.

SPECIES DECOCTI LIGNORVM.

Rec. Raſ. *Ligni Guaiaci* Unc. 3. - *Juniperi* Unc. 2.
Radic. *Chinae* conciſ. Unc. 1. - *Aqu. fluvial.* Unc. 144. coque ad dimid. ſub finem coct. addendo
Radic. *Glycirrhizae* Unc. dimid. cola.
Semin. *Aniſi* - *Fœniculi* ana Unc. dimid.
Inciſa - contuſa ſerventur. Ph. *Suecica.*

VIS *involvens*, *reſolvens* , *haemocatarctica.*

USUS ad *Decocta purificantia* - *ſudorifera*, ad *luem veneream*, *ſcabiem*, aliisque in *morbis lymphae*, & *catarrhalibus* , uti & in *gonorrhoea.*

DOSIS varia pro intentione & ſcopo curantis.

OBSERV. 1) Radix *Saſſafr. Saſſaparill.* etiam a quibusdam adhuc addit. quibus præferenda eſt Rad. *Sapon. Bardan.* radix. Ph. *Würtenb. Edinb.*

2) Ph. *Roſſicae* compoſitio conſtat e *Raſur. Lign. Guaiac.* - *Juniperi*, - Rad. *Saponar.* ana Unc. 2. - Radic. *Bardan.* - *Caricis* ana Unc. 4. Miſce fiant Species, quarum Unc. 4. cum *Aquae* Unc. 48. coquendæ ſunt, ut remaneant Unc. 36. addendo ſub finem Radic. *Glycirrhiz.* Unc. dimid.

SPECIES DECOCTI MVNDIFICANTIS, ſ. *purificantis.*

Rec. Rad. *Saponar.* - *Taraxaci*, - *Gramin. Canini*, (non de *Tritico repente* tantum, ſed ex aliis quoque *Graminum* ſpeciebus deſumendi,)
Lapathi acuti ana Unc. 3. - *Pimpinell. alb.* Unc. 1.
Ligni Quaiaci raſi Unc. 6.
Semin. *Aniſi* Unc. dimid. Inciſis & contuſis fiant Species, quorum Unc. 1. infundatur *Aquae fervent.* Unc. 24. lente decoquendis in vaſe bene tecto, ad quartæ partis conſumtionem, & dein coletur.

VIS & USUS e titulo patet. Inprimis ad *ſanguinis & humorum corruptionem* pituitoſam & veneream *corrigendam*, in *cutis morbis, fluore albo*, & inquinamentis venereis inveteratis, uti in *ſcabie venerea*, *cachexia univerſali*, *arthritide*, & *rhevmatismo*; in *ulceribus antiquis*, mane & meridie Decocti iſtius Unc. 6. *Sacharo* edulcorati ſumuntur.

Loco *potus ordinarii* æger pro lubitu poteſt ſumere *Decoctum ſecundarium*, ex iisdem ſpeciebus, poſt primam decoctionem remanentibus, cum Unc. 25. *Aquae fontanae.*

Cæterum confert eximie *Decoctum* hoc ſub *Mercurialium* uſu. *Piderit.*

OBS.

OBSERV. Ph. *Herbipol.* ſuadet Rad. *Bardan.* - *Caric. arenar.* - *Taraxac.* ana Unc. 3. - *Liquirit.* Unc. 1. - Raſ. Lign. *Quaiac.* Unc. 4. Inc. f. Spec.

SPECIES DECOCTI NEPHRITICI FORESTI.

Rec. Radic. *Liquiritiae* Unc. 1. & dimid.
Petroſelin. - *Fœniculi* ana Unc. 2.
Ireos Florentin. Unc. 1. & dimid.
Flor. *Malvae* - *Altheae* ana Drachm. 6.
Hordei mundati & prius loti Unc. 3.
Inciſa & contuſa craſſiuſcule ſerventur ad *uſum*, quorum Unc. 12. *Aquae*, *Specierum* Unc. 1. & dimid. ſumitur.

VIS *leniens*, *mitigans*, *diuretica*, *abſtergens*.

USUS in *nephritide*, ad *urinae* ardorem mitigandum, uti & *calculi dolorem*; ad *calculum pellendum*; in *dyſuria*, *ſtranguria relaxans*. In primo ſtadio *inflammationis*, in *gonorrhoea*.

OBSERV. Semin. *Fœniculi* - *Saxifrag.* ana Drachm. 6. - *Cicer. rubror.* Unc. 6. - *Juiubar.* - *Caricar.* ana Nro. 30. omiſimus conſulto, qua facile rancida; & qua *oleoſa* in *morbis renum* non tam proficua.

SPECIES DECOCTORVM VARIORVM,

vide *Decocta*.

SPECIES PECTORALES.

Rec. Rad. *Altheae* Unc. 2. - *Liquirit.* Unc. 1.
Flor. *Sambuci* - *Tuſſilaginis*,
- *Papaver. erratic.* ana Unc. dimid.
Paſſularum minorum mundatarum Unc. 1.
Caricarum pinguium Unc. 2 - 3. - Semin. *Aniſi* Unc. 1. Inciſis contuſis fiant *Species*; quorum Unc. dimid. cum *Aqu. commun.* Unc. 12. probe coquuntur, ad dimidium.

VIS *pectoralis*, ſerum *incraſſans*, *acre corrigens*, *involvens*, *demulcens*; *eccoprotica* lenis.

USUS in *morbis pectoris*, a *ſtrictura*, aut ab *acri* oriundis, ad *expectorationem* promovendam, & *acres humores* obvolvendos; ad *acre corrigendum*; *phlegma* pulmonibus impactum *maturando*; *bronchia* & *tracheam demulcendo*, *humectando* & *lubricando* *tuſſientibus* egregie convenit, uti *aſthmaticis*, *pleuriticis*.

DOSIS ſcopo *pectorali* Unc. 1 - 1 ½. pro Unc. 12. Liquoris. Pro *potu* ordinario ad menſuram 1. liquoris, Uncia 1. ſpecierum ſufficit.

OBSERV. Quidam uti Ph. *Auſtriaca* addunt *Hordei mundi*, - Herb. *Heder. terreſtr.* - *Verbaſci*, - Flor. *Verbaſci* - *Rhoeados*.

Uti Pharm. *Würtenb. Siliquae dulc.* - *Juiubar.* ana Drachm. 6. - *Capillor. vener.* Unc. dimid. - *Hyſſopi* Drachm. 2.

Ph. *Danica* præſcrib. Rad. *Bardan.* Unc. 4. - *Alth.* Unc. 1. & dimid. - *Enulae* - *Liquiritiae* - Herb. *Tuſſilagin.* - *Veronic.* ana Drachm. 6. - Flor. *Papaver. rhoead.* - *Verbaſci* - *Bellidis minor.* ana Drachm. 2. - Semin. *Aniſi ſtellat.* Unc. 1. & dimid. Inciſa & contuſa miſceantur.

Ph. *Roſſica* commendat Radic. *Glycirrhiz.* part. 1. Stipit. *Dulcamar.* - Herb. & Flor. *Tuſſilag.* - Herb. *Veronic.* - *Salviae* - *Hyſſopi* - *Hederae terreſtr.* ana part. 2. Miſce fiant Species.

Ph. *Herbipolit.* communicat *Malti* hordei æſtivis menſibus in aëre exſiccatis, & ab enatis ligulis bene purgat. Unc. 1. & dimid. - Rad. *Altheae* Unc. 12. - *Liquirit.* - *Caricar.* ana Unc. 6. - Flor. *Verbaſci* - *Rhoeados* ana Unc. 2. M. fiant Spec.

SPECIES DIATRAGACANTHÆ,

vide *Pulvis Diatragacanthae*.

Spe-

SPECIES PRO COLLVTORIIS, vide *Collutorium antiſcorbuticum.*

SPECIES PRO ENEMATE, vide pro *Clyſmate.*

SPECIES AD GARGARISMATA DIVERSÆ *Speciei*, vide *Gargariſma.*

SPECIES IMPERATORIS PRO MORSVLIS.

Rec. Rad. *Galang.* Unc. 1. - Flor. *Caſſiae* Drachm. 10. *Cardam.* minor. - *Caryoph.* arom. ana Unc. dimid. *Macis* Drachm. 2. groſſe inciſ. & cont. fiant Spec.

USUS proprie *Morſulis* & *Tragaeis* parandis, cæterum qua *ſtomachicae*, in vitiis *ventriculi pituitoſis* & *flatulentis* ad Drachm. ½. cum *Sachari* dupla parte mixtæ inſerviunt, excepto eo, ut ad alia *Medicam.* corrigenda addi poſſint. *Piderit.*

OBSERV. *Compoſition. variae* exſtant, uti Ph. *Würt.* ſuadet *Cinnamom.* Drachm. 10. - *Zinziber.* - *Caryophyllor.* ana Unc. dimid. - *Galangae* - *Macis* - *Nucis Moſchatae* ana Drachm. 2. Miſce ad uſum; *roborandi ventriculum pani* toſto, vinoque macerato inſperſum.

SPECIES NERVINÆ, vide *Cephalicas* pro *Cucuphis.*

SPECIES PRO PTISANA, vide *Decoctum.*

SPECIES PRO THEIFORMI INFVSO.

Rec. Radic. *Gramin.* Unc. 1. & ½.
Herb. *Millefolii* Unc. 2.
- *Veronicae* Unc. 3. Inciſis fiant Species.

USUS e titulo patet. Loco ſæpius nimium calentis & exæſtuantis conſueti, & tam vulgaris ſic dicti *Thee e China*, ſ. in congrue dicti *Hollandici.* Ph. *Roſſica* præſcribit Flor. *Chamomill.* - Herb. *Veronic.* ana part. 6. - Folior. *Salviae* part. 2. - Semin. *Fœniculi* part. 1. Miſce fiant Species.

SPIRITVS ACETI, vide *Acetum Vini deſtillatum.*

SPIRITVS ÆTHEREVS SIMPLEX *Nitratus*, vide *Acidum Nitri dulcificatum.*

SPIRITVS ÆTHEREVS VITRIOLATVS, vide *Liquor anodynus mineralis.*

SPIRIT. ANISI, ſ. AQVA ANISI SPIRITVOSA.

Rec. Semin. *Aniſi* contuſi Unc. 6.
Spiritus Vini Unc. 72. Macerentur per 12. horas, tum lege artis deſtillentur, quamdiu fluunt, circiter ad Unc. 36.

VIS *carminativa*, *ſtomachica.*

USUS in *digeſtione* depurata, & *flatulentia.* In *doloribus* ad partum *ſpuriis* non inepte; præſertim in plebejis uti *Carvi Spiritus* non inepte exhibetur, *Aqua* & *Sacharo* temperatus bibitur.

DOSIS a Drachmis aliquot ad *Uncias aliquot.*

OBSERV. Eodem modo e *Seminibus Carvi* - *Spiritus Carvi*; e *Juniperi* baccis - *Spiritus Juniperi* parantur.

SPIRITVS ANTHOS, vide *Spirit. Roriſmarini.*

SPIRITVS ANTISCORBVTICVS, ſ. *Mixtura antiſcorbutica Drawitz.*

Rec. *Vitrioli Calcinati* Unc. 24.
Tartari crudi Unc. 36. Mixta deſtillentur congrue, igne gradatim aucto, usque dum vapores nulli amplius appareant. Tum

Rec. *Spiritus* hujus acquiſiti Unc. 12.
- *Cochlearide* Unc. 4. Miſceantur.

VIS *reſolvens*, *aperiens*, *excretiones promovens* - *ſudorem* & *urinam* - hinc *haemocatharctica.*

USUS in *ſcorbuto*, *ſcabie*, *cacochymia*; in *rhevmatiſmo*, *arthritide*, *podagra*, ad *dolores* mitigandos & per *urinam* & ſudorem expellendo; in *apoplexia*, *paralyſi*, ab *arthritide* retrogreſſa orta cæterum confert.

DOSIS

DOSIS a Gutt. 20 - 80. cum *Syrupo* quodam mixtus.
OBSERVAT. 1) *Werlhof* maxime jam fecit *Spiritum* hunc ſub nomine *Mixturae antiſcorbuticae.* 2) Ph. *Herbipolit.* & *Brunſ.* valde ſimplici modo communicant præſcriptionem e *Spiritu Tartari* optim. Unc. 12. - *Spirit. Cochlear.* Unc. 4. - *Olei Vitrioli* concentr. Unc. 1. Mixta deſtillandi ad ſiccitat.

SPIRITVS BEZOARDICVS BVSSII.

Rec. *Spiritus Sal. Ammoniac.* vinoſi Unc. 8.
Liquor Cornu Cervi ſuccinat. Drachm. 6.
Olei Citri Gutt. 10. Miſceant. & ſerventur uſui.

VIS valde *diaphoretica*, *diuretica*; & *antiſpasmodica*, inprimis *Liquore anodyno Hoffm.* junctus.

USUS in *morbis exanthematicis*, *arthriticis* retrogreſſis, l. non rite erumpentibus; - in *ſpasmis*; in *paſſione hyſterica*; - in *convulſionibus* e dentitione difficili ortis, quos cito tollit.
Olim magis ad *exanthematum* erupt. laudabatur.

DOSIS a Gutt. 12 - 30 - 40. in appropriato vehiculo adultis; biennibus infra annum Gutt. 4 - 6.

SPIRITVS CARMELITARVM,

vide *Aqua Meliſſae compoſita.*

SPIRITVS COCHLEARIÆ.

Rec. Herbæ *Cochleariae* rec. cont. Unc. 72. affunde
Spiritus Vini rectificat. Unc. 48.
Aquae font. Unc. 72. quam quidam plane omittunt, uti Ph. *Herbipol.* & hinc ſumunt.
Spirit. Vini Unc. 144. Juncturis probe munitis deſtilla lege artis ad acquiſitionem.
Spiritus Unc. 24.

VIS *purificans*, *diuretica*, *carminativa*, *antiſeptica*, *antiſcorbutica* eximia ad *ſcorbuticos affectus*, *oris* & aliarum partium.

USUS ad *gargariſmata* & *collutoria*; in *ſtomacace*, *aphthis*; & aliis gingivarum & palati *ulceribus*; ad *ulcuſcula* pinſenda etiam cum melle. *Piderit*.
DOSIS *interne* a Drachm. $\frac{1}{2}$ - 1. *Aqua* dilutus.
OBSERVAT. Per fermentationem paratus minoris eſt efficaciæ & gratiæ.
1) *Mellin* ſuadet *Cochlear*. recent. contuſ. Unc. 120. *Spiritus Vini* rectificat. Unc. 60. Macerent. per horas 12. deſtillent. e *Balneo Mariae* ad Unc. 60.
2) *Spiritus Cochleariae compoſitus* conſtat addito priori tantum rad. *Armonaciae* recent. Unc. 10. cujus *vis fortior* eſt.

SPIRITVS CORNV CERVI,

vide *Oleum Cornu Cervi*.

VIS peculiaris *antiſpasmodica*, *aperitiva*, *diaphoretica*, *diuretica*. *Diſſolvens* humores & ſolida *ſtimulans*, *excretiones promovens* aquoſas.
USUS in quibus iſta indicantia conveniunt.
DOSIS a Scrupulo 1. - Drachm. dimid. Ph. *Würt*.
OBSERV. Raro genuine venditur hic *Spiritus*, nec ſemper e *Cornu Cervi* paratur, ſed ex oſſibus quibuscunque, & vilioris pretii cauſa interdum ſuper *Calcem vivam* rectificatur, quo *acris* fit, & multum hinc *Salis urinoſi* mentitur.

SPIRITVS FORMICARVM.

Rec. *Formicarum* recent. major. in menſe *Jun*. & *Jul*. collectar. Unc. 12.
Spiritus Vini rectificat. Unc. 24. deſtillentur Mixta e balneo mariæ ad ſiccitatem Unc. 12.
VIS *tonica*, *nervina*, *reſolvens*.
USUS *Externe* ad *paralytica* membra; ad partes *debilitatas*, *rigidas*, in earum *atonia*; in *capitis contuſionibus* - fomentationibus inſperſum; in *capitis doloribus* a *torpore* ortis, vertici & temporibus applicatum. *Piderit*.

In

In *tinnitu* aurium & *auditus* difficultate l. inſtillatus, l. cum *bombuce* inditus confert, uti & ad *contuſiones* & *luxationes* dilutus *Aqua*. *Plenck.*
OBSERV. *Nocet* externe in doloribus *rhevmaticis* - *arthriticis* & *podagricis* auferendis: uti interne generatim ſumtus.
Ph. *Roſſica* & *Suecica* ad ſuperior. quantitat. ingredient. ſuadet *Aquae commun.* Unc. 12 - 18. calore balnei eliciendas Unc. 18.

SPIRITVS LAVENDVLÆ SIMPLEX.

Rec. Flor. *Lavendul.* rec. leviter ſiccat. Unc. 12-18.
Spiritus Vini non rectific. Unc. 48. Prævia per triduum digeſtione, deſtillentur ad dimid.
Quidam addunt *Aquam Lavendulae* Unc. 12.
VIS *reſolvens*, *tonica*, *nervina*, *cephalica*, *ſtomachica.*
USUS & hujus *Spiritus* & *Meliſſae* & *Serpilli* externe ad partes *debilitatas* - *paralyticas*- *roborandas* & *nervos* erigendos; in *luxationibus*; in *atonia* partium & in *capitis laeſionibus*, *contuſionibus*; uti & *Species*, quæ *Cephalicae* appellantur, aſperſis talibus *ſpiritibus* actuoſiores redduntur; - In *lypothymicis* & *debilibus* odoramento; - in *ſugillationibus diſcutiendis* & *doloribus rhevmaticis.*
OBSERVAT. 1) Ph. *Roſſicae* præſcriptio conſtat e Flor. *Lavendulae* recent. Unc. 24. - *Spiritus Vini gallici* Unc. 96. deſtillatione eliciendas Unc. 48. & ut tum addentur *Tincturae Benzoes* Drachm. 4. Eandem præſcriptionem, omiſſa tantum *Tinctura Benzoes*, obſervandam eſſe ea jubet in *Spiritu Menth.*- *Meliſſae* - *Rorismarini.*
2) *Spiritus Lavendulae compoſitus*, ſ. *Anglis Balſy Trops.* Guttæ *Paraliticae.* Rec. *Spiritus Lavendulae ſimplicis* Unc. 36. - *Spiritus Rorismarini* Unc. 12. - *Cinnamomi*, - *Nucis Moſchatae* ana Unc. 6. - *Santali rubri* Drachm. 3. Digere per 7. dies & cola. VIS *Externe tonica*, *roborans*,
In-

Interne ſtomachica, *diaphoretica.*

USUS *Interne* in *debilitate* ſubitanea; *ſyncope*, *vertigine*; *vomitu*, *ſudore frigido*; *apoplexia ſeroſa*; malo *hyſterico*; in *digeſtione* læſa. *Roſenſtein.* *Externe* in *vomitu cruento* ad *odoramentum Roſenſenſtein*; ad *infrictiones* externas.

DOSIS Guttæ 8-10. cum Sacharo, l. Vino l. *Aqua Cinnamomi.*

Ph. *Edinb. Caryophyll.* aromatic. Unc. 1. & dimid. addendam ſuadet.

SPIRITVS MELISSÆ SIMPLICIS.

Paratur e *Herba Meliſſae*, uti *Spiritus Lavendulae ſimplex*, cujus

VIS & USUS idem; præſertim quoque in *clavo hyſterico*, tam *externe* applicatus, quam *interne*, ad cochlear datus; & in menſium *ataxia.*

SPIRITVS - ſ. LIQVOR - MINDERERI,

ſ. *Salſilago Ammoniacalis acetoſa*, ſ. *Spiritus Salis Ammoniaci* cum *Sale Alcali* parat. commixtus acido *Aceti* ſ. *Mixtura Salina volatilis Suecorum.*

Rec. *Aceti Vini deſtillat. acerrimi* Unc. 2. Inſtilla paulatim *Sal. Ammon.* cum *Sale Tartari.* l. *Spiritus Cornu Cervi* qu. ſuffic. ad ſatur. plenar. aſſerva in vitro probe clauſo.

VIS *aperiens*, *attenuans*, *antiſpasmodica*, *diaphoretica*, *antiſeptica*; *diſcutiens*, *reſolvens*, *excretiones* aquoſas *promovens.*

USUS *Interne* ad *exanthematum* e. g. *variolarum*, *morbillorum*, *purpurae* eruptionem promovendam. In *febribus putridis* - *malignis* - *ſpasmis*, - affectibus *arthriticis* - *hyſtericis.*

Aſae foetidae vires præcipuas *antiſpasmodicas* - *reſolventes* in ſigniter auget & ſecundat, in *obſtruct. viſcerum*, in *menſium* ſuppreſſione & aliis ſanguinis fluxibus; in *aſthmate*, *tuſſi* ſuffocativo; morbis *hyſtericis*. Hinc

Hinc conſulto *Millar. Aſae foetid.* Drachm. 2. in hujus *Spiritus* Unc. 1. ſolvendas ſuadet, & cum aliquot Unciis cujusdam *Aquae deſtillatae* miſcendas, ut infantes omni bi-tri-horio aliquot cochlearia parva ſumant, & *adulti* majora.

Externe ad *tumores frigidos induratos, cyſticos, articulares, ſarcocelen,* cum *Aſa foetida* eo potentior agit. *Piderit.*

Cæterum externe *fomenti* inſtar appoſitus ſummum eſt *diſcutiens,* & *reſolvens* in morbis quoque *ocularis,* ubi in *cornea* aut humore aqueo opaci quid hæret.

Dosis a Drachm. dimid. - 2. cum *Syrupo* quodam l. cum aliis remediis mixtus. DOSIS

Dependet multum a qualitate *Salis* additi *alcalini* & *aceti.*

OBSERV. 1) Probe attendendum, ut ſaturatio ſufficiens fiat, & ſemper recens paratus ſit *Spiritus,* non privatus *Alcali volatili.*

2) Ph. *Edinb. Roſſica,* & *Haſſe* præſcribunt ut ſine deſtillatione *Alkali volatile* e *Sale Ammoniac.* trit. quant. plac. ſaturetur ſucceſſive adfuſo *Aceto* forti deſtillato, mixtura per chartam tum coletur.

Ph. *Herbipol.* & *Danica* ſumunt *Aceti* deſtillat. qu. plac. Inſtilla paulatim, ſubinde agitando *Spirit. Sal. Ammon.* cum *Calce viva* parat. qu. ſuffic. ad juſtam & perfectam ſaturationem.

Mellin præſcribit *Sal. Ammon. volatil.* quant. plac. Paulatim inſtilla ſubinde agitando - *Aceti deſtill.* qu. ſuffic. ad ſaturationem plenariam.

3) *Löwe* commendat ex recentioribus hancce compoſitionem. *Ciner. clavellat.* depur. Unc. 4. *Aceti deſtillat.* qu. ſuffic. ad ſaturat. plenar. inſpiſſa fluidum ad Unc. 36. retortæ vitreæ immiſſo addentur *Sal. Ammoniac.* pulveris Unc. 2.

ad-

adaptato recipienti congruo, deſtilletur e *Balneo* arenæ leni igne, ad reſiduum plane ſiccum; Liquor, pro lubitu magis minusve volatilis, conficiendus.

SPIRITVS NITRI FORTIS - ACIDVS - *concentratus - ſumans* - ſ. *Glauberianus*, ſ. *Aqua fortis* fortior, vide *Acidum Nitri ſumans*.

SPIRITVS NITRI ACIDVS COMMVNIS *tenuis*, ſ. *Aqua fortis communis*, vide *Acidum Nitri tenue*, *dilutum*, *commune*.

SPIRITVS NITRI DVLCIS. ſ. VINOSVS *nitroſus*, ſ. *Spiritus aethereus nitratus*, vide *Acidum Nitri dulcificatum*, ſ. *vinoſum*.

OBSERV. 1) Ph. *Roſſica* ſuadet *Acidi Nitri* part. 1. *Spirit. Vini* rectificatiſſ. part. 4. gradatim ut infundetur, mixtura digeratur, per 1 - 2. diem & e balneo deſtilletur.

Adhærens forte *Acidum* rectificatione nova ex *Aqua*, addito pauco *Alkali Lignorum* ſeparetur.

2) Rite paratus *Spiritus Nitri dulcis* cum *Alkalinis* non effervescit.

SPIRITVS SALIS AMMONIACI VOLATILIS, ſ. *vinoſus*, ſ. *ſpirituoſus*, ſ. *Alkali Ammoniacum volatile*.

Rec. *Salis Ammoniac.* pulveriſat. depurat. Unc. 6.
Alkali lignorum ſ. *Sal. Tartari* ſ. *Ciner. clavellator.* Unc. 12. immiſſis cucurbitæ vitreæ affunde
Spiritus Vini fort. Unc. 12 - 24. In exiguo ignis gradu deſtillentur e retorta, juncturis probe clauſis *Spiritus volatilis* prodeuntis Unc. 12.

VIS *incidens*, *reſolvens*, *diſcutiens*, *tonica*, *nervina*, *diuretica*, *diaphoretica*.

USUS in partium ſolidarum, *atonia*, *paralyſi*.

Inter-

Interne, qua valde forte, caute in copia *humorum pituitoſorum* & *craſſorum*, e. g. in *febr. intermitt.* & *chronicis* morbis variis, uti in *pectoris morbis* cum vehiculo a Guttis 15-30.

In *menſium* retentione cum *lenta pituita* abundante.

In *febr. intermittent.* inſignis frigoris ſtatu, a Gutt. 10-30. in vaſculo *Thee;* in affectibus chronicis a *laxitate* - & *torpore*.

Externe odoramento ad *pituitam* in gravedine *ſolvendam*, & *diſcutiendas* pituitæ *ſtaſes*. - *Oleis aethereis* in eo ſolutis, qua *cephalicum* agit. -

Inſervit quoque ad *Salia volatilia* oleoſa liquida e tempore paranda, dum *Olea aetherea* in eo ſolvuntur.

Minor vis ac *Spirit. Sal. Ammon.* cum *Calce viva* paratus, magis calefaciens.

Externe, *excitans* - *diſcutiens* forte, cum aliis ſpiritib. nervinis mixtus, ad *reſolvendum*, l. ſolum l. cum aliis nervinis ſpiritibus mixtus, *dolentibus* membris illinitus eximie convenit, *inflammatio* modo non adſit. *Piderit.*

In *odontalgia*, *ſyncope*, *naribus* applicatum confert. In *tumoribus ciſticis*, *ſcrophuloſis* & *lacteis reſolvendis*. *Plenck.*

OBSERV. 1) Ad Diſpenſator. *Würtenb.* ſumuntur Pulver. *Salis Ammon.* Unc. 6. - *Ciner. clavellat.* Unc. 12. immiſſis cucurbitæ vitreæ, ut adfundantur *Aquae fontan.* Unc. 6. - *Spiritus Vini* rectificati Unc. 12. Alembico ſuperimpoſito, juncturis probe lutatis, deſtillentur lento igne, ex arena, quo *Spiritus* hujus *volatilis* Unc. 11-12. poſſint acquiri.

2) Additis *Oleis deſtillatis*, varia *Salia volatilia*, ſic dicta oleoſa, uti *Aniſi* e tempore commode poſſunt parari.

OBSERV. 3) Ph. *Edinburg. Spiritum Sal. Ammon. vinoſum* præſcribit e *Spiritus Sal. Ammon. cauſtic.* Unc. 4. - *Spiritus vinoſi* rectific. Unc. 8. miſcendi.

SPIRITVS SALIS AMMONIACI ANISATVS.

Rec. *Salis Ammon.* pulveriſat groſſe Unc. 12.
Ciner. clavellat. Unc. 24. - Semin. *Aniſi* tuſi Unc. 6.
Spiritus Vini non dephlegmati Unc. 48.
Aquae ſontan. Unc. 48. quidam addunt.
Miſta ut deſtillentur e cucurbita vitrea *Liquoris oleoſi volatilis* ad abſtractionem Unc. 60. & ſerventur uſui in vitro bene clauſo.

VIS *incidens, reſolvens; carminativa* eximie.

USUS ad *pituitam* in morbis *pectoris* incidendam uti in *tuſſi catarrhali, coryza, catarrho ſimplici;* & *ſtaſes* inde ſolvendas a Guttis 20 - 40. in vaſculo *Thee*, l. alio idoneo vehiculo.

Ad pectoris *infarctus pituitoſos reſolvendos*, tonum pulmonum roborandum, decubitum humorum prohibendum.

In *flatulentia*, a *pituitoſis humoribus* uti in *colica flatulenta, ſtranguria*, & in *iſchuria* a cauſa frigida orta, l. a cereviſia male defæcata.

DOSIS Guttæ 10-40. in vehiculo congruo.

OBSERV. 1) *Nocet* in *morbis pectoris* cum *diatheſi inflammatoria*, uti in omnibus corporibus ad *diatheſin* inflammatoriam pronis, largiori enim ejus uſu morbi primum redduntur inflammatorii.
2) Alii miſcent ſimpliciter *Spiritus Salis Ammon. vinoſi* Unc. 12. cum *Spirit. Aniſi* Unc. 1. *Piderit.*
3) De aliis ſpeciebus & admixtionibus alio loco ſermo erit.

SPIRITVS SALIS AMMONIACI VOLATILIS

urinoſus, fluidus, ſ. *Alkali Ammoniacum cauſticum*, ſ. *Alkali-fluor-volatile-cauſticum*, ſ. *Spiritus Sal. Ammoniaci* cauſticus, l. cum *Calce viva* paratus.
ſ. *Spiritus volatilis Lewis.*

Rec.

Rec. *Salis Ammon. depur.* Unc. 4. ſeorſim pulverat. & mixtis probe *cucurb.* vitreæ prius immiſſis, *Calcis vivae* rec. calcinatæ pulv. Unc. 12. ſuperf. *Aquae fontan.* Unc. 12-48. Leni igne deſtillentur tum e retorta tabulata, juncturis probe lutatis, *Spiritus* Unc. 8. in vitro optime munito ſervandi. *Piderit.*

VIS *cauſtica:* fortior quam *Ciner. clavellat deſtillat.* potentiſſime *reſolvens*, *irritans*, *excitans*, *exhilarans.*

USUS *Interne* noxius, niſi prius acidis ſaturatus, l. loco *Calcis, Alkali ſal vegetabile* ſumtum ſit. *Selle.* hinc in *morbis pituitoſis*, *apoplexia* confert, *catarrho ſuffocativo, cephalalgia* a ſtagnanti pituita orta.

Confert ad excitandos *Aqua ſubmerſos*, ſuffocatos diverſimode, a nive refrigeratos, qua irritamen optimum exhibitum charta ſ. linteamen iſto immerſum, naribus applicatum, & ad *fauces* eo pingendas.

Externe in *aſphyxiis* naribus admotus, & *ori* inditus; pro *excitandis apoplecticis*, *epilepticis*, *ſoporoſis, lypothymicis*, *ſyncopticis* & *hyſtericis*, uti & pro illinendis *membris*, a *paralyſi* tonum amiſſis, confert.

Ad conſumendum ſaccum *tumorum cyſticorum*; in tumoribus *albis - arthriticis* articulationum, *ambuſtione*, multa *Aqua* dilutus, in *ictu* inſecti.

Scopo *roborandi* in affectibus *rhevmaticis*, *arthriticis* & *paralyticis.* Partes animales in tabum ſolvit ac conſumit, *tophos terreos* reſolvit. *Plenck.*

DOSIS a Guttis 10-15-20. & ultra.

OBSERV. 1) Quidam practicorum tantum in morbis *arthriticis*, *paralyticis* & ipſa *rabie canina*, qua unicum commendant remedium.

2) *Plethoricis* nocet, niſi *venae ſectio* larga antea præmiſſa ſit, ſcopo excitandi.

OBSERV. 3) Ph. *Suec.* & *Edinburg.* proportio eſt *Calc. viv.* recent. Unc. 24. ad *Sal. Ammoniac.* & *Aquae purae* ana Unc. 12. cæterum uti ſupra. Ph. *Edinburg.* præſcrib. *Sal. Ammon.* depur. Unc. 24. - *Calc. viv.* recent. parat. Unc. 30. ſeorſim tritis & mixtis, in retorta capaci loricata affundantur *Aquae fontan.* Unc. 180. Retorta manu clauſa bene agitetur, receptaculo tum amplo agglutinato, mox inſtituetur deſtillatio leni igne ad Unc. 144. *Spiritus*, in vaſculo optime clauſo ſervandus.

SPIRITVS - SALIS COMMVNIS ACIDVS - *Simplex*, l. *Muriaticus*,

vide *Acidum Salis culinaris communis - ſimplex.*

OBSERV. *Reſiduus Sal* eſt *Sal Mirabile Glauberi.*

SPIRITVS SALIS COMMVNIS DVLCIS, ſ. *Vinoſus*, ſ. *Muriaticus vinoſus*,

vide *Acidum Salis communis dulce.*

SPIRITVS SERPILLI.

Paratur e *Herba Serpilli*, uti *Spiritus Lavendulae.*

VIS egregie *roborans*, *nervina*, *diſcutiens*, *anodyna.*

USUS *Externe* in affectibus *rhevmaticis - arthriticis* - in *cephalalgia*: uti & in *lingua paralytica*, & *angina.*

OBSERV. *Spiritum nervinum externum*, valde ſimplicem & tamen efficacem, communicat Pharm. pauper. *Hamburg.* e *Spiritus Lavendul.* - *Spirit. Sal. Ammon. volatil.* ana Unc. dimid. - *Olei deſtillat. Succini* Drachm. dimid. miſcendi probe.

SPIRITVS TARTARI SIMPLEX,

vide *Acidum Tartari deſtillatum.*

SPIRITVS TEREBINTHINÆ,

vide *Oleum Terebinthinae.*

Spi-

SPIRITVS VINI CAMPHORATVS.

Rec. *Spiritus Vini* rectificatiſſimi Unc. 12.
Camphorae Unc. $\frac{1}{2}$ - 1. Stent ad camphoræ ſolut. in loco leniſſimo calido, & uſui ſerva.

VIS *Externe* eximie *diſcutiens*, *diſſipans*, *roborans*, *ſtimulans*.

USUS *Interne* in *luxationibus*; in *contuſionibus*; in *tendinum* & *ligamentorum* debilitate; ſcopo *roborante*, uti in *uvula* prolapſa; in *paralyſi*; in *rhevmatismo* - & caute in *inflammatione*, in *gangraena humida*, *ſphacelo*, *panaritio* fungoſo, *lupia*, *ambuſtione* lævi; in quibus interdum melius per ſpecies præſcribitur.

In *ulceribus laxis gangraenoſis* convenit quoque.

Nocet in *fibrarum rigiditate*; l. in *ingenti inflammatione*; in *decubitu humorum* proxime ſub *cute*, e. g. in *eryſipelate*, ſi humores coagulando *exulcerationi* facile anſam præbent.

Ad diſſipandas *ſugillationes* merito quoque aliis præferuntur.

Cæterum non adeo diu protrahendus eſt uſus hujus *Spirit. Camphorat.* quum *Spirituum* applicatio melius in chirurgia reſtringenda eſt, recentiorum obſerv. quam amplior reddenda. *Piderit.*

OBSERV. 2) Ph. *Londin.* præſcribit partes æquales, ad eo fortiorem acquirendum *Spiritum*.

Ph. *Würtenb. Camphorae* tantum Drachm. 6. ad *Spiritus Vini* Unc. 12.

SPIRITVS VINI CROCATVS, ſ. AQVA *peſtilentialis Hartmann.*

Rec. *Spirit. Vini Camphorati* Unc. 2.
Tincturae Croci Drachm. 2. Miſceantur.

VIS & USUS cum *Spirit. Vini camphorato*: exceptis iis peculiaribus, quod *vim* præſtet *anodynam*, & conferat in *ingentibus doloribus*.

Cephalalgias a cauſis ortas *frigidis*, alter & alter cum *linteaminis* applicatus hicce *Spiritus* ſæpe ſatis cito tollit.

Fomentationibus reſolventibus addita *Spirituum* horum debita portio, convenit ſemper.

OBSERVAT. Ratione *Inflammationis* multo magis caute applicandus eſt hicce *Spiritus*, quam ſimplex camphoratus, multo fortior.

Sic in *Idioſyncraſia* probe curandum eſt, varii enim *Spirituum* applicationem, ejus cauſa ferre nequeunt.

SPIRITVS VINI RECTIFICATVS,

ſ. *Spiritus Vini* reiterata deſtillatione ab omni *Aqua* liberatus.

Rec. *Spiritus Vini*, qu. plac. e *veſica cuprea*, per alembicum ſtanneum modico igne, deſtillatur dimidia pars, usque dum guttæ lacteæ ap, pareant, quo a *phlegmate* ſuo ad maximam ſeparatur partem.

VIS *ſtyptica*, vaſa diſciſſa *arctans*, *contrahens*, ſanguinem & ſerum *coagulans*; *roborans*, *adſtringens*, *irritans*, *putredini reſiſtens*.

USUS ad *fomentationes roborantes*, partes *debilitatas fomentandas* iſtis; ad varia *remedia medica* & *interna* & *externa*; ad vaſa fortiter *contrahenda*, *ſanguinem coagulandum*; *haemorrhagias* ſiſtendas, qua optimum *ſtypticum*, l. *parvis linteaminibus*, l. *plumaceolis* in *externis* applicatum *haemorrhagiis*, a vaſis læſis mediocris magnitudinis ortis. - Ad partes debiles *roborandas*; *putredini* & *oſſium cariei* reſiſtendum.

In *articulationum* aliarumve partium *laxitate*, uti in *herniis*, *uvula* prolapſa, *tumoribus* oedematoſis; in *ulceribus* l. *vulneribus pure* nimio manantibus; in *calli* oſſei mollitie. *Plenck.*

Aqua

Aqua dilutus *Spiritus Vini* in *inflammationib.* chronicis, ab *atonia* vaſorum ortis, uti in *angina* & *ophthalmia* chronica.

In *vulneribus* fungoſis, multum ſuppurantibus *Aqua vulneraria* e *Vino* cum herb. *balſamicis* deſtillata. *Plenck.*

Cæterum ad *Eſſentias* & *Tincturas* parandas confert.

Nocet Spiritus Vini in *vulneribus cerebri*, in *inflammation. acutis* non chronicis; in *ambuſtionibus* ſiccis, *vulneribus ſclopetariis* - gangrænefcere incipientibus. *Lymphae* fluxum e vaſe lymphatico læſo non compeſcit, *os ſanum* decolorat diu applicatum.

OBSERV. 1) *Spiritus Vini* rectificat. ſ. *Alcohol Vini.* Rec. *Spiritus Vini* rectificati qu. plac. deſtilla e cucurbita vitrea in arenæ balneo, ad 3. partem, tamdiu, donec ab omni *phlegmate* immunis ſit, & plane eo depuratus; & *Pulverem pyreum* quoque, eidem ſuperfuſum & accenſum, in flammam abripiat. Cujus pondus ſit ad *Aquam deſtillatam* uti 830. ad 1000.

VIS & USUS idem, tantum *fortior* quam *Spirit. Vini* rectificati.

2) Ph. *Roſſica* ad *Spiritus Vini* præparationem, præſcribit tantum *Spiritus Vini gallici* deſtillationem ad dimidias; ex hoc tertia denuo pars prolecta, erit *Spiritus Vini* rectificatiſſimus.

USUS, *Spiritus Vini* magis efficax vis ad morbos *ſtomachi* & *capitis* - ad affectus *ſoporoſos* in minore quantitate. *Externe* ad *ambuſta*, *ſugillata*, luxationes, dolores *arthriticos* - *rhevmaticos* - ad *haemorrhagias*.

Cæterum confert ad *Eſſentias*, *Tincturas*, & *Elixiria.*

SPIRITVS VINOSVS NITROSVS,

vide *Acidum Nitri dulcificatum.*

SPIRITVS VITRIOLI ACIDVS TENVIS,
vide *Acidum Vitrioli tenue.*

OBSERVAT. *Vitriolum* ad albedinem calcinatum quant. plac. deſtillatur in retorta probe clauſa. Ordinario modo, igne ſenſim aucto ad fortiſſimum, quantum prodit *Liquor*, *Spiritus ſulphuris*, ſ. *Vitrioli volatilis* ſubſequens vero longe acrior ponderoſiorque latex, ſub titulo *Olei Vitrioli* aſſervatur. Hujus ſi pars 1. cum 8. aut 10. partibus commiſcetur, acquiritur tum *Spiritus Vitrioli vulgaris*, qui loco *Spiritus ſulphuris* poteſt exhiberi.

Ph. *Edinb.* cupit tantum *Acidi Vitriolici* part. 1. - *Aquae commun.* part. 7. miſcendas probe.

SPIRITVS VINOSVS VITRIOLICVS,
ſ. *Spiritus vitrioli dulcis*, ſ. *Spirit. aethereus vitriolat.*
vide *Liquor anodynus mineralis Hoffmanni.*

OBSERV. Ph. *Roſſica* cupit, ut recipiatur Liquoris pro obtinendo *aethere vitriolato*, primum prolecti, qu. plac. ſingulis unciis addentur. *Naphthae vitriolicae* Gutt. 40.

Ph. *Edinburg.* cupit tantum *Liquor aetherei vitriolici* part. 1. - *Spirit. Vini* rectific. part. 2. miſcend.

SPIRITVS VOLATILIS CAVSTICVS,
vide *Alkali Ammoniacum cauſticum.*

SPONGIÆ PRÆPARATIO.

a) *Cerata Spongia.* *Spongiae* ab arenulis repurgatæ, tenues ſiccatæ, *Cerae flavae* liquatæ & fervidæ probe imbibantur, quo facto calentes adhuc ſub prelo arcte comprimantur, ibique dereliquantur, usque dum refrixerint, & aſſervantur, tum usui ad turundas, iis *ulcerum* & *fiſtularum* & *vulnerum orificia dilatanda anguſta*; ad ſiſtendum *ſanguinem*, loco Agarici efficacius.

b) *Uſtio*

b) *Uſtio Spongiae.* *Spongia* ab arenulis repurgata, & probe exſiccata in vaſe terreo ſ. fictili non vitreato cooperato igni impoſito, crebro ſimul agitando, uſtuletur, donec nigreſcat & facile friabilis reddetur, pulveriſanda tum in mortario l. vitreo l. marmoreo, & ſervanda dein uſui.

VIS *exſiccans*, *abſtergens*, *reſolvens*.

USUS ad *ſtrumas*, *ſcrophulas*; in *morbis glandularum*. DOSIS Scrupul. 1.

STANNI PRÆPARATIO.

Stannum *Anglicum* ſcobina prius comminuatur, & dein in *mortario* lapideo in *pulverem* ſubtiliſſimum *teratur*.

Vel *Stannum*, igne liquatum, infundetur in pyxidem ligneam, interne ſulcis exaratam, & *Creta* bene obductam, eaque ſtatim celerrime agitetur: quo modo pars ſtanni in pulverem dilabitur; reliquum metalli eidem labori repetito ſubjiciatur, donec totum in pulverem ſit converſum. Ph. *Londin. Danica*, & *Brunſ.*

USUS ſcopo *anthelmintico* a Gran. 10 - 20.

OBSERV. *Guy Stannum aethiopicum* huic ſcopo peculiariter communicat, e *Stanni* raſi Unc. 7. - *Argent. vivi* Unc. 1. - Flor. *Sulphur*. Drachm. 1. conterendi in pulverem ſubtiliſſimum a Granis 20 - 30. bis de die.

SQVILLÆ EXSICCATIO, vide *Scillae exſiccatio.*

OBSERV. 1) Infuſum *Aquoſum* facilius quam *vinoſum* excitat nauſeam & vomitum.

Qua *Gargarisma Infuſum ſquillae* convenit in *angina pituitoſa*; in *auditu gravi* a nimia *pituita* orta, & aliis variis morbis *ſeroſis*.

2) *Squillae ſquamas* a ſe invicem ſeparandas & in furno calido modice ſiccandas ſuadet. *Piderit.*

SVCCVS INSPISSATVS ACONITI - *Belladonnae*, - *Cicutae*, - *Flammulae Jovis*, - *Hyoſciami*, - *Stramonei*,
vide *Extractum Aconiti*, - *Belladonnae*, - *Cicutae*, *Flammulae Jovis*, - *Hyoſciami*, - *Stramonii*.

SVCCVS BERBERVM.

Rec. Fructuum *Berberum* maturor. qu. plac. contunde in mortario lapideo, & in vaſculo terreo per aliquot dies in cellam repone: *expreſſus* tum *Succus* iterum per aliquot dies ſtet in cella, colatus per pannum in vitro, collo anguſtiori prædito, *ſuperfuſo Oleo* in loco probe adſervetur frigido, in lagenis vitreis, probe in fundo ſiphone inſtructis.

VIS *temperans*, leniter *ſtyptica*.

USUS in morbis & *febribus acutis*, ad *aeſtum* mitigandum, ad Unc. aliquot *Mixturis* additum: *loco Aceti* inſervit; ab omnibus præcipue partibus *Oleoſis* liberum, & hinc ſemper convenit, ubi *Acetum Vini* ob haſce partes oleoſas aliter fugiendum eſt.

Cæterum confert ad *Roob* & *Syrupos* parandos.

SVCCVS LIQIRITIÆ.

Paratus & expreſſus jam e radice *Liquiritiae* e *Bamberga* & e *Hiſpania* adnos venit.

VIS eximie *bechica*, *expectorans*, *reſolvens*.

USUS in *tuſſi acri* lambendo.

Plura vide *Extractum Liquiritiae*.

OBSERV. 1) *Optimus* ſit ex *rufo fuſci*, ſi frangitur, nigri ſplendentis; & in fila diſtractus - *coloris* nitidi aurei, *ſaporis* dulcis, *odoris* ſuavis non empyrevmatici, & linguæ impoſitus omnis deliqueſcens. *Piderit*.

2) Ph. *Danica* præſcrib. *Succ. Liquirit.* depuratum, ſi in fruſtula diſſectus *Succus Liquirit. hyſpannic.* &

& *Aqua* tepida ſolutus, per pannum coletur: fæcibus ſubſidentibus liquor decantetur, & leni calore inſpiſſetur.

SVLPHVR ANTIMONII AVRATVM, ſ. *praecipitatum.*

Rec. *Antimon. crudi* part. 2. - *Alkali lignor.* part. 3.

Mixta injiciuntur crucibulo, ut forti igne fluant; illico a fuſione facta ſolutio, filtrata, & refrigerata, ubi quiete craſſiores partes excuſſæ fuerint, remiſceantur cum *Acido vitrioli* tenui, triplo *Aquae* diluto, præcipitatus pulvis lotus & exſiccatus, adſcripto titulo ſervetur uſui.

Quo modo repetitæ alias conſuetæ *praecipitationes* ceſſant. Ph. *Roſſica*, & *Herbipol.*

VIS *reſolvens*, *diuretica*, *diaphoretica*, - *alterans*, *deobſtruens*, in majori *emetica*, *laxans*.

USUS in *viſcerum abdominis obſtructionibus*; in *pectoris* mucoſitate; *febribus intermittent.* inveteratis, in *hydrope* a granis quibusdam ad Drachm. 1. quotidie.

In nimio ſtatu *mucoſo*, cum *Sal. Ammon.* a Gr. 8 - 10.

In majori *irritabilitate*, *atonia*, cum rad. *Rhabarb.* in *vitiis urinae* qua *diureticum* cum granis 10. Millepedum. *Piderit.*

In morbis *ſcrophuloſis*, *venereis*; indurata *glandularum obſtructione*; in vitiis *cutis*, *ſcabie*, *impetigine*, *tinea capitis*; *arthritide.*

Exanthemata retrogreſſa, & in morbis *acutis*, cito revocat, in *refracta* quidem doſi.

In *catarrho ſuffocativo*; in affectibus *ſpasmodicis* - *hypochondriacis* - *ſpaſtico hyſtericis*; in *tuſſi* infantum *convulſiva*. *Unzer.*

Ad morbos *chronicos*, e ſtagnatione & corruptione *lymphae* ortos confert, - ad *pertinaces* glandu-

larum *tumores - obſtructiones; ulcera inveterata,* cum *Decocto* diluente, & *haemocatarctico;* - ad *aſthma convulſiv. tuſſim ferinam - convulſivam* infantum; *peripnevmoniam; luem veneream.*

Plura vide *Kermes minerale.*

DOSIS teneris *infantibus* Gran. 1 - 2 - 3. adultioribus Grana 6 - 20. - In *pertinacibus* affectibus *arthriticis* ad Gran. 30 - 60. in die ſucceſſive inter alia remedia mixtum.

OBSERV. 1) Tertia præcipitatio adhibetur, quia prima in nimia copia partes regulinas continet, facile emeſin efficientes. Addita quant. ſufficiens *Sulphuris* communis emeticam hanc vim valde mitigat. *Selle.*

2) *Vires Sulphur. Aurat. Antimon.* tert. præcipit. augentur addito *Mercurio dulci*, continuato vero uſu, etſi nauſeam in initio creet, quum in ſequentibus diebus nullam moleſtiam creet *ſtomacho.* - *Mercurius* enim demit *Sulphuri Antimonii aurato* vim ſuam emeticam, cui vis *ſialagoga Sulphur. Antimon. aur.* mitigatur.

3) *Piderit* præſcribit *Liquoris* e quo *Kermes minerale* præcipitatum fuit Unc. 24. Filtrato tum in vaſe vitreo adde

Aquae communis deſtill. Unc. 144. cui tum inſtilla *Acidum Vitrioli tenue* tamdiu, donec nullus pulvis amplius præcipitetur.

Præcipitatus tum pulvis chartæ emporeticæ imponetur, ut ab *Aqua* ſeparetur, *Aqua* dein *calida* ſufficienter edulcoretur, & ſiccetur.

4) Ph. *Edinburg.* cupit *Lixivii cauſtici* Unc. 48. - *Aquae commun.* Unc. 36. - *Antimon.* pulveriſat. Unc. 24. coquendas leni igne in olla ferrea, per 3. horas, perpetuo ſub motu ſpathula ferrea, cum *Aquae commun.* qu. ſuffic. dein *Lixivio* calido filtrato inſtillandi *Acidi nitroſi tenuis* quant.

quant. ſuffic. ad *Sulphur* præcipitandum, *Aqua* calida probe abluendum.

Ph. *Danica* ſuadet Reſidui e *Tinctur. Antimon. tartariſat.* pulveriſ. qu. plac. *Aquae fontan.* 8plo, deſtilletur, uti ſupra.

Göttling hancce communicat præparationem *Sulphur. Aur. Antimonii*, l. ſola *coctione* cum *lixivio cauſtico*, l. *fuſione.* ſ. *elixivatione* materiæ fuſæ.

1) *Lixivium cauſticum* breviter paratur, ſi *Calc.* non *uſtae* Unc. 80. cum Menſur. 3. - *Aquae commun.* ſolvuntur in vaſe figulino, cui qua adhuc calidæ addendæ ſunt *Ciner. clavellat.* Unc. 60. in Menſur. 2. - *Aquae commun.* ſolutis, probe miſcendæ ope inſtrumenti lignei.

Poſt quietem aliquam filtratur ſolutio, reſiduo in panno, immiſſo in uas figulinum affunditur menſura quædam *Aquae fervidae* de novo, poſt mixturam filtratur quoque & priori additur ſolutioni filtratæ.

In *Lixivio* hocce modo præparato, *Antimonii* ſubtiliter pulveriſati partes duæ, cum *Sulphur. commun.* partib. 3. coquntur ad plenariam ſolutionem, in vaſe ferreo, filtrantur per chartam bibulam, quo præcipitatur tum omne *Sulphur.* ſolutum cum *Acido Vitrioli* diluto.

Praecipitatum hocce *Sulphur. Aqua* ſufficienter edulcoratur, & leni calore *deſiccatur.*

Cæterum proportio *Sulphuris* addendi, ab effectu acquiſiti *Sulph. Aur.* optime determinatur.

2) *Fuſione* paratur optime in defectu *Calcis vivae.* Si *Antimonii* pulveriſati part. 2. cum *Sulphur.* contuſi part. 3. & *Ciner. clavellator.* duplo pondere ac prior. ingredient. funduntur in crucibulo, igne ſatis valido, & effunduntur tum in mortario ferreo, pulveriſata excoquantur cum *Aqua* in aheno ferreo, calida ſolutio filtra-

tratur, *Aqua* diluitur, *Sulphur. auratum* tum præcipitatur *Acido Vitrioli* diluto, *Aqua* edulcoratur, & leni calore dein exſiccatur.

Olei Vitrioli anglici pars. 1. cum *Aquae commun.* part. 12. dilutus ad præcipitationem confert: uti Reſiduum a præparat. *Liquor. anodyn. mineral. Hoffmann. Aqua* ſufficienter dilutum, & reſina cum terra nigra antea ſeparata filtratione. *Göttling.*

OBSERVAT. 5) *Sulphur. Antimonii auratum* a pharmacopoeo ipſo ut elaboretur, nec a *vendentibus* ematur perquam neceſſe eſt, ſolet enim plerumque male præparatum, vel *quisquiliis* & *cretaceis* fucatum proſtare, & plerumque nobis ſubſidia deſunt, quibus hæc vitia detegantur; Vero ſimile interim eſt, *Sulphur Antimonii auratum calcareis* conſpurcatum eſſe, ſi *Spiritu Nitri* inſtillato effervefcentia oritur. *Biedermann.*

SVLPHVR ANTIMONII AVRATVM

Liquidum, ſ. *Tinctura Antimonii ſaponata Jacobi.*

Rec. *Sulphur. Aur. ſapon.* probe *exſiccati* Unc. 1. dein
- *Sal. Cauſtici* Unc. 1.

Spiritus Vini rectificati Unc. 12. per 3. dies digere & filtra; Ad dimidiam tum abſtrahatur partem hæc *Tinctura alcalina*, quantitati affundetur præſcriptæ

Sulphur. aurati ſaponati, - *Tinctur. Alcalin.* ad eminentiam 3. digitorum. In *mortario lapideo* terantur per aliquot horas, *cucurbitae vitreae* poſtea immittantur, & per nychthemeron digerantur, ut omnia probe ſolvantur, & *Tinctura* evadat *dulcis.* *Piderit.*

VIS potenter *reſolvens*, *incidens*, *diaphoretica*, *diuretica*, *haemocatarctica.*

USUS qua varias *corporis excretiones promovens*, *ſudorem* præcipue, *humores lentos* & *viſcidos inci-*

cidens, convenit eximie in *viſcerum obſtructionibus;* in affectibus *aſthmaticis - arthriticis - leucophlegmaticis*, *hydropicis;* in *ſanguinis* & *cutis impuritatibus;* in omnibus cæterum morbis, in quibus l. *Antimonium crudum*, l. *Antimonii ſulphur auratum*, l. *Kermes minerale* tam eximie laudantur.

Qua potentiſſimum *reſolvens* & in exigua doſi, in *obſtructionibus* chronicis *viſcerum - glandularum - hepatis;* in *hydrope* potenter agit; in *inveterata gonorrhoea.*

DOSIS differt a diverſa præparat. etiam accurata, a Guttis paucis - 30 - 60. cum Decocto conveniente bis in die.

OBSERV. 1) *Rancorem* quum facile acquirat *Tinctura* hæc, præſtat eam in *minori* parare *quantitate.*

2) Alii ſuadent uti *Selle Scorias Reguli Antimonii* ſimplicis, qu. lib. cum *Oleo* quovis *recenti expreſſo* e. g. *Papaveris* l. *Amygdalar.* coquendas ad ſaponis conſiſtentiam: quo *Sulphur. Antimonii* in hoc ſapone ſolutum, multo efficacius factum eſt. Ad faciliorem deſtructionem & corruptionem hujus ſaponis evitandam ſolvitur hinc ad *Jacobi* obſervata in *Tinctura Antim. acri*, qua *Spiritu Vini* optime cauſtico, a puro *Sale alcalino cauſtico*, omnibus regulinis partibus *Antimonii* plane orbato.

3) *Sulphur auratum ſaponatum* paratur e *Liquore*, e quo *Kermes minerale* præcipitatum fuit Unc. 12. cui adde *Olei Amygdal.* recenter expreſſar. Unc. 3. coque & inter coquendum pedetentim inſtilla *Lixivii cauſtici* qu. ſuffic. ut *maſſa* conſiſtentiam acquirat *ſaponis.* *Piderit.*

USUS eodem ſcopo - a Gran. 5 - 8. bis terve in die cum *Sulphur. aurat. liquid.*, ſ. *Tinctura Antimonii ſaponata Jacobi;* cujus præcipuum eſt ingrediens.

Sul-

SVLPHVR ANTIMONII RVBRVM, vide *Kermes Minerale.*

SVLPHVR PRÆCIPITATVM, vide *Lac Sulphuris.*

SYRVPVS ABSYNTHII.

Rec. *Summitat.* recent. *Abſynthii* junior. Unc. 12. Inciſa infundantur
Aquae fontan. Unc. 1. & dimid. ſub prelo ſtanneo expriment. & colaturæ Unc. 12. addantur
Sachari albiſſimi Unc. 20. una aut altera ebullitione ſolvantur & ſiat *Syrupus.* Ph. *Brunſ.*

VIS *ſtomachica, carminativa.*

USUS in *viſcerum abdominalium-ſtomachi debilitate, ſlatulentiis, diarrhoea, dyſenteria.*

DOSIS ad cochlear. 1-2. l. per ſe, l. cum Vino, l. Electuariis *ſtomachicis.*

SYRVPVS ACETOSISATIT CITRI, vide *Syrup. Citri acetoſit.*

SYRVPVS ALTHEÆ.

Rec. Rad. *Altheae* rec. decortic. Unc. 6. coque cum
Aquae fluviatil. Unc. 72. ad humidi tertiam partem conſumtam. Liquori exprimendo colato & ſubſidentia depurato adde
Sachari puriſſimi Unc. 72. Modico igne coque ad *Syrupi* ſpiſſitudinem, cui refrigerato adde
Aquae Aurantii Unc. 2.

VIS *emolliens, demulcens.*

USUS ad remedia *bechica;* in *nephritide, urinae* ardore; in affectibus *pectoris, tuſſi,* a materia *acri* & *ſalſa* orta; in affectibus *colicis, nephriticis* & *catarrhalibus* ab acrimonia humorum orta; in nimia *irritabilitate* inteſtinorum.

Cæterum additur, l. *Decoctis,* l. *Mixturis,* l. cochleatim ſumitur ad Unc. 1. & ultra.

OBS.

OBSERVAT. *Piderit* compoſit. communicat e Rad. *Altheae* - *Gramin.* - Herb. *Altheae* ana Unc. 1. *Paſſular. mundatar.* Unc. dimid. coquend. cum *Aquae fontan.* Unc. 36. ad remanentiam dimidiæ partis, cum *Sachari albi* Unc. 24. quo tum fiat unica. ebullitione lege artis *Syrupus* colatus antea ſervandus.

Ph. *Danica* ſuadet ad Rad. *Altheae* Unc. 3. - *Aqu. fontan.* Unc. 72. coctis ad 3. part. conſumtion. in fine Rad. *Liquirit.* Unc. 1. - Herb. *Capillor. vener.* Unc. 1. & dimid. colatur. addend. *Sachar. alb.* Unc. 72. leniter ut coquentur ad *Syrupum.*

SYRVPVS DE AMMONIACO.

Rec. *Gummi Ammoniac.* elect. Unc. 2. ſolve in
Vini albi Unc. 10. ſolutioni adde
Sachari albi ad conſiſtent. tabul. cocti Unc. 16.
Agitentur usque dum refrigeſcant. *Syrupus* aſſervetur.

VIS eximie *reſolvens*, *incidens*, *diſcutiens* vehementer, *detergens*, *purgans* pulmones.

USUS ad *pectoris* affectus *pituitoſos* - *inveteratos*; in *aſthmate*; in *muco tenaci*, a *craſſa* & *lenta pituita* orto.

DOSIS per ſe Unc. dimid. - Drachm. 6 - 8.

OBSERVAT. Ph. *Brunſuic.* loco *Vini albi* Unc. 10. ſuadet *Aquae Hyſſopi* cohobatæ & *Vini albi* ana Unc. 5.

SYRVPVS AVRANTIORVM CORTICVM.

Rec. *Aurantior. Cortic.* ab albedine mundator. ſ. *flavedin. mali Aurant.* Unc. 2 - 6.
Vini albi generoſi Unc. 24. In calido loco probe maceratis per 12. horas, in vaſe probe obturato, *Vinum* poſtea decantetur, filtretur & cum *Sachari albi* clarificati & ad conſiſtentiam tabulati cocti Unc. 24. miſcendo fiat *Syrupus.*

VIS

VIS *ſtomachica*, *carminativa*, *analeptica*.
USUS Potionibus, mixturis & *ſtomachicis* & *carminativis*. Gratia ſua palato in *Mixtur.* blanditur.
OBSERVAT. Ph. *Roſſica*, *Herbipol.* & *Suecica* præſcribunt tantum Flaved. *Cortic. Aurant.* Unc. 6. *Aquae fluviatil. bullient.* Unc. 36. infunde per biduum vaſe clauſo, & colaturæ ſubſidentia depuratæ adde - *Sachari* albiſſimi Unc. 66.
Ph. *Auſtriaca Syrupum* ex foliis *Aurantii mali* quoque communicat, ita ut Fol. *Aurant. mali* Unc. 3. infundantur per 12. horas in *Aquae ferventis* Unc. 48. ebullitionibus aliquot coletur Decoctum, & cum dupla portione *Sachari albi* fiat *Syrupus* ſine coctione.

SYRVPVS BERBERVM.

Paratur e *Succis Berberum*, uti *Syrupus Acetoſitatis Citri*, cujus
VIS & USUS idem. Cætera *aciditate* ſua grata *ſuperans*; valde *refrigerans*, *ſitim* & *aeſtum mitigans*; *bilemque reprimens*, *calidis* in *febribus* præcipue conveniens. Commiſcetur l. potionibus l. *julapiis*.

SYRVPVS CICHOREI CVM RHABARBARO,

vide *Syrup. Rhei.*

SYRVPVS CINNAMOMI.

Rec. *Cinnamomi* electi, contuſi groſſiuſc. Unc. 4 - 5. *Aquae Cinnamomi ſpirituoſ.* Unc. 24. Digere in cucurb. vitrea clauſa per 24. horas colat. adde *Sachari* albiſſim. clarificati, & ad conſiſtentiam tabulati cocti Unc. 30 - 36.
VIS *nervina*, *analeptica*, *roborans*, *excitans*, *ſtomachica*.
USUS hujus *Syrupi pergrati* per ſe l. cum *Aquis roborantibus* ad Unc. aliquot; in debili *ventriculo* & digeſtione læſa; uti & in *oris halitu* corrigendo conducit. *Syru-*

SYRVPVS CITRI, ſ. ACETOSITATIS *Citri* e *Succo Limonum*.

Rec. *Succi Limonum* ſ. *Citri* rec. expr. Unc. 10-12.
Sachari albi clarificati defoecati ad conſiſtent. tabulati cocti Unc. 16-24. Unica facta ebullitione, ſervetur in vaſe vitreo,
Syrupus antea colandus.

VIS *temperans*, *antiſebrilis*, *antiſeptica*.

USUS *Julapiis* & *Potionibus* additur *analepticis*, *temperantibus* ita ut *Syrupi* talis Drachm. 1. ad *Julepi* Unc. 1. veniat; ad *ſitim* & *aeſtum* mitigandum; in *febribus acutis*; ad *bilem refraenandam*, *putredinem* arcendam & *vermes*.

SYRVPVS CITRI CORTICIS E TOTO.

Rec. *Flavedin.* e Cortice *Citri* recent. Unc. 3.
Aquae fluvial. fervent. Unc. 36. in vaſe clauſo macera per horam & liquori colato adde
Aquae Aurantii Unc. 1. & dimid.
Sachari albiſſ. qu. ſuffic. ad *Syrupi* conſiſtent.

VIS *temperans*, *antiſeptica*, *refocillans*, *roborans*, *analeptica*.

VSVS *Syrupi* hujus gratiſſimi ad *ſitim* ſedandam, & *aeſtum*; in *febr. acutis - malignis - exanthematicis*, *potionibus* additus *temperantib.* *malignitatem* non ſolum *arcens*, ſed & *vires reſtaurans*.

OBSERV. Ph. *Würt.* præſcrib. Cortic. *Citri* exterior. recent. Unc. 2. & dimid. inciſi ut infundentur in *Succi Citri* recent. Unc. 22. Poſt digeſtionem exprimantur in expreſſo diſſolve *Sachari albi* Unc. 30. ſervetur uſui.

SYRVPVS COLCHICI, vide *Oxymel Colchicum*.

SYRVPVS CROCI.

Rec. *Croci* orient. ſ. *Viennenſ.* Drachm. 6. infunde

Aquae fervid. Unc. 10. Digere in vaſe clauſo per 3. dies, tum exprime, colaturæ adde *Sachari albi* Unc. 16. unicam poſt ebullitionem *Syrupus* filtratur.

VIS *anodyna*, *demulcens*, *pectoralis*, *alexipharmaca*, *emmenagoga*.

USUS in *catarrho infantibus* qua *leniens*, *ſopiens tuſſim* a Drachm. 1. pro doſi unica: & ad alia remedia interna.

SYRUPUS DIACODION,

vide *Syrup. Papaveris albi.*

SYRUPUS DOMESTICUS,

vide *Syrup.* de *Spina cervina.*

SYRUPUS DE ERYSIMO LOBELII.

Rec. Herb. *Eryſimi* totius recent. Unc. 12.
Radic. *Enul.* Unc. 3.
Summitat. ſiccat. *Roriſmar.* Unc. 1. & dimid.
Semin. *Aniſi* Drachm. 6.
Paſſul. mundat. Unc. 2. Inciſa & cont. coqu. in
Aquae fontan. Unc. 36. - Succi *Eryſimi* Unc. 5. ad remanent. Unc. 22. expreſſa additis
Sachari alb. Unc. 40. coquantur ad *Syrupum.*

VIS *attenuans*, *incidens*, *reſolvens*, *ſtimulans*, *expectorans.*

USUS in *pectoris* affectibus *pituitoſis* & *viſcoſis*; in *aſthmate*, *raucedine.*

DOSIS ab Unc. ½ - 1. ex infuſis decoctis, ſero lactis, aliisque vehiculis.

OBSERVAT. 1) Omiſimus alias plantas heic nil efficientes.

2) Ph. *Brunſuic.* communicat *Syrup.* de *Eryſimo ſimplic.* e *Succi* expreſſ. Herb. recent. *Eryſim.* & depurat. - *Mell. deſpumat.* ana Unc. 12. Miſcendi lege artis ad *Syrupum.*

Syru-

SYRVPVS HYDRARGYRI,

vide *Mercurius Gummoſus.*

SYRVP. MANNÆ LAXATIVUS SIMPLEX.

Rec. *Mannae calabrin.* Unc. 10. ſolve in
Aquae fontan. Unc. 12. colaturæ adde
Sachari albi Unc. 12. coque ad *Syrupi* conſiſtentiam cola & ſerva uſui. *Piderit.*

VIS & USUS uti *Syrupus* de *Rhabarbaro.* Infantibus ſcopo *laxante* ad Drachm. 1 - 2. ad humores a *pectore* derivandos, & recens natis *meconium* educendum.

DOSIS Scrupul. 2 - 4.

OBSERV. 1) Magis efficiens interdum eſt *Syrupus Mannae* cum foliis *Sennae* compoſitus.

2) *Syrup. Mannae compoſitus* paratur e Fol. *Sennae* Unc. x. Semin. *Aniſi ſtellati* Unc. ½. - *Sal. Tartari* Drachm. 1. Infundantur in
Aquae fervidae Unc. 10. Stent per horas 5 - 6. facta dein una alterave ebullitione coletur decoctum, ac cum *Albumine Ovi* ebulliendo clarificetur, in quo tandem diſſolvendo
Sachari albi Unc. 96. - *Mannae* Unc. 24. fiat *Syrup.*

3) Ph. *Roſſica* præſcribit tantum Folior. *Sennae* Unc. 2. infundendas cum *Aqua*, & in colaturæ Unc. 12. diſſolvendas *Mannae* Unc. 0. - *Sachari* albiſſimi Unc. 12. fiat *Syrupus* cum colatura.

SYRVPVS MASTICHINVS.

Rec. *Maſtiches* elect. parum cont. Unc. 2. infunde in
Aquae Maſtichinae Unc. 12. Digere in vaſe probe clauſo, per 3. dies, in colatura diſſolve
Sachari albi Unc. 16. ad *Syrupis* conſiſtentiam.

VIS *ſtomachica, adſtringens.*

USUS ad *ventriculi* vitia, a cauſa frigida orta; ad *catarrhos. Potionibus* & *Electuariis* additur l. prolubitu ab Unc. dimid. - 1.

SYRVPVS E MECONIO, vide *Syrup. Diacodion.*

SYRVPVS MORORVM.

Rec. *Succi Mororum maturor.* Unc. 20.
Sachari alb. Unc. 32. ad *Syrup.* formam redacti.

VIS *temperans*, leniter *adſtringens.*

VSVS cum *Syrup. Ceraſor.* acid. convenit; in *inflammatione*, & *aſperitate*, *ſiccitate oris - linguae - faucium*; ad *anginam - aphthas - tuſſim.*

SYRVPVS MYRTILLORVM.

Paratur e Succo *Myrtillorum*, uti *Syrupus Acetoſitatis Citri*, l. *Mororum* cujus

VIS & USUS idem quoque: excepto peculiari uſu in *haemorrhagiis*; uti in *diarrhoeis* & *ventriculi* debilitate, qua lene *adſtringens*, *temperans.*

SYRVPVS PAPAVERIS ALBI, ſ. DIACODION *liqnidum montanum*, ſ. *Syrup.* de *Siliquis*, - e *Meconio Londinenſium.*

Rec. *Capit. Papaver.* alb. mediocriter maturor. modice ſiccator. & a ſeminibus mundator. Unc. 12. macerentur per 12. horas in
Aquae fontanae Unc. 96. probe cocta, exprime fortiſſime & colaturæ Unc. 9. adde
Sachari albi Unc. 16. unica ebullitione fiat tum *Syrupus*, qui colatus ſervetur. *Piderit.*

VIS *anodyna*, *involvens*, *demulcens*, *ſopiens*, *reſolvens*, *antiſpasmodica*, ſomnum *concilians.*

USUS ad *potiones* in *diarrhoeis* nimiis, l. in variis *doloribus*, ad Unc. aliquot inter alia remedia. In *morbis pectoris*, qua *acres* & *ſalſos humores involvens*, confert in *tuſſi acri*; ad *materiam incraſſandam* in *catarrhis ſalſis* tenuibus, *aſperitateque faucium*; in *angina*, *phtiſi*, *haemoptyſi*, & ſpecifice in *pleuritide*, *urinae ardore*; & quidem in *emulſionibus* l. *ſolum.*

DOSIS

DOSIS a Drachm. 8. *infantibus*, adultis ad Unc. 1. per ſe, alias in majori doſi aliis miſcetur remediis.

OBSERV. 1) Ph. *Ediuburg.* ſuadet quoque ut in *Syrupi ſimplicis* Unc. 24. ſolvetur *Extracti Capitum Papaver.* albi Drachm. 1.

Ph. *Würt.* præſcribit ſub nomine *Syrup. Papav. albi* Capit. *Papaver. albi* cum ſeminibus Unc. 8. - *Aquae fontan.* Unc. 48. coquend. ad dimid. colaturæ addend. *Sachari albi* Unc. 36. ad *Syrup.* conſiſtentiam.

2) Ph. *Würtenb.* ſub nomine *Syrup. Diacodii* ſuppeditat hancce præſcriptionem e Capit. *Papaver.* nondum plane maturor. cum ſemin. Unc. 2. *Siliquarum dulcium* Unc. 2. & dimid. Inciſis affunde *Aquae fontan.* Unc. 18. Leni igne coqu. ad colaturam Unc. 10. in fine coction. adde *Liquiritiae* recent. minutim inciſæ Unc. 1. & dimid., & diſſolve in ea *Sachari candi* rubri Unc. 16. Deſpumatus & colatus *Syrupus* ſervetur.

3) *Syrupus Diacodii crocatus* fit ad Ph. *Würtenb.* *Syrupo Diacodio* ſimplici addendo - *Croci* optimi Drachm. 1. magis *anodynas* & *reſolventes* vires tum ei concilians.

SYRVPVS PAPAVERIS RHOEADOS, ſ. *Erratici* florum.

Rec. Flor. *Papaver. Erratici* ſ. *Rhoeados* Unc. 24. Infundantur cum
Aquae communis fervidae Unc. 30. Macerentur per 24. horas, exprimentur & cum
Sachari albiſſimi Unc. 65. ad *Syrupi* conſiſtent.

VIS *anodyna*, *demulcens*, *emolliens*, leniter *adſtringens*, & *paregorica*, *antiſpasmodica*.

USUS in *angina*, *tuſſi*, *phtiſi*, *pleuritide*, *haemoptoe*. additur *Julepis* & *Electuariis* nec non *Decoctis*; in *morbis pectoris*. Ph. *Würt.*

SYRVPVS PERSICORVM FLORVM.

Rec. Flor. *Perſicorum* recent. Unc. 12. Macerentur per horas 12. in
Aquae calentis l. *Aquae* Flor. *Perſicor.* Unc. 12.
colaturæ depuratæ Unc. 9. ſolve
Sachari albi Unc. 16. ad *Syrupi* conſiſtentiam.

VIS *laxans* lene, *anthelmintica.* Ph. *Würt.*

USUS *infantibus teneris emeticum*, provectior. *laxans*, *ſerum* & *bilem*, *vermes* & *lumbricoss* inprimis educit.

DOSIS Drachm. 1 - 4 - 8.

SYRVP. PERUV. CORTICIS, ſ. CHINATVS.

Paratur e Cortice *Peruviano* ſ. *Chinae*, uti *Syrup*, *Cortic. Aurantiorum.*

VIS e *ſimplici* ingrediente patet: *tonica*, *antifebrilis*, *ſtomachica.*

USUS *adultis* in remediis *antifebrilibus*, *antiſepticis*, *tonicis* &c. ad Unc. aliquot: - *infantibus* præcipue *Corticem Peruvian.* in alia forma reformidantibus, a Drachm. 1 - 4. ter quaterve in die; in *febrib. intermittentibus*; in *febr. putridis*, viſcerum & concoctionis - *debilitate*, & in omnib. morbis, in quibus cortex prodeſt.

DOSIS per ſe a Drachm. 4 - 8. ter quater in die. *Adultis* quoque ad Unc. aliquot in remediorum connubio *antifebrilium* - *roborantium.*

OBSERV. *Mellin* ſuadet Cortic. *Chinae* pulveriſat. Unc. 4. - *Cinnamom.* elect. Unc. 1. - *Vini rubri* generoſi Unc. 24. Macerandi in clauſo vitro per per biduum, ſæpius agitando, exprimendi, colandi, & in colatura una ebullitione diſſolvendi *Sachari albi* Unc. 32. ut fiat *Syrupus*, per pannum colatus.

SYRVPVS RHAMNI CATHARCTICI,

vide *Syrup.* de *Spina cervina.*

Syru-

SYRVP. RHEI ſ. CICHOREI CVM RHABARB.

Rec. Radic. *Cichorei ſylveſtr.* Unc. 3. coque cum *Aquae ſontan.* Unc. 36. ad tertiæ partis conſumtionem, cui dein adde

Radic. *Rhabarbari* veri minutim inciſæ, Unc. 2.
Ciner. clavellator. depur. l. *Sal. Tartari* Scrup. 2.
Stent per aliquot horas in *loco calido*, & exprimantur, quibus adduntur
Sachari clarificati & ad conſiſtent. tabulati cocti Unc. 32, colato iſto *Syrupo* addentur denique
Aquae Florum Caſſiae ſpirituoſae ſ. *Cinnam. vinoſ.* Unc. 2. & ſerventur uſui.

ris *laxans* egregie, *aperiens*, *bilem evacuans.*

ſus qua optime *alvum* leniter & *bilem educens acrem*, *infantibus nupernatis*, ad *parva cochlearia* confert eximie, non tam facile *tormina excitans*, uti *Syrupus* de *Manna* laxativus; *meconium* educendi: interim tunc præſertim *valens*, in doloribus *colicis* & inde ortis *convulſionibus*, quando *morbis pectoris infantes* laborant: uti & in eorum *torminibus* & inde ortis *convulſionibus.* Qua *aperiens* & *ſaponaceum* remedium aliis mixtum confert inprimis quoque in *obſtructionibus glandularum meſenterii*, & *viſcerum* abdominalium.

bserv. 1) Aromata heic ſuperflua, in quibusdam Diſpenſator. præſcripta, omiſſa ſunt.

) *Rhabarbarum* infunditur quoque per noctem & ſemel modo mane ut ebulliat, in quo *Infuſo* dein duplum *Sachari* ſolvitur.

Pharm. *Roſſica* præſcribit tantum *Rhabarbar.* Unc. 2. - *Alkali Tartari* Drachm. 1. - *Aquae bullientis* Unc. 18. Digerantur per 12. horas, & in colatura clarificata ut ſolventur - *Sachari albiſſimi* Unc. 24. ut fiat *Syrupus.*

Ph. *Suecica* præſcribit Infuſ. *Rhei* qu. pl. - *Sachari albiſſimi* duplum pondus commiſceantur.

SYRVPVS RVBI IDÆI,

Paratur e Succo *Baccar. Rubi Idaei depurat.* uti Syrup. *Ceraſorum acidorum*, cujus

VIS & USUS idem quoque excepto ſapore tam ſuavi & *analeptico*, qualitate & *reficiente* in *aeſtu* ac *ſiti febrili*, & in morbis *inflammatoriis*; admiſcetur *Julapiis* & *Mixturis analepticis - temperantibus*, in *febr. intermittentibus - acutis - malignis - inflammatoriis.*

OBSERV. *Spielmann.* communicat hunc *Syrupum* cum *Aceto Beaumé*, e *Succ. Rubi Idaei* Unc. 40. - *Aceti rubri* Unc. 14. - *Sachari albi* Unc. 100. clarificatus *Syrupus* ut aſſervetur.

SYRVPVS DE SILIQVIS, vide *Syrup. Diacodion.*

SYRVPVS DE SPINA CERVINA,

ſ. *Rhamni catharctici*, ſ. *Domeſticus.*

Rec. Succi *defæcati matur. Baccar. Spinae Cervinae* Unc. 24. Infunde fervide ſuper

Semin. *Fœniculi* leviter tuſi Unc. ½. Relinque per unam alteramve horam; Colaturæ ad duplam partem - *Sachari albi* puriſſ. cum unica ebullitione ad *Syrupi* conſiſtentiam.

VIS *reficiens, catharctica; diuretica, laxans, ſerum evacuans.*

USUS *arthriticis, hydropicis*, convenit & *cachecticis, lue venerea* affectis.

Infantibus recens natis ad educendum *meconium. Mixturas* varie *colorans* amœne.

DOSIS a Drachm. 1 - 8. Qui per ſe ſumunt, notent ut poſt ejus aſſumtionem, aliquid ſumetur alimenti, ad *tormina* præcavenda.

OBSERV. 1) Ph. *Roſſica* & *Edinb.* præſcribit tantum præparationem e *Succi* defoecati baccarum *Rhamni catharctici* Unc. 72. & *Sachari albi* Unc. 48. coquendas ad *Syrupi* conſiſtentiam.

OBS. 2)

OBSERV. 2) *Aromata* addita pharmacop. quibusdam nimis æſtuantia omiſimus, qua ſuperflua.

SYRVPVS VIOLÆ SEV VIOLARVM.

Rec. Flor. *Violarum* recent. menſe *Martio* florent. Unc. 12. in vaſe ſtanneo cum
Aquae bullient. Unc. 24 - 36.
Digere per noctem, Liquori colato ſine expreſſione, ſubſidentia depurato,
Sachari alb. Unc. 84. adde ad *Syrupi* craſſitiem.

VIS *laxans*, *expectorans*.

USUS ob ſuavitatem ſuam in *infantum aphthis* - *tuſſi*, affectibus *pectoris*; ad *tuſſim*, *raucedinem*, *urinae ardorem*, *aſperitatem faucium*, *alvum* blande educendam; cum *Aqua Ceraſorum*, l. cum *Oleo Amygdalarum dulcium* lingendus propinatur.
Cæterum ad labores *chemicos* confert.

OBSERV. *Syrup. Violarum Stannum* ſolutum ſæpe continet, quo colorem amoene cœruleum acquirit, quod apparet l. ſolutione auri, l. addito *Alkali* ſoluto, quo virideſcit, nec *acidis* ſatis rubeſcit. *Bindheim.*

TARTARVS CHALYBEATVS.

Rec. *Tartari Cryſtallorum* Unc. 12.
Limatur. Martis depurat. Unc. 4. coque cum
Aquae fontan. Unc. 144. ad remanent. quartæ partis, Liquorem per chartam bibulam filtra, cryſtallos in loco frigido quiete acquiſitas probe exſicca. Ph. *Brunſuic.*

VIS *aperiens*, *incidens*, *reſolvens* præcipue, excepta qualitate martialium generali, ad Gran. 20. in largiore *Aquae* copia ſolutus.

USUS ubi aliorum ex Marte præparatorum *vis roborans* major timenda conſpicitur; non ita *ſanguinem expandit*, uti in aliis *Martialibus* alias obſervatur. Confert hinc caute adhibitus in

ictero qua *adſtringens* lene; in *obſtruct. viſcerum, cachexia; malo hypochondr. haemorrhoid. & menſib. turbatis*; - uti & in *febr. intermittentibus* a Gran. 15 - 30. & in *infantibus rachiticis - & verminoſis* a Gran. 5 - 12. In majori doſi *nauſeam* & *vomitum* excitat.

In majori quantitate exhibitus *nauſeam* & *vomitum* excitare ſolet.

In fine morbi ad *reconvaleſcentiam* qua *tonicum - ſtypticum martiale.*

TARTARVS EMETICVS, ſ. ANTIMONII *Regulina* pars in *Acido Tartari* ſoluta.

Rec. *Vitri Antimonii* pulverati Unc. 1.

Cryſtallor. Tartari Unc. 12. In vaſe terreo vitro incruſtato, terendo ſpatula lignea, cum

Aquae fontanae Unc. 48. coque tamdiu, donec in Liquoris ſuperficie, cuticula ſalina tenerior appareat; Liquorem tum calidum filtra, in cella tum repone, ad acquiſitionem *cryſtallorum*, per nychthemeron ortorum, ad cuticulam incoquendum, uti antea.

Reſiduum leni calore, ſpatula lignea perpetuo movendum, ad ſiccitatem evapora, cum *cryſtallis*, in charta bibula probe exſiccatis & mixtis, tum pulveriſa, & in vaſe vitreo clauſo ſerva uſui. Ph. *Spielmann.* & *Piderit.*

VIS *emetica, reſolvens, laxans, diaphoretica, diuretica, antiſpasmodica.*

USUS in *febrib. bilioſis - putridis - malignis - intermittentibus, exanthemutic. erumpentibus*; in *dyſenteria putrida - bilioſa - catarrho ſuffocativo*; in *ventriculo* pleno; in *veneno* accepto, ſi indicationes requirunt *emeticum.*

Qua remed. motibus iſtis *vomitoriis* - ad vaſa ſe- & excretoria - & ipſum *nervorum* ſyſtema efficiens, & *obſtructiones* hinc in vaſis minimis

&

& partibus remotis referando confert eximie in *mania*, *epilepſia* - diriſſimisque illis morbis.

Cæterum quoque efficit qua eximium *diaphoreticum*, *antiſpasmodicum*, & *laxans* denique, (quales effectus rad. *Ipecacuanh.* l. in *Subſtantia* l. in *Infuſo vinoſo* cum *Rheo* data non exſerit:) & quidem in minori doſi, qua non *vomitum excitans*, eximie quoque *reſolvit*, *reſerat* & varias alias *excretiones*, *urinam*, *ſudorem*, *alvum* promovet, hinc in *obſtruct. viſcerum*, *cachexia*, *melancholia*, *malo hypochondr.* per quam utile.

Qua remedium, ſine inſigni ſanguinis motu, ad *nauſeam* datum, *irritabilitatem nervorum imminuens* ante *exanthematum* e. g. *variolarum eruptionem*; uti in *dyſenteria*, *malo hyſterico*, *convulſionibus*; in *febr. bilioſis*, *malignis*, *putridis*, *intermittentibus*, conducit, primis vero viis antea purgatis; in *affectibus pectoris pituitoſis*, *aſthmate*, *dyſpnoea*, &c. qua *potens reſolvens*; uti in *tuſſi* infantum *convulſiva*, qua *antiſpasmodicum*. *Piderit.*

Tartarus emeticus confert quoque in *dyſenteria*; a Gran. 3 - 4. *Pringle* & *Zimmermanni*, ac *Tiſſotti* obſervat.

Confert quoque in *morbis nervorum*, ubi valida corporis concuſſio prodeſt; in *hemiplegia chronica* - *melancholica*; in *epilepſia* infantum a *vermibus* - *ſaburra* - *exanthematibus retrogreſſis*; in *hydrope*; *morbis bilioſis*, *arthritide* & *rheumatiſmo*; juſto tempore & debitis ſub cautelis.

In *infantum*, adeo neonatorum, oppletione *pectoris*, *paralyſi* & affectibus *ſoporoſis*, aliquot gran. *Tartar. emet.* inter *emulſ. Camphorat.* præſcripta eximie conferunt. *Bicker.*

Externe idem præſtat a Gran. 4 - 6. cum Unciis *Aquae commun.* dilutus, forma *enematis irritan*-

tis

tis injectus - in *herniis incarceratis*, uti *Aqua benedicta Rulandi.* *Plenck*

DOSIS ad *vomitum* ciendum *infantibus* 1. anni Grani octava pars - 2 - 3 enibus quarta. - dimidiam & 6 - 8 - 10. annorum robuſtionibus Granum 1. adulto Gran. 2 - 3 - 4. - Exceptæ peculiari inſenſilitate in morbis quibusdam uti in *melancholia*, *mania*, *epilepſia* ſæpius ad Gran. 20.

DOSIS ſecuriſſima emeticorum remediorum eſt exiguis & repetitis portionibus ad ſufficient. effectum porrigere remedia: hinc commodiſſime *Tartar. emetic.* cum multa *Aqua deſtillata* ſolvitur in Unc. 2. nempe Gran. 1 - 2. quo modo periculoſa hyperemeſis evitatur.

OBSERVAT. 1) E humido aëre *Tartarus emeticus* ſemper aliquid attrahit, quo *vis* ejus tempore *ſicco* magis *efficiens* - partim debilitatur.

2) *Nocet* inprimis *emeticum*, ſi non manifeſte indicatur in *pleuritide biliosa*, - *haemoptyſi*, cum *bilis* ſaburra conjuncta; in *dyſenteria* cum ingenti *febre inflammatoria*; in *cholera*; in *apoplecticis morbis*; in *haemorhoidariis*; uti & in *plethora* inſigni; *hernia* & graviditate.

3) *Tartarus emeticus Saunders* paratur e Pulv. ſubtil. *Vitri Antimonii* Unc. 4. - *Cremor. Tartari* Unc. 8. - *Aquae fontanae* Unc. 288. Mixta in vaſe terreo vitreo incruſtato terendi ſpatula lignea, coquendi per 12. horas. Liquorem colatum ad ſiccitat. evaporandi: a Gr. 1-3. adhibendi.

4) *Göttling* hancce ſimplicem præparationem communicat, ut *Antimonii crudi* pulveriſati Unc. 6. cum *Cryſtallis Tartari* Unc. 12. mixtis coquantur in vaſculo figulino ſatis amplo per 10. horas l. ultra, cum *Aquae commun.* Unc. 12. ad plenariam ſolutionem, quæ filtranda, ad ſiccitatem evaporanda eſt plenariam, ut *Tartari* eo æqualior fiat commixtio. Tar-

TARTARVS TARTARISATVS, ſ. ALKALI *vegetabile tartariſatum*, ſ. *Tartarus ſolubilis*, ſ. *Sal. vegetabile.*

Rec. *Alkali lignorum* depurati, ſ. *Ciner. clavellati* depurati Unc. 12. ſolve in *Aquae fluviatilis bullient.* Unc. 144. ſolut. ferv. adde *Cremoris* ſ. *Cryſtallor. Tartari* qu. ſuffic. ad ſaturanem. Liquor adhucdum calens, per pannum laneum colatus, leni calore evaporetur ad exſiccationem, in forma pulveris albi. Si in fine evaporationis *grumoſus* fiat, ſpathula lignea agitetur. *Piderit.* Ph. *Suecica.*

VIS *digeſtiva*, *aperiens*, *incidens*, *reſolvens*, *diuretica*, lene *laxans*, ſine *moleſtia*; *ſaponacea.*

USUS ob indolem *ſaponaceam* confert in *attenuanda ſpiſſitudine mucoſa*; in *malo hypochondriaco*; in aperiendis *obſtructionibus*, reliqua quoque *ſalia* media vincit ad Drachm. 1. *purgandi* ſcopo ad Unc. 1. *Plenck.*

Externe in *ulceribus* - *ſordeſcentibus mundificandis*, a *tumoribus* frigidis; in *ulceribus* crurum. *Plenck.*

Scopo *laxante* a Drachm. 2 - 4. in *Aqua* multa ſolutus; ſcopo *digeſtivo* - *diuretico* Drachm. dimid. - 1. Plura vide *Liquor Tartari ſolubilis.*

DOSIS a Gran. 10 - 40. in quocunque liquore, in *Aqua* quoque *frigida*, in qua *Tart.* non *ſolubilis.*

OBSERV. 1) Ph. *Argent.* & *Mellin* ſuadet *Cremor.* ſ. *Cryſtallor. Tartari*; in *Aqua* ſolutor. addendi *Oleum Tartari* per *deliquium*, qu. ſuffic. ad ſaturat. Ph. *Auſtriac.* & *Spielmann.* vero *Sal. Tartari* in *Aqua* ſoluto addendi *Cremor. Tartar.* qu. ſuffic.

2) *Haſſe* differre credit *Tartarum ſolubilem* a *tartariſato* eo inprimis, quod *ſolubilis* conſtet e *Cryſtallis Tartari* ſolutis, ſaturatis *Alkali volatili*; *tartariſatus* vero e *Cryſtallis Tartari*, *Alkali fixo* ſaturatis.

Tar-

TARTARI OLEVM PER DELIQVIVM, vide *Oleum Tartari* per *Deliquium*.

TARTARVS REGENERATVS, ſ. TERRA *ſoliata Tartari*, vide *Arcanum Tartari*.

TARTARVS VITRIOLATVS, SEV ALKALI *vegetabile Vitriolatum*, *Suecorum*.

Rec. *Olei Tartari* per *Deliquium* Unc. 8. in vas vitreum capax immiſſis, guttatim inſtilla

Aquae Vitrioli tenuioris qu. ſuffic. ad omnis efferveſcent. ceſſationem. A Liquore huic ſufficienter concuſſo, nec *acidi* nec *alcalini* amplius ſaporis, adde

Aquae fontan. fervid. Unc. 96. filtrato, inſpiſſato ad cuticulam, repoſito ad cryſtalliſationem, *cryſtallii* ſiccentur. *Piderit*

VIS *incidens*, *aperiens*, *digeſtiva*, *excretiones aquoſas promovens*.

USUS in *cruditatibus primarum viarum*; ad *ſolvendos & emendandos humores ſpiſſos lentos*; conducit *hypochondriacis*, *lienoſis*, *cachecticis*, *ictero hydrope* affectis & *febre intermittente*; in *obſtruct viſcerum*. Plura vide de uſu *Liquor. Tart. ſolubilis*

DOSIS Gran. 20 - 30. *aperiens* - a Drachm. 4-5 qua *catharcticum bonum*, ſcopo *laxante*, *diuretico* ad Drachm. 2. in *Aqua* dilutus ſufficiente.

OBSERVAT. 1) Ph. *Auſtriac.* ſuadet *Sal. Tartar* in *Aqua* ſoluti qu. plac. inſtillet. qu. ſuffic. ad ſaturationem *Olei Vitrioli* debilis, *Aqua* diluti Cæterum uti ſupra.

Spielmannus & Ph. *Suecica* ſuadent ſolution. *Vitrioli virid.* ſaturatam, commiſcendi ſolut. ſaturat. *Ciner. clavellator.* poſt plenar. ſaturationem, ad cryſtalliſat. per inſpiſſationem redigendi. Succedaneum ejus eſt *Arcanum duplicatum*.

Pharm

Ph. *Roſſica* ita ſuadet ut ſolutioni *Vitrioli Martis* infundetur *Lixivium Tartari* vel *Lignorum*, ad ſaturationem ; Liquor decantetur, ſedimentum martiale lavetur calide, hæcque priori liquori addatur, qui tandem ad pelliculam inſpiſſatus, exponatur ad generandos cryſtallos.

Observ. 2) *Tartarus vitriolatus* acquiritur non ſolum e reſiduo præparationis *Magneſiae albae*, ſed e *Sale alcalino minerali Sal. Glauberi* quoque, l. *Sal. Seignette*, vel depurat. *Ciner. clavellator.* l. a reſiduo deſtillationis *Acidi Nitri*, *Arcanum duplicatum* tum *dictum*, quod minores exhibet cryſtallos, qui eædem fiunt, uti in ex preſſe parato *Tartaro vitriolato*, repetitis tantum ſolutionibus in *Aqua communi* ad cryſtalliſationem novam.

) *Tartarus vitriolatus* interdum quoque e *reſiduo* remanente deſtillationis, *Spiritus Nitri*, præparatur, cui *Vitriolum* partibus *cupreis* inquinatum adhibitum eſt. Si & alia ſalia media qualiacunque in vaſis ſordidis metallicis coquuntur, aut ſervantur, fieri nequit, quin ejusdem metalli partes recipiant. Solutione horum ſalium in *Aqua* calida, & adjiciendo *Alkali* tantum, quantum ſufficit ne ſolutio magis turbetur, ſolutione tum colata aut decantata, evaporata, lenique ignis calore cryſtalliſata, optime hic *Tartar. vitriol.* purgatur. *Biedermann.*

Procurant ſibi Pharmacopolæ hoc *Sal medium*, viliori pretio a ſeplaſiariis, qui parant *Acidum Salis communis*, vel *Acidum Nitri* forte in majori copia, in quo ſæpius nimia copia *Vitrioli* adhæret, iſtud dein in *Aqua* ſufficienti ſolvendum, addita tum in ſuper *Olei Tartari*

tari per deliquium portione ſufficiente, l. ſolutione, filtrandum & cryſtalliſandum eſt.

TERRA FOLIATA TARTARI, ſ. TARTARVS *regeneratus*, vide *Arcanum Tartari.*

USUM commendat præcipuum in *induratione teſticulorum* & aliis *tumoribus* frigidis, *Plenck.*

TINCTVRA ſ. ESSENTIA ABSYNTHII *ſimplex.*

Rec. Summitat. *Abſynthii* floridar. & ad maturitatem proxime accedentium, cum foliis minoribus, in umbra ſiccat. Unc. 4.

Spiritus Vini rectific. Unc. 24. Poſt digeſtionem exprimantur, expreſſum aliis ſuperaſſundatur.

Abſynthii Unc. 2. Poſt ſufficientem digeſtionem exprimantur & filtrentur.

VIS *ſtomachica*, *carminativa*, *anthelmintica.*

USUS in vitio *digeſtionis* - *ventriculi*, ſi ſpirituoſa permittuntur, eductis prius congrue humoribus noxiis. Cæterum *Amara Extracta* in *Aqua* l. *Vino* ſoluta melius conducunt.

DOSIS Drachma 1. e *Vino.*

TINCTVRA ſ. ESSENTIA ANTIMONII *Huxhami*, vide *Aqua benedicta Rulandi.*

TINCTVRA ANTIMONII SAPONATA *Jacobi*, vide *Sulphur Auratum liquidum.*

TINCTVR. ANTIMONII ACRIS HOFFMANN.

Rec. *Reguli Antimonii* Unc. 4.

Nitri crudi Unc. 8. Pulveriſata detonentur, relinquantur in infuſione per horam, effuſis in mortario, & pulveriſatis immitte

Spiritus Vini rectificatiſſ. Unc. 12. Digeſtis per aliquot dies in balneo arenæ filtretur, *Tinctura* ruberrima. Ph. *Würt.* & *Spielmann*

VIS

VIS *reſolvens*, *attenuans*, *diuretica* potenter, *tonica*: *ſtimulans* qua *acris* valde.

USUS cautus in morbis *lymphae* chronicis; in *arthritide*, ſuppreſſis *haemorrhoidibus* - *menſibus*; in *tumoribus hydropicis*, *urinae ſuppreſſione* & *lue venerea*; in *cancro Theden*; in *ictero*, - *hypochondriacis*, *lienoſis*, qua optimum *tonicum*, *nervinum* poſt morbos, *excretion. promovens.*

OBSERVAT. 1) *Nocet* in *ſpiſſitudine humorum*, ob *alcohol*, *humores ſeroſos* cogente, incongrue ſumtum, niſi prius congruis adhibitis remediis.

2) Si *Spiritus Vini Saponis* Unc. 2. prius in *Lixivio cauſtico* ſolutis, & denuo inſpiſſatis per biduum digeritur, exhibet *Tincturam Antimonii ſaponatam Schulz.* & saturatiore colore, & majoribus viribus gaudentem. *Spielmann.*

3) Ph. *Roſſica* & *Londin.* compoſitionem præſcribunt ex *Alkali lignorum* Unc. 12. - *Antimonii crudi* Unc. 6. cæterum uti ſupra.

4) *Dehne* præparatio *Tinctur. Antimoni. acris ſimplic.* quam *Göttling* inprimis laudat, conſtat e *Nitro* ſicco, in crucibulo candente fuſo, Unc. 6. cui additur ſenſim - *Regulus Antimonii martialis* Unc. 3. Mixturæ per horam 1. igni ſubmiſſæ adduntur *Nitri* Unc. 3. & poſt horam 1. denuo Unc. 3. & denique tertia vice poſt 1 - 2. horas Unc. 3.

Maſſa hæc inſtar *Aquae fluens* effunditur, & ad incaleſcentiæ ſummum gradum, non candens *Spiritui Vini*, in cucurbita vitrea contento, immittitur, balneo arenæ traditur, quo digeſtionis leni igne per quasdam dies acquiritur tinctura acris, ſumme ſaturata, vix pellucida, rubra, e puro *Alkali cauſtico* & *Spiritu Vini* conſtans.

Dehne jubet ab hac *Tinctura Spiritum* ad conſiſtentiam *Extracti* ſpiſſi abſtrahere, & hoc dein in *Aqua* diſſolvere.

Pp OBS. 5)

OBSERV. 5) *Göttling* credit *Regulum Antimonii* non ſemper requiri ſed purum tantum *Sal. Cauſticum* l. *Nitrum* purum ſufficere.

6) *Tinctura Antim. uniſata* paratur ex *Antim. crudi* pulv. Unc. 6. - *Salis Tart.* Unc. 12. ut fluant crucibulo valido igne per horam, tum adhuc calida pulveriſ. phialæ immittuntur, cui adfundetur *Olei Aniſi* Unc. 1. - *Spiritus Vini* Unc. 36. Digerant. ad *Spiritus* plenariam tinctionem, & filtretur. Cujus *vis* magis *carminativa*, & a *ventriculo irritabili* hinc levius perferri poteſt.

Cæterum ſine *Oleo Aniſi* parata hæc *Tinctura* denominatur vulgo *Tinctura Antimoni ſimplex*, ſ. *tartariſata*.

7) E *Tincturis Antimonii* præcipue ſe commendavit in recentioribus temporibus *Tinctura Antimon. Thediana*, quæ paratur ab eo ex *Antimonii* Unc. 24. - *Sal. Alkalino* Unc. 72. Mixta ſi plenarie fluunt in crucibulo, effundit in ahenum ferreum, contundit in mortario ferreo poſt refrigerium, contuſa immittit in vaſculum magnum figulinum, affundit tum *Aceti concentrati* in hyeme acquiſiti per gelu, abſoluta efferveſcentia in mariæ balneo evaporat ſuperfluum fluidum, - deſiccatam maſſam tum diluit Alcohole *Vini forti*, e quanam mixtura deſtillat Spiritum in mariæ balneo, ter cohobat, quo aquiſivit *Tincturae* Unc. 24. - In reſiduo remanebat *Terra foliata Tartari*, & ſapo.

Sulphur auratum Antimonii, *Oleo Vini* & *Terra foliata Tartari* peculiariter unitum eſſe credit quidem *Theden*, in hac *Tinctura*, *Göttling* vero contendit, conſtare experimentis ejus expreſſe inſtitutis, e ſolutione *Alkali puri* cum *Aceto* ſaturato: *Leonhardi* methodum hinc præfert, qui *Spiritu Vini* ſaturatam

Ter-

Terram foliatam Tartari cum *Hepate Antimonii* digerit, quo *Spiritus Vini Terra foliata Tartari* jam commixtus, quasdam partes *Hepatis Antimonii* jam ſolvit.

Tinctura hæc easdem hinc *vires reſolventes*, *diaphoretic. diuretic. anticatarrhales*, *antarthriticas*, & *eccoproticas* poteſt exſerere uti *Thediana*, eundemque *uſum* in *ſcrophulis*, *cancro* occulto & aperto; in *ulceribus* & *tumoribus arthriticis*; in *diſphagia*; in *ſtruma*, *amauroſi* a Guttis 15. cum fruſto *Sachari* ter de die, *Theden* & *Plenck* obſervationibus.

TINCTVRA BALSAMICA EXTERNA, vide *Linimentum ſaponaceum*.

TINCTVRA CANTHARIDVM.

Rec. *Cantharid.* pulveriſ. Drachm. 2.
Acidi Nitri Unc. 1.
Spiritus Vini rectificat. Unc. 14. Digeſtis per 4. dies in Arenæ balneo adde
Camphorae Drachm. 2. Denuo tum digeſtum leni calore, filtra ad tincturam uſui ſervand.

Vis potens *diuretica*, *tonica*, cum tanta *violentia* ad *mictum cruentum* - & viarum *urinae inflammationes*.

Usus hinc caute. In *diabete*; *ſpasmodica urinae* retentione; *aſthmate*; *cutis morbis*; *hyſterico malo*; in *hydrophobia*, *rabie canina*, *lue venerea*, commendant quidam, quam alii valde vituperant, ob *nimiam vim ſtimulantem* - & inde ortas facile *inflammationes*.

In *gonorrhoea*, a partibus *relaxatis*, uti in aliis *relaxationibus*, ac in *corporibus* præcipue magis valet, ſine noxa, *pituitoſis humoribus* impletis, nec tam facile *irritabilibus*, ſi nulla alia *excitantia* conducunt.

In *hydrope pertinaci* cum inſuperabili *urinae ſup-preſſione.* *Selle* commendat in *gonorrhoeis* & *hydrope*, a Guttis quibusdam in *Aqua* ſolutis incipiendo ad plures. Solutionem tantum in *Spiritus Vini* rectificat. Unc. 18. - *Canthar.* Drachm. 2. Digeſtione leni tum filtratam aſſervandi, ad uſum inprimis in *vehiculis mucilagin.* & *amaris* potionibus, ſed ſemper tamen ſumma cautione.

Externe infricata qua *rubeſaciens*, & in *tumoribus frigidis* qua *reſolvens.* *Piderit*

In *verrucis, condylomat. venereis*; in *paralyſi. Plenck*

DOSIS a Guttis 10 - 30. junctis *demulcentibus* & *Emulſionibus* cum *Camphora.*

OBSERV. 1) Quamplurimi medici contendunt valde ſuſpectum eſſe uſum internum cantharidum & merito illum diſſuadent. *Stranguria mictus cruentus*, aliaque ſymptomata graviſſima, in hominibus laſcivis, hoc auxilio uſis, ut languentes & exhauſtos a venere Spiritus iterum excitarent, obſervata fuerunt. Potiſſimum autem hoc de pulvere *Canthar.* valet. Certo certius enim ſum perſuaſus, *Tinctur. Canthar.* ſæpiſſime eximiam & præſentaneam opem ferre. Fœminæ in *hydrope aſcite* ad gutt. 20. in hauſtu vini Rhenani, a gutt. 20-40. qua *diaphoreticum potens*, cum conjunctis roborantibus & reſolventibus leniſſimis eximie contulit, *Bicker.*

2) *Nocet* interne inprimis in *haemorrhoidariis*, renum ac viarum *urinae inflammationibus*, uti in *mictu cruento*, & *calculo.*

3) Pharm. *Hamburg.* pauper. præſcribit *Cantharidum* contuſ. Drachm. 2. in *Spirit. Vini* tenuioris Unc. 6. Digerendi, colandi. *Doſis* a Gutt. 20 - 30.

4) Addita *Coccionellae* Drachm. dimid. color ruber amœnus ei conciliatur. *Mellin Tincturam epiſpaſticam* communicat quoque e *Cantharid.*

rid. pulveriſat. Unc. 2. - *Spirit. Vini* rectificat. Unc. 12. Digerendi per biduum & colandi.

OBSERV. 5) *Tinctura Cantharidum Fulleri* conſtat e *Pulver. Cantharid.* Unc. dimid. - *Spiritus Nitri optimi* Unc. 1. Digeſtis per horas 24. quibus dein addentur *Spiritus Vini Camphorat.* Unc. 3. iterum digeſta per aliquot dies filtrandi uſui. *Doſis* a Guttis 4 - 20. bis de die in *Decocto Malvae* cum *Syrupo Violarum edulcorata. Mellin.*

TINCTVRA ſ. ESSENTIA CASTOREI.

Rec. *Caſtorei Moſcovitici* Unc. 3.
Spiritus Vini rectificati Unc. 15.
Digere per 3. dies exprime & filtra.

VIS *antiſpasmodica*, *nervina*.

USUS in *affectibus ſpasmodicis* & *hyſtericis* a Guttis 20 - 40. & ſæpe utiliter *opiatis*, vel *Liquori anodyno minerali Hoffmanni. Clysmatibus antihyſtericis* & *anticolicis* ad Drachm. 1. addi quoque poteſt, non minus mulieribus ad *odoramentum* præberi.

OBSERV. 1) Ad *Spielmann. Tinctura* ſ. *Eſſentia Caſtorei carminativa Helvetica*, ſ. *Liquore anodyn. mineral. Hoffmann.* parata, conſtat e *Caſtorei optim.* Unc. 2. - *Croci auſtriac.* Unc. 1. Inciſa infundant. per 24. horas. - *Liquor. anodyn. miner. Hoffmann.* Unc. 12. expreſſa filtrentur: cujus *vis tonica-roborans*; - *Uſus* in *colica*, *vomitu*, affectibus *hyſtericis*, ad Guttas 30.

2) Ph. *Roſſica Tincturam Caſtorei compoſitam*, communicat e *Caſtorei Ruſſici* Unc. 1. - *Aſae foetid.* Unc. dimid. - *Spiritus Salis Ammoniaci vinoſi* Unc. 12. vel *Spirit. Vini* Unc. 12. Macerandi per dies 6. in phiala clauſa, tum ſervandi uſui.

TINCTVRA ſ. ESSENT. CORTIC. CASCAR.

Rec. Corticis *Caſcarillae* Unc. 3.

Ciner. clavellatorum l. *Salis Tartari* Drachm. 1.
Spiritus Vini rectificati Unc. 12. affunde
Digere ad ſufficientem extractionem, qu
dein exprimetur & filtretur *Eſſentia.*

VIS *roborans*, leniter *ſtomachica*, *carminativa.*

USUS ad *viſcera debilitata abdominis* & *pulmonum roboranda; ventriculi vitia pellenda.* Ad *tonum reſtituendum* poſt morbos ſuperatos; & in *chylificatione depravata;* in *diarrhoeis* & *dyſenteri diuturnis.* Ad *flatus* in *hypochondriacis* & alii primarum viarum vitiis a debilitate fibrarun ortis *diſſipandos.* Ad *tonum ventriculi conſervandum;* cæterum melius ſæpe in ſubſtantia.

DOSIS a Guttis 30 - 80.

OBSERV. In *cura Seri lactis*, ſ. *Succorum herbarum* quas verno tempore homines celebrant; & ſul uſu *Fontium medicatorum.*

Cum *Liquore Terrae foliatae Tartari*, l. qua vilior pretio, *Liquore Tartari ſolubili*, utiliter miſcetur quoniam tunc, ad auferendas in *vaſis minimi obſtruct.* & *incidendas cruditates* in *ventriculo* & primis viis acervatas, eo actuoſiores evadunt

TINCTVRA ſ. ESSENTIA FVLIGINIS

Clauderi, ſ. *Liquor Salin. Oleo fuliginis* imprægnat

Rec. *Cinerum clavellatorum* Unc. 6. ſolve in
Aquae ſont. ſ. *Sambuci* Unc. 36. ſolutioni add
Salis Ammoniaci depurati Unc. 1.
Fuliginis ſplendentis pulverati Unc. 2.
Digere in vitro probe clauſo per aliquot dies & tum filtra per chartam bibulam. *Piderit*

VIS potenter *reſolvens*, *aperiens*; *ſaponacea*, *alexipharmaca*, *excretiones* omnis generis *promovens*, *diuretica*, *diaphoretica; emmenagoga, antartritica*, *antiſpasmodica.*

USUS in *promovendis ſanguinis fluoribus* efficaciſſimus. Convenit ad *exanthemata* non rite l.
diffi-

difficile erupta, l. *retrogreſſa revocanda;* uti & in *viſcerum obſtructionibus;* in curandis variis *morbis* chronicis, *lymphatic.;* in *obſtruction. vaſorum minimorum;* in *aſthmate; febr. - quartan. - acutis, ictero, cachexia* &c. in *menſium ſuppreſſione; dolores arthriticos - podagricos - ſpasmodicos* lenit.

DOSIS a Guttis 30 - 100. bis terve in die in Vino.

OBSERV. 1) Medicina hac pellente - *calida* caute ſemper mercandum eſt, ſæpius hinc aliis temperantibus ea mitiganda eſt.

2) Ad Ph. *Herbip. Lond. Mellin* & *Selle* præparatur ſimpliciter e *Fulig.* Unc. 1. - *Spiritus Vini rectificat.* Unc. 12. per 3. dies digerendi & colandi.

TINCTVRA ſ. ESSENT. GVAIACI VOLATIL.

Rec. Gummi *Guaiaci* nat. Unc. 4.
Spirit. Sal. Ammon. vinoſ. Unc. 18.

Digere in vaſe clauſo ſine calore, filtra & *Tincturam* aſſerva in vitro probe clauſo. *Selle.*

VIS potenter *reſolvens.*

USUS in *arthritide, podagra* ſine magno *febris* & *inflammationis* gradu; & in *rhevmatiſmo chronico.*

DOSIS a Drachm. 1 - 2. & ultra, quotidie.

OBSERV. 1) Alii ſolvunt æque commode *Gummi Guaiaci* in *Spiritu Nitri dulci*, quantum ſufficit ad plenariam ſaturationem *Spirit. Nitri;* qualis ſolutio non tam æſtuoſa eſt, quam *Solutio* Gumm. *Guaiaci* in *Rum* ſ. *Spiritu Sachari*, alias *Taffia* dicta.

2) Ph. *Herbipolit.* præſcrib. Raſuræ tenuiſſ. Lign. *Quajaci* ponder. qu. pl. affunde *Spirit. Vini* rectificatiſſ. ad eminentiam 4. digitorum, in phiala alta. Ebulliant per 4. horas, liquorem ſupernatantem quiete purum, per linteum ſeparatum ſerva, cum *Spiritu* novo eoque reſiduum. Omnes

Tincturas puras miſce & deſtilla ad unius quar-tæ partis remanentiam.

Ad Ph. *Auſtriacum* ſumuntur *Gummi Reſinae Gua-iaci* Unc. 2. - *Spiritus Sacchari*, (Tafia vulgo an Rum dicti,) Unc. 48. ut digerantur per 8. dies in vaſe vitreo, & filtrentur.

TINCTVRA LACCÆ.

Rec. *Gummi Laccae* pulveris Unc. 1.
Myrrhae elect. pulveris Unc. dimid. affunde
Olei Tartari per *deliquium* Unc. dimid. adfor-mandam paſtam mollem, cui leni igne ex-ſiccatæ affundendæ ſunt,
Spirit. Cochlear. Unc. 6. per triduum digeren-da & *Tinctura* filtranda. *Piderit*

VIS *adſtringens*, *roborans*.

USUS ad *laxitatem* & *cruentationem gingivarum* a *ſcorbuto*; ad *ſtomacacem*, & ad alia *oris ulcera*, ad *gingivas roborandas cruentantas - ſcorbuti-cas*; ad *tonſillarum* & *uvulae relaxationem*, ſub ſalivatione, a *Mercurio* forſan excitata.

Externe convenit in *laxitate gingivarum* & *fau-cium* & *dentium vacillatione*, nec non in *collutione oris* & ad *gargarismata*, ubi *externa* adſtrictio requiritur.

OBSERV. 1) Ph. *Würt. Brunſ. Auſtr.* & *Spielmann*, *Lacc.* in granis pulveris cum *Alumin. crud.* - *Aqu. Salv. Cochlear.* l. *Roſarum* digerendas ſua-dent, & *Caryophyllos* qua ſuperfluas.

Mellin præſcribit *Gummi Laccae* pulveriſ. Unc. 8. - *Olei Tartari* per *deliquium* qu. ſuffic. ad pulti-cul. tum exſiccat. aliquoties addit. *Alcohol.* ſin-ceri quant. ſuffic. ad *Tincturam*.

TINCT. MARTIS, CYDONIATA - POMATA.

Rec. Extract. *Martis* Unc. 1.
Succi Cydoniorum Unc. 8. Digere per aliquot dies, & *Tincturam* filtra. *Piderit.*

VIS

vis & usus idem cum *Extracto Martis*, *adſtringens*, *tonica*, *ventriculum* non ita *onerat*, ſicut alia e *Marte* præparata. Ad *tonum viſcerum roborandum*; in *cachexia*, *malo hypochondr.* in nimiis *menſibus*; *craſſos* & *feculentos* humores ſanguini admiſtos, *ſeroſos* quoque, & *acres ſcorbuticos reſolvit*.

Dosis a Guttis 20-60. in convenienti vehiculo.

Observat. 1) *Selle* communicat *Tincturam Martis aperitivam* è Florib. *Sal. Ammon. martial.* Unc. 4. - *Spirit. Vini rectificatiſſ.* Unc. 12. poſt digeſtionem filtrandi, ſcopo *reſolvente-diſcutiente*; ad *viſcerum abdominis obſtructiones* a Guttis 30-40. quotidie aliquoties.

TINCTVRA ſ. ESSENTIA MYRRHÆ *ſimplex*.

Rec. *Myrrhae* electæ tritæ, Unc. 2. affunde
Spiritus Vini rectificati Unc. 10.
Digere, filtra, & ſerva uſui.

Vis *Externe*, *antiſeptica*, *abſtergens*, *vulneraria*, *balſamica*.

Interne ſanguinem valde *expandens*, *motum accelerans*, *profluvia promoevns*; *corroborans*, *attenuans*, *deobſtruens*.

Usus ad *menſes* & *haemorrhoides promovendas*, a Guttis 30-60. caute, ob valde *nauſeoſam* quoque *amaram Myrrham* in hac forma.

Externae Eſſentiae hujus applicatio celebrior eſt; qua *vulnerarium* & *balſamicum*; ad *ulcera* & *vulnera putrida purganda*, *conſolidanda*, *ſananda*; in partibus *carnoſis* inprimis.

Cum *Sale Alcalino* l. *Ciner. clavellat.* parata *Eſſentia Myrrhae* ad *partes oſſeas* melius confert, qua ſaturatior. hinc quoque potentior; ad *vulnera* ob *alcali dolores* facile excitat. *Piderit.*

OBSERVAT. *Tinctura* ſ. *Eſſent. Myrrhae alcaliſata.* conſtat e *Myrrhae* elect. trit. Unc. 6. - *Ciner. clavellatorum* Unc. 8. - *Aquae fontanae* Unc. 6. Digerantur probe in vaſe vitreo per aliquot dies, dein per pannum linteum filtrentur, leni igne ad mellis conſiſtentiam evaporentur, & affundetur *Spiritus Vini rectificati* Unc. 20. Digerent. omnia probe & extrahetur *Eſſentia*, quæ filtranda eſt. *Piderit.*

VIS & USUS convenit cum *Eſſentia Myrrhae ſimplici*, potentius tantum *agens*, & ad partes *oſſeas* magis efficiens.

TINCTVRA ſ. ESSENTIA CORTICIS *Peruviani ſimplex.*

Præparatur e *Cortice Peruviano* ſimplici, uti *Eſſentia Corticis Caſcarillae.* *Piderit* & *Mellin.*

VIS *roborans* eximie, *antiſeptica*, magis calida, quam *Eſſentia Gentianae* & *Trifolii fibrini.*

USUS in *obſtruct. oppreſſ. pectoris.*

OBSERV. 1) *Tinctur. Cort. Peruvian. volatilis* paratur loco *Spirit. Vini*, cum *Spiritu Salis Ammoniaci.*

2) *Tinctura* ſ. *Eſſentia Peruviani Corticis compoſita Whytil* conſtat e *Cortic. Peruviani* optime pulverati Unc. 4. - *Aurantiorum* pulveratorum - Radic. *Gentianae* pulverat. ana Unc. dimid. infunde in *Spiritus Vini* rectificati Unc. 48. quæ digerenda ſunt ad ſufficientem extractionem, expreſſa filtranda. *Piderit.*

VIS *ſtomachica* præcipue, - USUS in *hypochondriacis*, qui *ventriculum flatibus* diſtentum habent, & in *nervorum debilitate.*

DOSIS bis in die ad Cochlear. 1. in Vino l. alio vehiculo.

3) *Tinctura* ſ. *Eſſentia Peruviani Corticis Alexipharmaca Huxhami* paratur e Corticis *Peruvian* opti-

optimi, pulverati Unc. 2. - *Flaved. Cortic. Aurantiorum* Unc. dimid. - Radicis *Serpentariae Virginianae* Drachm. 2. - *Croci auſtriaci* Scrupul. 2. infunde - *Spiritus Vini* rectific. Unc. 20. Stent per aliquot dies, tunc exprime & colaturam aſſerva in vitro probe clauſo.

VIS *antifebrilis*. - USUS in *febribus* tam *intermittentibus* quam *lentis*, *nervoſis*, *putridis*, *petechialibus* & *peſtilentialibus*, viribus deficientibus, ad *roborandum* & *corruptioni* reſiſtendum. *Piderit.*

DOSIS Drachm. 1. - ad Unc. dimid.

TINCTVR. ſ. ESSENT. PIMPINELLÆ ALBÆ.

Paratur e *Radice Pimpinellae albae*, uti *Eſſentia Caſcarillae.*

VIS *diaphoretica*, *diuretica*, *reſolvens*, *involvens*, leniter *irritans*, *digeſtiva*, *antiſpasmodica*.

USUS ad affectus *catarrhales*, *pituitoſos*, e. g. *anginam pituitoſam diſcutiendam* in vehiculo aquoſo, vel tantum cum *Sacharo*, ad *Gargarismata*. In *torminoſis* - *colicis* affectibus - & *lymphae* vitiis corrigendis; in *angina catarrhali* ſine vehiculo deglutita convenit; ad *ſpasmos mitigandos* in *faucibus* - in *pectore*; in affluxu *muci oeſophagi* in *infuſo vinoſo*. *Piderit.*

Externe in *vulneribus tendinum*. - In *angina* ab *aphtha* - *variolis*, parva repetita doſi, *Aqua* non diluta. - In vitio *primarum viarum*, *digeſtionis* confert eximie quoque *interne*, uti in *tuſſi ſtomachali*, a Guttis 20 - 40.

OBSERV. Ph. *Suecica* præſcribit Radic. *Pimpinellae* Unc. 2. - *Spiritus Vini rectificat.* Unc. 12. Digerendas per triduum: dein filtrandas.

TINCTVRA ſ. INFVSVM RHEI,

ſ. *Rhabarbari aquoſum*, ſ. *Anima Rhei.*

Rec. Rad. *Rhabarb.* inciſ. elect. Unc. ½.

Aquæ

Aquae fontanae Unc. 12.

Coque leniter, colatura ſervetur uſui.

VIS *aperiens*, *laxans*, *purgans*, in majori doſi, in minori *diuretica*, *ſtomachica*, *corroborans*.

USUS in *ſaburra primarum viarum*, *mucoſitate ventriculi & inteſtinorum*; in *diarrhoeis*, *dyſenteriis*; in *ictero*, qua *aperiens - laxans*; in *obſtructionibus viſcerum* cum *acido* prædominante ad cochlearia quædam; ad *obſtructiones abdominales* reſerandas, *digeſtionem reſtituendam*; in omnibus morbis *bilioſis*, *hypochondriacis*, *ictericis*, & *cachecticis* conducit, qua *reſolvens*, & in majori doſi exhibita *alvum laxans* ad Unc. 1 - 2. Scopo vero *alterante* ad Drachm. 2. tantum. In majori doſi ad Unc. 1 - 2. *alvum laxat*.

In *flatulentia* & *torminibus* ſimul junctis *Liquor*. additus *anodyn. miner. Hoffmann.* confert.

DOSIS Unc. dimid. pro doſi, cochlear. $\frac{1}{2}$ - 1. & ultra.

OBSERVAT. 1) Non in magna portione paretur, ſemper confert.

2) Alii ſuadent tantum Rad. *Rhabarb. inciſ.* Unc. dimid. - *Tartari tartariſat.* Drachm. 2. - *Aquae commun. deſtillat.* Unc. 6. ut ſtent in loco calido, per nychthæmerum, & *Tinctura* tum filtretur.

3) *Tinctura* ſ. *Infuſum Rhei*, l. *Rhabarbar. ſalinum Suecorum* conſtat ex *Aceti vulgar.* Unc. 9. ſaturatis *Salis Tartari* qu. ſuffic. Liquorem ſaturatum digerendi cum - *Rhabarb.* contuſi Unc. 1. filtrandi per 12. horas. *Spielmann.*

4) *Recens* ſemper parata exhibenda eſt, hinc magis convenit per ſpecies præſcribendi, inprimis pauperibus, ſi ſcopo *laxante* in majori doſi requiritur, & quidem *Rhabarb.* cum *Sale Tartari* ana Drachm. 1. cum Unc. 3. - *Vini* electi digerendi in calore leni.

Mellin præſcribit *Tincturam Rhei* extemporaneam; ex

ex *Extract. Rhei* Drachm. 1. - *Liquor. Terrae foliat. Tartari* per *deliquium* Unc. 1. Miſce.

OBSERV. 5) *Tinctura Rhabarbari dulcis Edinburg.* paratur e *Rhabarb.* Unc. 2. - *Cardamom minor.* Unc. dimid. - *Spiritus Vini* concentr. Unc. 24. Digere per 3. dies & *Tincturae* filtratæ adde *Sachar. cand.* trit. Unc. 4. Digere iterum ad plenariam ſolutionem Sachari.

Cujus VIS & USUS idem cum præcedenti, excepto eo quod ſit *fortior*, magis *calida - ſpirituoſa:* hinc confert in fine *diarrhoearum & dyſenteriarum*, abſente ſimul *febre*, innoxiis in primis viis expulſis, ſcopo potius *roborante* ad cochlear. 1 - 2. ter - quaterve in die.

Ad *ventriculi cruditates*, & nimiam *acidi* copiam educendam confert eximie, *vires ventricali* ſimul erigendo & ſuſtendando.

In *aſthmate* infantum confert eximie.

TINCTVRA ſ. ESSENTIA SCVCINI *ſimplex ordinaria.*

Rec. *Succini flavi* pulveriſ. Unc. 1. & dimid.
Spiritus Vini rectificatiſſ. tartariſati Unc. 6.
Digere leni igne & filtra liquorem.

VIS *interne, anticatarrhalis, glandulas penetrans, balſamica, nervina, cephalica* ſenibus, a Guttis 40 - 60. *externe vulneraria, mundificans.*

OBSERVAT. 1) *Tinctura* ſ. *Eſſentia Succini Salina Hoffmann.* conſtat e *Succini* ſubtiliſſ. pulveriſat. *Sal. Tartari* ana Unc. 12. Infundantur per aliquot dies cum - *Spiritus Vini rectificat.* Unc. 24. abſtrahatur Spirit. & affund. - *Succini* ſubtiliſſ. triti Unc. 8. cum *Olei Tartari* per *deliquium* qu. ſuffic. in paſtam tritis & exſiccatis. Per 8duum calore balnei digeſta filtrentur.

VIS *nervina - anticatarrhalis* a Gutt. 20 - 50.

USUS in *affectibus catarrhalibus*, in *virium defectu.*

In

In *vulneribus* minus convenit ob majorem irritationem, quam in ſimplici non tam potentiori.

OBSERV. 2) *Tinctura* ſ. *Eſſentia Succini* ſine *Sale* paratur e *Succini Citrin.* optime triti Unc. 2. - *Spiritus Vitrioli dulcis*, ſ. *Liquoris anodyni min. Hoffmann.* Unc. 7. Digere in vaſculo probe clauſo, leni calore, ſeparatum quiete clarum ſerva in vitro probe clauſo. Ph. *Würt. Suec.* & *Herb.*

Cujus VIS *diaphoretica*, *uterina*, *nervina*, *anticatarrhalis*, magis *balſamica*, quam *ſimplic.* non tam grati, *odoris* & *ſaporis amari;* quum paucæ Guttæ, aliquot Uncias *Aquae* ſapore & odore inficiant: *Excretiones* varias ſubito promovet a Guttis 15 - 20. potius l. *Sachari* fruſtulo exceptæ l. vehiculo aquoſo.

USUS *externe*, *cariei* limites ponit ac illam curat. *Plenck.*

3) Quidam digerunt *Eſſent. Succini* Unc. 4. cum *Spirit. Cornu Cervi* Unc. 8. per 24. horas & filtrant ad *Tincturam* valde efficacem.

4) Quidam uti *W.* & *S.* *Olei Succini deſtillati* Drachm. 1. ſolut. intime in *Spirit. Nitri* Drachm. 3. præcipitant *Aqua* pura, præcipitatum hoc pulveriſatum exhibent per Grana ægris, l. in *Spiritu Vini* iterum ſolvunt, quo acquirunt *Tincturam Succini* efficaciſſimam, ſumme *tonicam* & *nervinam* quoque.

TROCHISCI BECHICI ALBI.

Rec. *Sachari puriſſ.* Unc. 6. - *Amyli* Unc. ½. *Glycirrhiz.* Drachm. 6. - Radic. *Ireos florentin.* Unc. ½. omnibus pulveratis fiant cum mucilagine, Gummi *Tragacanth.* *Trochiſci. Mellin.*

VIS *demulcens*, *reſolvens.*

USUS in *faucium* aſperitate, *tuſſientibus* & *aſthmaticis:* ad *foetorem oris* corrigendum.

OBS. 1)

OBSERV. 1) *Trochiſci bechici nigri.* Rec. Extracti *Glycirrhizae* - Gummi *Arabici*, ſ. *Tragacanthae* ana Unc. 4. - *Aquae fontan.* quant. ſuffic. coque ad ſolutionem &. colaturæ adde *Sachari albi* Unc. 8. fiat evaporatio leni igne, ut formentur *Trochiſci.* Ph. *Londin.* & *Mellin.*

VIS & USUS cum *antecedentibus*, in pertinaciori *tuſſi*, in *raucedine.*

Nota alii ſuadent *Amygdalar. dulc. excorticatar.* Unc. 2. contuſis addendi - Pulver. *Succi Liquirit.* Unc. 4. - Semin. *Foenicul.* Unc. dimid. - *Sacchari albi* Unc. 8. cum mucilagine *Gummi Tragacanthae* qu. ſuffic. redigendi ad *Trochiſcos.*

2) Addita Drachm. 1. *Opii* & *Balſam. Peruv.* fiunt *Opiati Trochiſci bechici.* *Piderit.*

Aliae qua *pectorales Danorum* noti, conſtant e *Succ. Liquiritiae* - *Sachar. alb.* ana Unc. 1. . Extr. *Opii* Gran. 4. Pulveriſat. miſcendi exactiſſime & formandi in *Trochiſcos* ad *tuſſim ſpasmodicam.*

TROCHISCI TEMPERANTES.

Rec. Sal. *Acetoſ.* Drachm. 2. - *Sachari albi* Unc. 8. *Olei Citri* Gutt. 10. Miſce pulveriſata cum *Mucilagine Gummi Tragacanthae* qu. ſuffic. formetur maſſa ad *Trochiſcos*, cui quidam addunt *Nitri* Unc. 1.

VIS *temperans*, *refrigerans.*

USUS ad *ſitim* temperandam, ſedandum *ſanguinis* & *febrilem aeſtum*, & potus ſuave acidulandos; ad *tuſſim* mitigandam. *Piderit* & *Spielmann.*

OBSERV. 1) Ph. *Londin. Trochiſcos temperantes* e *Nitro* communicat; & quidem *Nitri* puriſſ. Unc. 4. - *Sachari albi* Unc. 12. cum *Gumm. Arab.* l. *Tragacanth. formand.* ad maſſam pro *Trochiſcis.*

Spielmannus præſcribit *Nitri depurat.* Unc. 1. -

Sacha-

Sachari albi Unc. 6. - Succi *Citri* Unc. 1. formentur cum mucilagine *Tragac.* ad *Trochiſcos.*

OBSERVAT. 2) Ph. *Würtenb. Trochiſcos* e *Cremori Tartar.* Unc. 1. & ½. - *Sachari albi* Unc. 6. cum *Mucilagin. Tragacanth.* communicat.

TROCHISCI MENTHÆ PIPERITIDIS, ſ. *Trochiſci* des *Vapeurs.*

Rec. *Sachari albiſſimi* Unc. 4.
Olei deſtillat. Menthae Piperitid. Guttas 20.
Miſce fiant cum *Mucilag. Tragacanth. Trochiſci.*

VIS & USUS e ſimplic. ingrediente patet.

OBSERVAT. *Rotulae Menthae Piperitidis* parum differentes parantur quoque e *Sachar. albiſſim.* Unc. 4. mixtis cum *Aqua Menth. Piperit.* concentr. qu. ſuffic. ad *Rotularum* formam, ad lendo iis tum ſub finem ante effuſionem *Olei Menth. Piperitidis* Gutt. 20 - 25. *Color* ruber & *ſapor* acidus conciliatur a ſucco *Berberum.*

TVTIA PRÆPARATA.

Aliquoties l. ad minimum ter in *crucibulo* candefiat, ſingulis vicibus in *Aqua* extinguatur, tum demum trita in marmore lævigetur, ne duritie ſua oculum lædat.

VIS *adſtringens* - *exſiccans* potenter.

USUS ad *unguent.* in *affectib. oculorum,* defluxionibus acrioribus ad *oculos*, in *unguentis* & *emplaſtris* exſiccantibus, ad *ulcera* chronica oculorum *exſiccanda* - ſed caute in *collyriis* & in *pulvere ophthalmico;* ne nimium exſiccet, vaſa *ulceroſa* oculi nimium *contrahentur*, l. *lympha ſtagnet;* In *ſynovia unguenta digeſtiva* cum *Tutia* permultum iuvant, vaſculum ruptum *lymphaticum* obtundunt; in *intertrigine* & *cutis excoriatione.*

VINAIGRE DES QVATRE VOLEVRS, vide *Acetum antiſepticum* ſ. *cardiacum.*

Vinum

VINVM ANTIMONII HVXHAMI, ſev *emeticum*, vide *Aqua benedicta Rulandi.*

VITRIOLVM MARTIS, ſ. SAL MARTIS *Riverii artificiale.*

Rec. *Limatur. Martis* Unc. 12. ſuperfundetur.
Acidi ſ. *Spiritus Vitrioli* tripla *Aquae fontanae* quantitate diluti Unc. 12.

Digerantur in loco calido, ad effervefcentiæ ceſſationem, liquor filtratus ad pelliculam inſpiſſatus, in frigido exhibet cryſtallos viridiuſculas probe exſiccandas. Ph. *Würt. Pider.*

VIS *reſolvens*, *adſtringens*, *roborans*, *tonica.*

USUS ad *nonnullas praeparationes pharmacevticas. Interne* artefactum præfertur, ob latentes quasdam adhuc partes cupri nocivas in non artificiali obvias, ad uſum in *lumbricis* latis, *cachecticis*, *dyſentericis*, in *menſium vitiis*; in *hydropicis* poſt aquarum evacuationem, quovis die Gran. quædam cum pauco *Sacharo* e *Vino* l. *Aqua* hora ante prandium; in *obſtruct. viſcerum abdominis*, in eorum *atonia*; poſt *febr. intermittentes*; in *malo hypochondr. haemorrhoid. mucoſis*; *viis lymphat. obſtructis*; in *atrophia, rachitide* infantum Gran. 4-5. in potu ordinario cum *Sacharo*; adultis vero Gr. 20. *Externe* ad *haemorrhag.* ſiſtendas.

OBSERVAT. 1) *Limatura Martis* a pharmacopoeo probe debet eſſe a quisquillis *cupri*, *aurichalci*, depurata, ne *vomitum* & alia excitet *mala.*

Göttling tres præparandi modos communicat,

1) Si *Vitrioli ferri* qu. plac. coquitur in aheno ferreo, cui limaturæ ferri, ſ. particul. ferri quædam addi poſſunt, in qu. ſuffic. *Aquae*, tamdiu donec culter ſ. aliud ferrum politum; in lixiv. *vitrioli* calens immiſſum minime oblinitur particulis *cupri*: Quale lixivium filtratur, ſucceſſive inſpiſſatur & cryſtalliſatur.

2) Si in vaſculo terreo amplo *Limatur. ferri* Libris quibusdam affunditur ſucceſſive *Oleum Vitrioli anglicum - Aqua dilutum* l. reſiduum a *Liqu. anodyn. miner. Hoffmann.* tamdiu, donec non amplius efficiat in ferrum. Qualis miſtura tum Aqua excoquitur, filtratur & cryſtalliſatur; aëris inflammabilis magna pars avolat in hac ſolutione ferri, hinc ignis ſemper cauteavertendus eſt.

3) Si *Sulphuris* & *Limaturae ferri* non rubiginoſæ partes æquales, Aqua humectatæ, per quasdam ſeptimanas vaſculo ſigulino immiſſæ, excoquuntur, in aheno ferreo, tum filtrantur, & fluidum cryſtalliſatur.

VITRIOLI NAPHTHA, vide *Naphtha Vitrioli.*

VITRVM ANTIMONII.

Rec. *Antimonii crudi* pulveriſat. quant plac.

In vaſe terreo non vitreato ſub continuo motu, bacillo ope terreo calcinetur, igne leniſſimo, ne in grumas confluat, (quod ſi contigerit, maſſa de novo pulveranda eſt,) donec in calcem griſeum abeat, nec amplius fumum ſulphureum emittat.

Hanc calcem non *gryſei* coloris, *Sulphur* non redolens, in crucibulo exacte tecto, (ſollicite cavendo ab illapſu cujuscunque rei inflammabilis,) igne validiore redige in maſſam, inſtar *Aquae* æquabilem fluentem, dein effundendam in pelvem æneam planam calefactam, quo in vitrum concreſcet diaphanum, *Hyacinthini* coloris, quod in fruſta comminutum uſui ſervandum eſt. *Piderit. Ph. Auſtr. Suec.*

Fuſionis peractæ ſignum eſt, ſi maſſa in crucibulo detenta, apice virgæ ferreæ excepta transparens, lævis & æqualis apparet.

VIS *draſtica*, inſtar *veneni*, hinc

usus

USUS nullus in *ſubſtantia*, ſed ad alia paranda medicamenta.

VITRVM ANTIMONII CERAT. EDINBVRG.

Rec. *Cerae flavae* Drachm. 1. Liqueſactæ in vaſe ferreo, injiciatur

Vitri Antimonii ſubtiliſſime pulverati Unc. 1. per horam 1. detineatur igne levi, ſub perpetuo motu ope ſpathulæ: quo maſſa effundetur in chartam, dein frigefacta pulveriſanda. *Mellin.*

VIS *emetica* fortis - *draſtica* hinc & *Piderit.*

USUS ſ opo *emetico* robuſtioribus tantum.

Quidam Autores eximie laudant in *diarrhoeis* & *dyſenteriis* rebellibus & colliquativis - uti alia *emetica*, cæterum efficiens, ad Gr. 6. bis terve in 24. horis, & quidem optime cum *Syrupo* quodam. - Cæterum *leniora* & *ſecuriora* exſtant *vomitoria*, ſi in morbis *bilioſis* ea requiruntur. - In *menorrhagiis* - *haemoptyſi*, & aliis *ſanguinis fluxibus* nimiis angli quidam tentarunt, a Gran. 5 - 10. quorum exempla quidem non ſemper tam ſecure ſunt imitanda.

In *dyſenteria*, fluxibus *alvinis*, & *menſibus* nimiis.

DOSIS in *infant.* a Gr. 2 - 4. in *adultis* a Gr. 6 - 10 - 12.

VNGVENTVM ÆGYPTIACVM, ſ. ÆRVGINIS ſ. *Oxymel Aeruginis Hippocratis*, ſ. *Mel Aegyptiacum.*

Rec. *Aeruginis cryſtalliſatae tritae* Unc. 5.

Aceti Vini fort. Unc. 5. - *Mellis optimi* Unc. 14 - 15. coque leni igne diligenter ſpathula agitando, ad *unguenti* conſiſtentiam.

VIS *detergens*, *exſiccans*, *mundific. vulner. ſeptica.*

USUS *Medicamenti* improprie *unguenti* dicti ad *ulcera ſordida* - *putrida* - *depuranda* & *ſinuoſa*; *ſaniem* ſiccandam & luxuriantem *carnem* auferend. *plumaceolis* applicatum.

Extract. *Saturni* l. *Lithargyrii* in uſu ad *gangraenam* & *ſpacelum* ei utiliter additur. *Piderit.*

In *Gingivis putridis ulceroſis* cum *Melle roſato* Unc. 1. ad Drachm. 2. *Unguenti* commendatur a quibusdam, ſed ob facilem deglutitionem noxiam non ſemper conducit.

OBSERV. *Oxymell.* hujus applicatio ad *oſſa* eſt noxia.

VNGVENTVM ALTHEÆ,

Rec. *Mucilagin. Radic. Altheae,*
Semin. Lini l. *Foenugraeci* ana Unc. 12.
Butyri non *ſaliti* Unc. 48. Mixta coque, donec aquoſum omne conſumtum fuerit, cui tum adde
Cerae Citrinae Unc. 12.
Reſinae Unc. 6. Liquefactis & colatis tum adde
Terebinth. venet. Unc. 2. ſerva uſui, cui Ph. *Roſſica Würt. Plenck. Piderit.* & *Brunſuic.* Pulver. Radic. *Curcum.* Unc. dimid. addend. præſcribunt.

VIS *emolliens, reſolvens, relaxans, leniens - humectans, demulcens.*

USUS ad *tumores emolliendos - fibras laxandas;* ad *viſcerum duritiem laxandam,* & *ſtomachi inflammationes diſcutiendas:* ad *nervorum duritiem, reſolutionem* & *ſpasmos*, ad *membra rigida;* ad *urinae retentionem.* Commodum quoque eſt *unguentum digeſtivum*, ſed ſemper *recens* paratum eſſe debet. *Piderit.*

Nota. Varia ob anguſtiam loci - & temporis, in fine inprimis harum paginarum inopinato omittenda quæ erant, alias ſubſtituuntur, & in peculiari forſan ſuccedent ſupplemento.

TUBINGÆ,
LITTERIS GEORGII HENRICI REISSII.